1) cf. n. 51—53. — Cf. etiam n. 50, qui titulus Brigetionensis a tota legione Iovi Optimo Maximo dedicatus est.

2) cf. n. 52 sqq.

3) cf. n. 107—111 et 112.

4) cf. CIL III. p. 539. Herm. XVI. p. 462 adn. 3.

5) In lapide haec insculpta sunt: Nymphis sacr ‖ L. Attius . . . ‖ Macro ‖ leg. Aug. [pr. pr.] — Legatus Pannoniae superioris L. Attius Macro consul fuit anno 134. cum P. Licinio Pansa. (CIL. III. p. 546.)

Nuperrime quidem monumenta, quae ad alias legiones pertinent, Brigetione effossa sunt, nempe tegulae, una legionis XXX. Ulpiae (cf. Schilling l. l. p. 38), duae legionis XI. Claudiae (III. 4688[a], Eph. epigr. II. p. 433 n. 921.), una in qua illud insculptum est: VEXILL·LEG·XIII·ET·XV· (cf. p. 57. adn. 4.).

Quibus de tegulis si licet coniecturam proponere, ad illa tempora eas referam, quibus Traianus diligentissime bellum contra Dacos comparaturus legiones Illyricas ita collocavit eorumque hiberna ad ipsum flumen Danuvium ita promovit, ut legiones Pannonicas adversus Suebos vel Marcomannos Quados Iazyges, Moesiacae adversus Dacos et Sarmatas disponeret. Quamobrem imperator non modo provinciam Pannoniam in superiorem et inferiorem divisit, sed etiam exercitui superioris provinciae novum praetorium addidit, nempe Brigetionense.

Quae tum Carnunti et Vindobonae castra habebant legiones erant XIII. Gemina et XV. Apollinaris; praeterea legionem XIV. Geminam anno 89. in Pannoniam venisse supra comprobavimus, sed incertum, ubi tetenderit. Ex his igitur legionibus, praecipue ex XIIII. Gemina et XV. Apollinare, vexillationes Brigetionem missae sunt, qui ibi aedificia militaria, fortasse ipsa castrorum munimenta exstruerunt. Legio vero XXX. Ulpia, quam ante ipsa bella Dacica constitutam aliquamdiu in Pannonia, priusquam in Germania collocata est, tetendisse constat, fortasse per id spatium propter bella Dacica ibi stativa cepit. Etiam ante XXX. Ulpiam fortasse legio XI. Claudia, quae postea sub legato Moesiae inferioris militabat, Brigetione morata est. Legione autem XV. Apollinare ad bellum Parthicum abducta et XIII. Gemina in Daciam translata ad duas, quae tum Vindobonae et Carnunti erant legiones, nempe X. et XIIII. Geminas, tertia adiuncta est: I. Adiutrix Brigetionensis.[1])

1) Mihi quidem Traianus, antequam in Asiam ad bellum Parthicum transiit, legiones Pannonicas, quarum unam (XV. Apollinarem) secum abduxit, denuo collocasse videtur: tum legionem X. Geminam e Germania

Sed omnia haec incerta sunt. Atque quaestio, quo tempore castra Brigetionensia constituta sint, pro certo decerni nequit, nisi materies titulis compluribus repertis aucta erit.

§ 3. Quando legio Pannoniae inferiori attributa sit.

Tribus legionibus, quas modo enumeravi, Pannonia superior circiter annum 117. defendebatur. Hae Pannonicae legiones erant omnium firmissimae et validissimae, ut cum provincia viribus plurimum valeret, tum is, qui ei praesidebat, in legatorum numero summae auctoritatis esset, quamquam praeter Pannoniam tres quoque provinciae a ternis legionibus obtinebantur.[1]) Etiam cum Severus, qui Pannoniae superioris legatus summa rerum potitus erat, imperii aemulis tribus devictis Britanniam in inferiorem et superiorem, Syriam in Syriam Coelen et Syriam Phoenicen divisisset, (legio V. Macedonica iam antea e Moesia inferiore in Daciam translata erat): Pannoniam superiorem, quippe ex qua provincia originem principatus haberet, solam tribus legionibus occupatam esse passus est.

Sed post mortem Severi praemio honoris non iam diu provincia videtur usa esse.[2]) Exstat enim Aquinci, ubi lega-

---

translatam esse (cf. Ritterling l. l. p. 51.) et legiones XIII. Gemina et I. Adiutrix provinciam mutasse admodum probabile est.

1) Britannia a legionibus II. Augusta VI. Victrice XX. Victrice, Moesia inferior a legg. I. Italica V. Macedonica XI. Claudia, Syria a legg. III. Gallica IIII. Scythica XVI. Flavia. — Cf. Cass. Dio. LXXIII 14, 3: *τρεῖς γὰρ δὴ τότε ἄνδρες, τριῶν ἕκαστος πολιτικῶν στρατοπέδων καὶ ἄλλων ξενικῶν συχνῶν ἄρχοντες, ἀντελάβοντο τῶν πραγμάτων, ὅ τε Σεουῆρος καὶ ὁ Νῖγρος καὶ ὁ Ἀλβῖνος, οὗτος μὲν τῆς Βριταννίας ἄρχων, Σεουῆρος δὲ τῇ Παννονίας, Νῖγρος δὲ τῆς Συρίας.*

2) Partem huius quaestionis Domaszewskius vir doctissimus iam in Mus. Rhen. XLV. (1890) p. 204 sqq. tractavit atque de titulis, qui ad hanc rem spectant, tam sagaciter disputavit, ut vix pauca in medio relinqueret. Quae tamen omnia hoc loco mihi denuo sunt repetenda, cum alio fundamento nisus aliis atque novis argumentis ea, quae Domaszewskius statuit, comprobare possim. — Aemilius Ritterling, qui hanc quoque rem perstrinxit (l. l. p. 53 et 54), cum Severum Alexandrum auctorem rei mutandae fuisse sentiat, falsus est, ut infra comprobabimus.

tus Pannoniae inferioris sedem habebat, titulus n. 178, testis gravissimus, qui scholam speculatorum legionum I. et II. Adiutricum restitutam esse praedicat. Quo titulo quem legiones Adiutrices una posuerunt, efficitur has duas legiones simul sub eodem legato in eadem provincia fuisse.

Si non ita esset, certe neque communis fuisset schola legionum, quarum altera in oppido ipso Aquinco[1]), altera extra provinciam Brigetione castra habebat, neque omnino fieri potuit, ut speculatores legionis I. Adiutricis e finibus provinciae egressi Aquinci, in capite alius provinciae vicinae, scholam aedificarent. Quin etiam non exstruxerunt, sed restituerunt scholam, quo per complures iam annos speculatores legionis I. Adiutricis Aquincensibus adiunctos esse demonstratur. Nominibus autem consulum adiectis titulum anno 228. exaratum esse arguitur. Hoc igitur anno et fortasse iam multis annis ante utraque legio Adiutrix eidem provinciae praesidebant.

Iam quaeritur legio I. Adiutrix quando castra mutaverit. At castra non reliquisse legionem ex titulo nuper Brigetione reperto apparet (n. 181), in quo legimus: 'Minervae Aug. sacr. scola tubicinum ex voto pos. Imperante d. n. Alexandro et Dione [cos.].'

Cuius igitur legionis tubicines fuerint apertis verbis additum non est, id quod nihil offensionis habet, cum dubium esse non possit, quae legio sit intellegenda. Nam ut primo aspectu titulum sacrum sub Severo Alexandro dedicatum esse intelleges, ita ullam aliam legionem, postquam legio I. Adiutrix castris Brigetionensibus imposita est, ibi unquam tetendisse neque auctorum verbis neque monumentorum testimonio traditur: nullum vel minimum vestigium, ne tegula quidem alius legionis Brigetione apparet.

Qua re perspecta cum nullam nisi legionem I. Adiutricem, inde a Traiani temporibus Brigetione fuisse constet, hunc

1) Quando legio II. Adiutrix, quae antea Acuminci collocata erat, castra mutaverit, probabiliter explicavit Friedericus Gündel in dissertatione 'de legione II. Adiutrice' conscripta.

titulum ad eam pertinere manifestum est. Annus quoque facile ex nominibus Alexandri imperatoris, qui ter consulatu tum functus est, eiusque collegae adscriptis ita efficitur, ut titulum anno 229. dedicatum esse intellegamus.

Quae cum ita sint, cum iisdem fere temporibus, quibus speculatores legionis cum Aquincensibus coniunctis in capite Pannoniae inferioris apparent, legionem ipsam ut antea Brigetione tetendisse hic titulus testetur [1]), vix opus est affirmare legionem castra non permutasse. Contra de recta via vix aberrabimus, si his iam duobus titulis adiuti ante aetatem Alexandri Severi castra Brigetionensia legato Pannoniae inferioris attributam esse statuimus, ita quidem ut regione Brigetionensi una cum legione ibi tendente addita et exercitus provinciae inferioris augeretur et fines ipsi propagarentur.

Quod quam verum sit, etiam inde apparet, quod Brigetio oppidum et legio I. Adiutrix Pannoniae inferioris esse diserte dicuntur in titulo urbano VI. 3198: 'Aurelius Constans eques sing. Aug. n. . . . natus in Pannonia inferiore domo Brigetione at legione prima atiutrice.' [2]) Tum ad Cassium Dionem, testem gravissimum, provoco, qui in l. LV. c. 24 his verbis: *τὸ πρῶτον τὸ ἐπικουρικὸν ἐν τῇ Παννονίᾳ τῇ κάτω* legionem I. Adiutricem in inferiore provincia tendentem facit. Iniuria autem Dionis auctoritatem his in rebus nihili esse habitam ex collatis eius verbis cum titulorum testimoniis satis manifesto apparet.[3]) Hoc igitur statuo Brigétionem cum legione

1) Tubicines enim eodem loco, quo legiones tendebant, stationes habebant. Speculatores autem in officio legati provinciae atque in eius sede versatos esse, quod adhuc incertum erat, certis argumentis comprobavit Domaszewskius in Mus. Rhen. XLV. (1890) p. 209. Quare tum legionem I. Adiutricem sub legato Pannoniae inferioris fuisse apertum est.

2) 'at legione prima atiutrice' legendum est, non 'et'. Etenim non est, cur 'at', quod traditur, in 'et' mutemus, cum littera t pro d etiam in ATIVTRICE usurpetur neque ablativus pro accusativo in titulo, qui posterioris aetatis est, quidquam offensionis praebeat.

3) Testimonium Dionis hac in re minus valere adhuc putabatur, quod intellegi non poterat, quomodo accidisset, ut legio I. Adiutrix, quam per saecula Brigetione, in oppido Pannoniae superioris, castra habuisse

Brigetionensi a Pannonia superiore separata inferiori provinciae additam esse.

Ac si quaerimus, quo tempore Pannonia superior legione I. Adiutrice privata sit, titulus sacer Carnuntinus (n. 182.) afferendus est, quem M. Aurelio Antonino Caracallae corniculari commentarienses speculatores legionum trium Antoninianarum Pannoniae superioris dedicaverunt. Quo ex titulo — annus enim facile ex sententia tituli eruitur — anno 212. tribus legionibus Pannoniam superiorem occupatam fuisse discimus, quarum una legio I. Adiutrix fuit. Itaque cum speculatores huius legionis, qui anno 212. Carnunti, in capite provinciae superioris Caracallae monumentum exaraverant, anno iam 228. Aquinci, qua in urbe legatus inferioris provinciae sedem habebat, una cum legione II. Adiutrice scholam habuerint, fines nobis offeruntur anni 212. et 228., intra quos copiae Pannoniae superioris deminutae sunt.

Accedit, quod eodem tempore, quo exercitus Pannoniae inferioris addita altera legione ad eam, quae ad id tempus provinciam obtinuit, aucta est, etiam praesidem provinciae ad superiorem dignitatis gradum promoveri necesse fuit.[1]) Etenim Pannonia inferior ut ab una tantum legione defendebatur, ita

constabat, inferioris Pannoniae fieret. Item in titulo (VI. 3198.) modo laudato superior pro inferiore emendatum est. Minime enim viri docti de terminis Pannoniarum mutatis cogitabant. Nunc autem inscriptionibus magis magisque perlustratis Dionem, qui scripsit imperante Alexandro, narrantem de rebus, quae quidem ad eius aetatem spectant, levem auctorem non esse perspicuum est, cum titulorum testimonia optime cum eius verbis consentiant. Quin etiam locupletiorem huius rei, de qua hoc loco agimus, testem exstare nego quam Dionem, qui post consulatum in Pannonia legati munere functus (cf. C. Dio XLIX 36: τῇ Παννονίᾳ τῇ ἄνω προσετάχθην = a. 226—228. cf. Wirth, quaest. Sev.) omnium rerum harum provinciarum peritissimus habendus est.

1) Provinciae enim, in qua complures legiones castra habuerunt, legatus consularis praesidebat. Cf. Marquardt, 'Röm. Staatsverw.' I² p. 548 et 549. — Ceterum quod de Pannonia inferiore idem valet de provincia Dacia, quae initio a viro praetorio regebatur, sub quo una legio militabat (sc. XIII. Gemina); tum provinciae a duabus legionibus occupatae (sc. XIII. Gemina et V. Macedonica) praeses fuit vir consularis.

a viro praetorio regebatur. Sic Hadrianus praetoris munere functus fortasse primus, postquam Pannonia in duas partes a Traiano divisa est, legatus praetorius inferioris provinciae exstitit.[1]) Atque etiam sub Septimio Severo talem virum in eam provinciam missum esse efficitur ex titulo illo notissimo 'C. Julio Septimio Castino legato Pannoniae inferioris' dedicato (n. 20. 21. 22.)[2]), qui in *Buda* vetere effossus est. Quo in titulo disertis verbis memoriae proditum est Castinum eo tempore, quo provinciae praesidebat, consulem designatum fuisse. Deinde cum Castinus legatus trium Augustorum nominetur[3]), titulum anno 210. positum et insequenti anno 211. Castinum consulem factum esse elucet. — Semel quidem Pannonia inferior sub legato consulari fuerat, scilicet anno 166. vel 167., quo propter belli necessitatem imperator Marcus Aurelius copias provinciae videtur auxisse.[4]) Tum enim M. Pontium Laelianum consulatu functum eam provinciam obtinu-

---

1) cf. Spart. v. Hadr. c. 3. — CIL. III. 550.

2) Sunt autem tres lapides, qui iisdem verbis eodemque ordine cursum honorum Castini exhibent. Eiusdem viri sunt tituli Bramb. 520, arch.-epigr. Mitt. XIV. p. 59 (n. 22), III. 3480.

3) Patet enim tres illos Augustos intellegendos esse Septimium Severum patrem, M. Aurelium Antoninum Caracallam, P. Septimium Antoninum Getam filios, quorum Geta exeunte demum anno 209. Augustus declaratus est. Itaque cum prid. Non. Febr. anni 211. Septimius pater iam e vita decesserit, accuratissime, quo anno titulus exaratus sit, definire possumus. — Hac in re erravit Otto Schilling ratus (l. l. p. 64) inter annos 203. et 207. Castinum consulem fuisse, quem post annum demum 210. consulatu functum esse ex illo titulo concludendum est. Quae sententia optime eo confirmatur, quod Castinum sub finem aetatis Caracallae provinciae Daciae consularem praesedisse Cassius Dio testatur his verbis: *ἀλογώτατα Μάρκιόν τε Ἀγρίππαν πρότερον μὲν ἐς Παννονίαν εἶτ' ἐς Δακίαν ἡγεμονεύσοντα ἔπεμψεν· τοὺς γὰρ ἄρχοντας αὐτῶν, τόν τε Σαβῖνον καὶ τὸν Καστῖνον, λόγῳ μὲν ὡς καὶ τῆς συνουσίας σφῶν δεόμενος, ἔργῳ δὲ τό τε πάνυ φρόνημα καὶ τὴν φιλίαν αὐτῶν τὴν πρὸς τὸν Καράκαλλον φοβηθείς, εὐθὺς μετεπέμψατο.*

4) cf. Capitol. v. Marci C. 22, 9: 'provincias ex proconsularibus consulares aut ex consularibus proconsulares aut ex praetoriis (*sic Domaszewskius*) consulares pro belli necessitate fecit'. V. Hirschfeld, 'Wiener Studien' III. p. 116.

isse dilucide demonstratur titulo VI. 1497.[1]) Sed id quod inter calamitates et discrimina temporum rei publicae esse placuerat, bello Marcomannico confecto in usum non receptum esse ut per se commendatur, ita titulo Castini supra laudato certissime evincitur.[2]) Sed post Severi aetatem ei provinciae, quae ad id tempus a viro praetorio regi solebat, legatum consularem praepositum fuisse ex titulis cognoscimus. Si igitur demonstrari potest, quo tempore pro praetorio consularis legatus eo coeperit mitti, etiam annus, quo legio I. Adiutrix a superioris provinciae exercitu separata sit, indagatus est.

Primus, qui consulatu functus praeses Pannoniae inferioris occurrit, C. Octavius Appius Suetrius Sabinus[3]), anno 114. consul factus est, et cum viri consulares tribus annis post consulatum provinciam ingredi soliti essent, anno 117. legatus Pannoniae inferioris fuisse putandus est. Itaque annum, quo legio I. Adiutrix legato inferioris provinciae attributa est, artioribus terminis circumclusimus, annis scilicet 212. et 217. atque comprobavimus Caracallam rei mutandae auctorem fuisse.

Qua re perspecta fortasse etiam continget, ut annum ipsum investigemus, quo id factum putemus. Paulo enim postquam principatum occupavit Caracalla, Alemanni limite superato in Galliam perruperant; cupiditate belli adductus imperator ipse, ut hostes propulsaret, anno 213. in Germaniam

---

1) 'M. Pontio M. f. Pup. || Laeliano Larcio Sabino cos. pon || tifici sodali Antoniniano Veriano || fetiali leg. Aug. pr. pr. prov. Syriae leg. Aug. || pr. pr. prov. Pannon. super. leg. Aug. pr. pr. Pan || non. infer. comiti divi Veri Aug. donato donis || militarib. bello Armeniaco et Parthico || ab imp. Antonino Aug. et a divo Vero Aug. || [coron.] mu[rali vallari clas]sica aur[ea || hastis puris IIII vexillis IIII . . .' Cf. Liebenam, 'Verwaltungsgesch.' p. 282. (n. 19).

2) Quae cum ita sint, apparet Borghesium (cf. 'oeuvr.' VIII. p. 460 sqq.), quem Marquardt, 'Röm. Staatsverw.' I² p. 293, et Schiller, 'Röm. Kaisergesch.' p. 644, secuti sunt, rem haud recte definivisse arbitratum inde a Marco Pannoniam inferiorem provinciam consularem fuisse.

3) De huius viri titulis cursuque honorum sagacissime et optime disseruit Mommsen in Eph. epigr. I. p. 130 sqq.

properavit.[1]) Quibus hostibus devictis cum insequentibus annis provincias ad Rhenum et Danuvium sitas contra incursiones hostium permuniendas curaret, etiam in Pannonia constitit. Inde bello inter Marcomannos et Vandalos orto interfuit (cf. Cass. Dio LXXVII 20, 3) et contra Iazyges, quin etiam contra Gothos, qui tum primo cum Romanis concurrebant, pugnavit.[2])

Huic anno, quo diutius in Pannonia Caracalla moratus est et cum omnibus fere finitimis gentibus conflixit, tribuam, quod de novis Pannoniarum finibus imperator statuit. Neque id alienum esse a Caracallae more eo demonstratur, quod idem provincias Hispaniae denuo ita terminavit, ut Asturia et Galaetia, quae antea provinciae Tarraconensis fuerant, novam provinciam formarent.[3])

Quibus rebus expositis satis docuisse videor, anno 214. vel 215. sub Caracalla Pannoniam superiorem Brigetione et legione ibi tendente privatam esse, et inde ab eo tempore Pannoniam inferiorem a legionibus I. et II. Adiutricibus esse defensam.

§ 4. De bellis et expeditionibus, quibus legio interfuit.

Omnium exercituum, qui in omnibus provinciis tendebant, longe praestantissimae fortissimaeque et ea aetate et postea legiones Pannonicae erant.[4]) Id enim primum clarissime eo illustratur, quod milites, qui inde a Septimio Severo optimi et fortissimi in cohortes praetorias diligebantur ex cunctis legionibus, e Pannonia oriundi ceteras provincias numero longe superant. Deinde in omnibus bellis et civilibus et externis, sive ad suam ipsam sive ad alias imperii provincias pertinebant, eas utique versatas esse videmus. Sed cum

1) cf. Cass. Dio. LXXVII 13 et 14. Spart. v. Caracalla c. 5. Vide etiam acta fr. Arv. ed. Henzen p. CXCVII.

2) cf. Spart. v. Caracallae c. 10, 6 et Cass. Dio. LXXVII. — Cf. etiam Wirth, quaestiones Severianae. Diss. Bonn. 1888. p. 14.

3) cf. II 2661 et Marquardt, 'Röm. Staatsverw.' I² p. 255. adn. 3.

4) cf. Jung, 'die romanischen Landschaften des röm. Reiches' p. 340 sqq.

rarissime una et altera legio disertis verbis in fontibus memoretur itaque, quibus legionibus quaeque expeditio facta sit, non plane perspiciatur, historiam legionis pertractare non possumus, nisi simul res totius exercitus Pannonici explicemus; etiam omnes res inde a Traiani aetate usque ad extrema principatus tempora enarrare debui, ut exponerem, quibus singulis bellis deinceps legio interfuisset. Quae tamen narratio cum extra fines, quibus hanc dissertationem circumscripsi, longe egrederetur, pauca, quae certioribus fundamentis vel testimoniis nituntur, attulisse satis habui.

I. Primum quidem miramur, quod militum huius legionis, quae inde a Traiani temporibus in Illyrico semper castra habebat, tres cippi sepulcrales (n. 151. 152. 153.) in Africa reperti sunt[1]), duo Caesareae, in oppido Mauretaniae Caesariensis in ora maritima sito, tertius prope Carthaginem in sepulcreto posteriore familiae domus Augustae; nam ex stipendiorum numero illos milites nondum militia perfunctos in legione militasse apparet. Quorum titulorum de tertio quidem (n. 153.) Carthaginiensi quamquam certi quidquam statuere non licet, tamen Iulium Felicem, cuius manibus titulus positus est, quod in columbario officialium procuratoris (cf. VIII. Suppl. p. 1335.) prope Carthaginem sepeliebatur, procuratori provinciae ministrasse probabile est.[2]) Sed duo alii illi milites huius

---

1) Cagnat, 'l'armée Romaine d'Afrique'. Paris. 1892. p. 270, mihi videtur rem haud recte definivisse his verbis usus (p. 271): 'On peut pourtant, à cause de l'endroit où on les a découverts, se demander si les trois textes précités suffisent à établir la présence d'une vexillation de cette légion en Afrique. Ne se pourrait-il pas que les soldats dont les noms y figyrent aient été personnellement chargés de quelque mission auprès du procurateur de Maurétanie en résidence à Cherchel ou auprès du proconsul fixé à Carthage?' — Primum enim titulum Carthaginiensem et duos alios Caesarienses, qui secernendi sunt, non distinguit. Deinde quod iisdem fere locis Mauretaniae, ubi cippi sepulcrales legionis I. Adiutricis prostant, etiam aliarum legionum Pannonicarum aut Germanicarum militibus tituli exarati sunt, id omnino neglexit vir doctissimus, quamquam ad hanc quaestionem disceptandam maximi momenti est.

2) Etiam lectio tituli depravata videtur esse, cum miles quinquaginta

legionis quomodo in Mauretaniam venerunt? Certe si quis his titulis fretus concluserit legionem I. Adiutricem vel potius partem eius per tempus aliquantum in Mauretania versatam esse, id non sine veritatis quadam specie contenderit.

Sed firmissimum argumentum, quo re vera vexillationem huius legionis in Africam missam esse demonstratur, afferre possumus. Nam in eadem regione Mauretaniae, quae ad septentriones vergit, in locis pariter atque Caesarea ad oram maris sitis etiam complures titulos invenimus ad alias quidem legiones spectantes, qui ipsi quoque militum manibus dedicati eiusdem aetatis esse videntur, ut Cartennae duorum militum legionis I. Minerviae (VIII. 9654, 9662), quattuor militum legionis XXII. Primigeniae (VIII. 9655, 9656, 9658, 9659)[1], militis legionis II. Adiutricis (VIII. 9653) et centurionis eiusdem legionis (VIII. 9660)[2], atque in oppido, quod vocatur Portus magnus, militis legionis IV. Flaviae (VIII. 9762) et militis legionis XI. Claudiae (VIII. 9761).[3]

Primo obtutu cognoscitur illos milites earum legionum fuisse, quae per saecula ad Rhenum aut Danuvium collocatae erant. Urbes autem, ubi cippi sepulcrales effossi sunt, Caesarea, Cartenna, Portus magnus, omnes non longe inter se distantes in Mauretania ad oram maritimam sitae sunt.

---

quinque annos vixisse et decem tantum militasse in lapide enuntietur; fortasse lapidarii culpa in versu quarto tituli numerus X. pro compendio XX. insculptus est. Quocunque modo res se habet, equidem Iulium Felicem potius veteranum (quam militem) esse habendum existimo, qui stipendiis absolutis munus fortasse adiutoris in tabulario provinciae administrabat.

1) Tituli VIII. 9658 et 9659 praebent idem nomen C. Iulii Primi militis.

2) His in titulis legionis II. Adiutricis multum interest, eundem Iulium Quirinalem centurionem, qui T. Caesenio Iuvenali, militi centuriae suae, monumentum exaravit (VIII. 9653), ipsum quoque Cartennae diem supremum obiise; unde sequitur, ut legio II. Adiutrix per spatium aliquod temporis ibi morata sit.

3) Ad hanc quaestionem certe non spectant (non magis quam cippus sepulcralis legionis I. Adiutricis Carthaginiensis, cf. p. 82. et adn. 2.) tituli et centurionis legionis X. Geminae (VIII. 14698) et duorum veteranorum legionis II. Adiutricis (VIII. 3066. Suppl. 14605), qui aut in provincia proconsulari aut in Numidia (Lambaesi) prostant.

In duodecim igitur milites incidimus, qui procul a domo, procul a provincia, cui quaeque legio praesidebat, in Africa mortui sunt. Quare cum nulli nisi exercituum Germanicorum Pannonicorum Moesiacorum milites inveniantur, adducimur, ut has legiones simul eodemque tempore vexillationes in Mauretaniam misisse credamus. Quae sententia eo comprobatur, quod haec provincia non a legione, sed a paucis alis et cohortibus auxiliariis defendebatur, quae quin muneri, quod eis obvenerat, ut provinciam ab incursionibus hostium tutarentur, ob tanta terrarum spatia impares saepe fuerint non dubito. Etiam Numidiae vicinae una tantum legio praesidebat, quae certe in provincia sua defendenda contra lacessentes Nomades (cf. p. 85.) semper tota occupata erat.[1]

Nunc id agitur, quo tempore et quam ob causam vexillationes legionum occidentalium in Africam missas esse arbitremur. Primum sub Hadriano, qui rei militaris peritissimus etiam hostes semper ad incursiones faciendas paratissimos metu compressit, tantam seditionem ortam esse, ut aliarum legionum auxilio opus esset, veri non est simile.[2]

Deinde Pio imperante ut undique hostes iterum magis magisque urgebant, ita Mauri quoque magnis cum copiis in Mauretaniam invasisse videntur. Apud Pausaniam enim, qui ea fere aetate scripsit, legimus VIII 43, 3: (*ὁ δὲ Ἀντωνῖνος*) ... *πόλεμον μὲν Ῥωμαίοις ἐθελοντὴς ἐπηγάγετο οὐδένα, πολέμου δὲ ἄρξαντος Μαύρους, Λιβύων τῶν αὐτονόμων τὴν μεγίστην μοῖραν, νομάδες τε ὄντας καὶ τοσῷδε ἔτι δυσμαχωτέρως τοῦ Σκυθικοῦ γένους ὅσῳ μὴ ἐπὶ ἁμαξῶν, ἐπὶ ἵππων δὲ αὐτοί τε καὶ αἱ γυναῖκες ἠλῶντο, τούτους μὲν ἐξ ἁπάσης ἐλαύνων τῆς χώρας ἐς τὰ ἔσχατα ἠνάγκασεν ἀναφυγεῖν Λιβύης ἐπί τε Ἄτλαντα τὸ ὄρος καὶ ἐς τοὺς πρὸς τῷ Ἄτ-*

1) De copiis, quae Numidiae et Mauretaniae provinciis praesidio impositae erant, optime disseruit Cagnat, 'l'armée Romaine d'Afrique' p. 97 et 267 sqq.

2) cf. Spartian. v. Hadr. c. 5: 'Mauri lacessebant', et c. 12: 'motus Maurorum compressit'. Quibus verbis demonstratur Mauros, ut solebant, huius tractus incolas vexavisse, sed statim esse propulsatos.

λαντι ἀνθρώπους. Quibus ex verbis ea potissimum urgeo: ἐξ ἁπάσης ἐλαύνων τῆς χώρας. Etiam Capitolinus v. Antonini Pii c. 5. breviter id bellum his verbis commemorat: 'Per legatos suos plurima bella gessit ... et Mauros ad pacem postulandam coegit.' [1]) Sub Pio igitur gravissima proelia contra Mauros commissa sunt, qui tum per totam Africam effusi provinciales ita vexavisse videntur, ut ad eos fundendos fugandosque copiae, quae praesto erant, non sufficerent, sed aliarum provinciarum firmissimae quaeque legiones auxilia mitterent. Numidia autem illis ipsis temporibus Mauretaniae vicinae auxilio venire non potuit, cum in ipsa provincia seditiones videantur motae esse; id quod explicatur ex titulo VIII. 2728, ubi librator a procuratore provinciae ad exstruendum aquae ductum Saldensem petitus et missus, quanta pericula in itinere subierit, queritur his verbis: 'profectus sum et inter vias lattrones sum passus, nudus saucius evasi cum meis.' [2])

Quae cum ita sint, ad id bellum Maurorum conficiendum, quod per saecula Romanorum copias vexabat premebatque, minores vel maiores partes earum potissimum legionum Germanicarum et Illyricarum, quarum titulos in Mauretania invenimus, accitae sunt. Atque id quod per se summa probabilitate commendatur legiones, quas enumeravi, expeditionem in Mauros coniunctas suscepisse Pio imperante, etiam confirmatur deliberantibus nobis eo tempore ad Danuvium et Rhenum hostes minus lacessivisse, cum et in Asia et in Africa seditiones moverentur.[3]) Quamquam annum, quo id factum

1) Schiller, 'Röm. Kaisergesch.' I. p. 631. adn. 6. iam adumbravit Antonino Pio imperante expeditiones in Mauros factas et diutius atque saepius cum vagis illis gentibus pugnatum esse. Id etiam indicant nummi, qui sub Pio cudebantur (cf. Cohen, 'Monnaies impér.' II. p. 323/324 n. 551—553).

2) Aquae ductus autem Saldensis fortasse iisdem fere annis (147.—152.) inchoatus et dedicatus est, quibus bellum contra Mauros rebelles gerebatur. — Paucis iam annis ante (145.) legionem III. Augustam in provincia firmanda adiuvit vexillatio legionis VI. ferratae, quae viam Romanam per Aurasium montem stravit, cf. VIII. 10230. Vide etiam VIII. 2490.

3) cf. Capitol. v. Anton. Pii c. 5.

sit, accuratius definire non possumus, tamen optime omnia consonant, si sub Pio anno 145. vel proximis legiones Pannonicas et Germanicas contra Mauros militasse statuimus.[1])

Etiam auxiliarii simul cum legionibus suis ei expeditioni interfuisse videntur, cum complures tituli eorum auxiliariorum, quos exercitus Germanici aut Pannonici fuisse constat, in illa parte septentrionali Mauretaniae Caesariensis ad lucem prolati sunt. Imprimis enim alae I. Ulpiae Contariorum, quam annis 133. 148. 154. in Pannonia collocatam fuisse diplomatis XLVII. LX. LXV. (= XXXIX. p. 881.) evincitur, duo cippi sepulcrales et equitis (Eph. epigr. V. 1061) et curatoris alae (VIII. 9291, qui titulus ab imaginifero alae positus est) in vico *Arbal* prope ad Portum Magnum sito reperti sunt. Praeterea prostant in iisdem Mauretaniae oppidis, in quibus militum legionariorum, quos p. 83. nominavi, cippi sepulcrales effossi sunt, Cartennae et in Portu Magno tituli et equitis alae Afrorum[2]), quae in Germania inferiore stationem habebat, et librarii alae Brittanicae[3]), quae exercitus Pannoniae inferioris erat. Fortasse inter annos 148. et 154. vestigia alae I. Ulpiae Contariorum miliariae c. R. in Pannonia superiore non apparere eo ipso explicatur, quod bello Maurorum implicata procul a castris, quibus uti solebat, aberat.[4]) Quae si recte sunt demonstrata,

1) Assentior hac in re Schillero, qui l. l. (cf. p. 85. adn. 1.) motus Maurorum sub Pio circa annum 145. ortos esse putat, sed potius posterioribus (a. 145.—150.) quam prioribus annis id bellum tribuam. — Aliter iudicant Bossart et Müller in 'Büdingers Unters.' II. p. 309, sed valde premunt nummos initio aetatis Pii cusos.

2) cf. Bonner Jahrbb. LXXXI. 91 et LXI. 70. De variis alis earumque collocatione sagacissime et optime disseruit Cichorius in Paulys 'Real-Encyclop.' I². p. 1224 sqq.

3) cf. D. XXXIX (= XXVI. p. 869), DD. LXVIII/LXIX (= XLII/XLIII p. 884/885), D. LXXIV (= XLVI. p. 888).

4) In Portu Magno etiam hic titulus inventus est (VIII. 9765): 'D. M. ‖ M. Ulpius ‖ Silmius ‖ [p]oetovi ‖ mil. leg. ‖ stip. XVII. ‖ fecit Tauri ‖ us Senecio ‖ h. b. m.' Quo in lapide quod nomen numerusque legionis omissa desiderantur, mirum est; sed cum militem Poetovione in urbe Pannoniae natum esse diserte enuntietur, titulus sine dubio huc referendus est. Idem valet de titulo VIII. 9798 in *Ain Temuschent* (Safar) reperto in via,

magnum argumentum attulimus, quo id bellum Maurorum inter annos 145. et 150. gestum esse comprobatur.[1] —

II. Sub Marco deinde legiones occidentales ad hostium incursiones, quibus castra ad ipsum Danuvium et Rhenum sita opposita erant maxime adhibebantur atque per multos annos distinebantur. Statim initio postquam Marcus simul cum L. Vero principatum occupavit (anno 162), Brittanos et Germanos, qui limitem perruperant, armis castigare et in fines suos reicere debuit.[2])

Sed multo maius eodem tempore bellum a Parthis commotum est, contra quos Romani L. Vero ipso duce arma tulerunt. Ad quod bellum conficiendum iterum Pannonicas le-

---

qua itur a Portu Magno per *Oran Tlemcen* et *Arbal* ad flumen Sennam inter meridiem et occidentem. Attamen Romanus Victorinus, quod simpliciter miles Germaniae inferioris nominatur, auxiliarius videtur fuisse. — Cf. etiam titulos VIII. 9059 ('mil. n̄. Divitiensis G(ermaniae) s(uperioris)') et VIII. 9060 ('ex p(rovincia) G(ermania) s(uperiore) n̄. Melenuens.), qui Auziae (nunc *Aumale*) in media parte Mauretaniae Caesariensis reperti sunt.

1) Nonnullis annis post sub Marco legiones Illyricae bello Marcomannico vix confecto iterum — nam vix repulsi denuo identidem Mauri populsandi causa in provincias invaserunt — vexillationes contra Mauros miserunt, qui tum etiam in Hispaniam transgressi omnes fere Hispanienses provincias vastaverant. — Cf. Cass. Dio. LXXI 12. — Annus 178/179 statuitur ex titulo urbano L. Iulii Vehilii Grati Iuliani ('praef. vexillationis per Achaiam et Macedoniam et in Hispanias adversus Costobocos et Mauros rebelles'), cf. Barnabei, 'Notizie degli Scavi' 1887 p. 536. — Tum quoque auxiliarii cum legionibus ad bellum profecti sunt, quibus a Marco praepositus erat T. Varius Clemens ('praef. auxiliariorum tempore expeditionis in Mauretaniam Tingitanam ex Hispania missorum'); cf. huius viri titulos III. 5211—5216. — Accuratissime de hac expeditione disputavit Heberdey, 'arch.-epigr. Mitt.' XIII. p. 190 (= 'Der Einfall der Kostoboken in Griechenland'). Ceterum cf. Hirschfeld, 'Wiener Studien' VI. p. 123. Huc referendi sunt tituli II. 1120 et 2015, fortasse etiam II. 4114 et VIII. 2786. — Vide etiam Marquardt, 'Röm. Staatsverw.' I². p. 249 adn. 4 et p. 256.

2) cf. Capitol. v. M. Anton. phil. c. 8, 7: 'imminebat etiam Brittanicum bellum, et Catthi in Germaniam ac Retiam inruperant, et adversus Brittannos quidem Calpurnius Agricola missus est, contra Catthos Aufidius Victorinus'.

giones arcessitas esse docemur titulo P. Iulii Geminii Marciani [1]), qui legioni X. Geminae praepositus iussu Marci vexillationes e Pannonia in Cappadociam duxit. Cui expeditioni etiam legionem I. Adiutricem interfuisse ut per se commendatur, ita multo probabilius fit perlustrantibus nobis titulum Concordiensem (n. 19.) qui P. Cominio Clementi ante annum 160. (L. Vero vivo) exaratus videtur esse. Is enim cum tribunatu legionis I. Adiutricis fungeretur, corona murali et hastis puris ab imperatoribus Antonino et Vero donatus esse in monumento praedicatur. Quamquam autem propter lapidem fractum titulus mutilatus est, tamen titulo eiusdem viri V. 8659. adhibito facile compleri potest; sed in versu sexto post vocem expeditionis non adiectivum Germanicum, sed Parthicum [2]) emendandum esse crediderim, praesertim cum bellis et ad Rhenum et in Asia simul ortis legiones Syriacae et Cappadocicae contra Parthos potius adiuvandi essent quam exercitus Germanicus. Itaque partem legionis I. Adiutricis tum in Asia dimicasse equidem persuasum habeo.

Deinde vix anno 166. Marcus et Verus de Parthis triumphaverunt, cum illud bellum periculosissimum quod vocatur Marcomannicum exarsit, quod imprimis Illyricum exercitum evocavit.[3]) Quid autem singulae legiones Pannonicae perfecerint, memoriae traditum non est. Certe qua erant virtute et constantia, in illis gravibus et diuturnis bellis, quae per viginti fere annos cum Marcomannis gesta sunt, fortissimas se praestiterunt. Atque hanc quidem legionem ita se gessisse

---

1) VIII. 7050: . . .'leg. Augg. super vexillationes in Cappadocia leg. Aug. leg. X. Geminae'. . . cf. Renier, 'mélanges d'épigraphie' p. 97—128, Ritterling, l. l. p. 59, Liebenam l. l. p. 15.

2) Quod in hoc lapide expeditio nominatur, certe titulus ad bellum Marcomannicum referendus non est.

3) cf. Cassius Dio LXXI 3: *αὐτὸς δὲ τοῖς περὶ τὸν Ἴστρον βαρβάροις, Ἰάξυσί τε καὶ Μαρκομάνοις, ἄλλοτε ἄλλοις χρόνον συχνὸν ὡς εἰπεῖν δι᾽ ὅλου τοῦ βίου, τὴν Παννονίαν ἔχων ὁρμητήριον, ἐπολέμησε. πολλοὶ δὲ καὶ ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον Κελτῶν μέχρι τῆς Ἰταλίας ἤλασαν, καὶ πολλὰ ἔδρασαν ἐς τοὺς Ῥωμαίους δεινά. οἷς ὁ Μάρκος ἀντεπιὼν Πομπηιανόν τε καὶ Περτίνακα τοὺς ὑποστρατήγους ἀντικαθίστη.*

evincitur ex titulo Tiburtino C. Caesonio Macro Rufiniano dedicato (n. 23.) [1]), qui tribunus legionis I. Adiutricis a Marco donis militaribus donatus est.

Porro iisdem temporibus alii expeditioni legio I. Adiutrix interfuisse diserte memoratur. Bello enim Marcomannico denuo inflammato, novum annexum est, cum Germani, Chatti nimirum, Raetiam et Noricum invaderent atque totam provinciam depopularentur et vastarent. Quos ut propulsaret, Pertinacem, qui postea princeps exstitit, a Marco cum legione I. Adiutrice in eas regiones missum esse testantur Capitolinus v. Pert. c. 2, 6 ('Pertinacem primae legioni regendae imposuit: statimque Rhaetias et Noricum ab hostibus vindicavit') et Cassius Dio LXXI 3 (*οῖς ὁ Μάρκος ἀντεπιὼν Πομπηιανόν τε καὶ Περτίνακα τοὺς ὑποστρατήγους ἀντιθακίστη*).

Huc fortasse etiam titulus n. 177. Aquileiae repertus referendus est: VEXILLAT LEG · I · ET · II · ADI [ut] RIC. Constat enim Marcum Aquileiam denuo permuniendam curavisse, id quod nullo alio modo percipi potest, nisi Marcomanni et Quadi tum usque ad hanc urbem progressi sunt eamque fortasse obsiderunt atque expugnaverunt.[2]) Quare vix est audacius conicere, iam initio belli Marcomannici vexillationem legionis I. Adiutricis una cum vexillo II. Adiutricis excitatam esse [3]), ut hostes, qui fusi per agros et dispersi vagantes civibus pericula intendebant, occiderent et copiis Germanorum contusis muros Aquileiae denuo exstruerent atque munirent. —

III. Ut anno 69., sic anno quoque 193. Pannonicae legiones — atque in earum numero erat legio I. Adiutrix — in Italiam profecti sunt, ut legatum suum, quem imperatorem consalutaverant [4]), L. Septimium Severum, Romam du-

---

1) cf. Liebenam l. l. p. 63.

2) Ammian. Marc. XXIX 6, 1. — cf. Jung, 'die romanischen Landsch. des römisch. Reiches.' p. 501. — Mommsen CIL. III. p. 83.

3) Fortasse etiam in Raetiam utraque legio Adiutrix missa est, ut pariter atque Pertinax primae Pompeianus, quem Dio una cum Pertinace memorat, secundae Adiutrici praepositus fuerit.

4) In fidem et virtutem legionum suarum Septimius Severus principatum

cerent atque contra eum, cui senatus principatum detulerat, defenderent. Sequuntur proelia contra Pescennium Nigrum et Clodium Albinum gesta, quorum sine dubio etiam legio I. Adiutrix particeps fuit. Tum illis inimicis devictis Severus cum Parthis conflixit, quos inter annos 196.—202. fudit atque fugavit. Cui bello Parthico Severi tribuam titulum n. 175 Cilii in provincia Byzacena repertum M. Petronii Fortunati, qui, cum esset centurio legionis I. Adiutricis, consecutus esse dicitur 'ob virtutem in expeditionem Parthicam coronam muralem valarem torques phaleras.' Aetati autem Septimii Severi eam expeditionem adscribendam esse comprobavit Willmanns in adnotatione ad titulum (p. 39), cuius verba mihi liceat hoc loco afferre: 'Cum commemoretur iam legio II. Parthica (v. 8) titulus non ante Severum positus est, contra non post Caracallam vel certe non multo post eum, cum dona militaria adhuc occurrant; ideo expeditio Parthica videtur esse Septimii Severi. Eandem aetatem litterae indicant fragmentorum, quae vidi'. Ergo ut in bello Parthico sub Marco gesto, sic in illo bello Severi legio I. Adiutrix arma contra Parthos tulit.[1] —

IV. Maximinus vero Dacos, qui ad id tempus liberi in septentrionali parte Daciae habitaverant, postquam in provin-

---

adeptus nummos cudit. Cf. Cohen, 'Monnaies impér.' IV. n. 256 sqq. (cf. n. 180. I.)

1) Num iam Traiani bello Parthico legio I. Adiutrix interfuerit, incertum, sed veri est simillimum, eam ad id quoque bellum vexillationes misisse; nam Traianus ad bellum proficiscens legionem Pannonicam totam secum abduxit, XV. Apollinarem, quam fortasse ceterarum legionum vexilla secuta sunt. Huc pertinere crediderim cippum sepulcralem n. 145 Cyrrhi effossum, qui signifero legionis dedicatus est; sed id pro certo contendi non potest, cum lectio tituli depravata videatur esse. In eadem provincia Syria prostat titulus n. 146 duorum beneficiariorum legionis I. Adiutricis et Ephesi titulus n. 144 frumentarii legionis, qui nullius momenti sunt ad definiendas regiones, in quibus legio versata sit. Attamen Ancyrae (Galatia) centurio legionis I. Adiutricis, cum in ea stipendia mereret, mortuus et sepultus est; quare aliquando ibi hanc legionem moratam esse necesse est, praesertim cum a collega centurionis monumentum exaratum sit, sed nescio quo anno.

cias vicinas invaserunt easque vastaverunt, devicit et in potestatem populi Romani redegit.[1]) Elucet autem invasionem Dacorum praeter provinciam Daciam maxime Pannoniam attigisse. Ergo legionem I. Adiutricem ei bello implicatam esse (pariter atque II. Adiutricem) et maxime probabile est et certissime demonstratur nonnullis huius legionis titulis.

Primum exstat Crumeri (= *Neudorf*) titulus Aurelii Satulli, militis legionis I. Adiutricis, qui 'incursu hostis Daciae decidit'. Tum in alio monumento legionis Arrabonae reperto mater quaedam Iulia Fuscinilla Iulium Paternum et Iulium Fuscum filios, huius legionis milites, 'bello desideratos' esse narrat, id quod non nisi ad id tempus referri potest, quo Daci subito fines provinciarum penetraverant.

Denique idem vocabulum 'desideratus est' occurrit in titulo Aelii Septimi (n. 75.), sed valde dolendum, quod hic lapis iniquitate temporum ita fractus est, ut de memoria tituli mutilati restituenda ambigatur, quem in Corp. Inscr. Lat. III. p. 541 sic legimus:

Æ SEPTIMO·OPT·LEG·I
ad DESIDERATVS·EST
bello ARIS·QVI·VIX

Nam cum versu altero ante litteram D superior pars hastae conspicua sit, Mommsenus editor supplevit AD]I, quae coniectura videtur probabilis esse; versu autem tertio bellum significari idem putat, quo miles periit. Sed in talem interpretationem convenire litteras quae sequuntur (ARIS) non crediderim. Quare cum eadem vox versus alterius 'desideratus' iam in alio titulo ad bellum Dacicum Maximini referendum inveniatur et si praeterea illum titulum notissimum militis I. Minerviae perlustramus, qui, postquam in castra rediit, votum quod AD ALVTVM FLVMEN susceperat solvit, litterae ARIS

1) Propter eas res anno 237. gestas cognomine Dacico Maximo ornatus est; vide III. 3740. 3722. 4630. 3708. 3716. et a. — Cf. Carolum Goos, 'Studien zur Geograph. u. Gesch. des Trajanischen Daciens' (prgr. gymn. Schässburgens. 1874) p. 68.

fortasse item spectant ad flumen quoddam, [M]ARIS[VM] scilicet, ut versus tertius hunc in modum supplendus sit: AD·FLVM·MARIS·QVI·VIX.

Sed id quamquam summae probabilitatis speciem prae se fert, pro certo affirmari non potest, nisi antea explicatum est, quot litterae lapide rupto omissae sint. Qua in re benignissime me adiuvit Cichorius vir illustrissimus, qui, cum nuper in regiones Illyricas proficisceretur, in *Buda* vetere, ubi in museo titulum exstare editor indicat, lapidis litteras perlustravit atque novum ectypum fecit. Unde apparet ante vocem DESIDERATVS praeter partem superiorem litterae I in lapide etiam exstare reliquias duarum hastarum (VI), quae infra convergunt, ita quidem, ut compendium VI hoc loco insculptum esse videretur; quare commovemur, ut initio alterius versus pro ADI ponamus QVI. Tertio autem versu ante litteras ARIS duarum hastarum vestigia exstant, quae congruunt, atque ante eas pars hastae invenitur, quae reliquiae litteram M indicare videntur.

Quibus rebus bene explicatis cum tituli versu altero recte restituto etiam perspicuum sit, quot litterae in versu tertio desiderentur, septem videlicet, quod supra coniectura proposuimus, id certissime comprobatur in versu tertio emendandum esse: AD·FLVM·MARIS·QVI·VIX.

Haec si recte disputata sunt, cum optio legionis I. — Adiutricem dico, quod titulus Brigetione repertus est — ad flumen Marisum occisus sit, legionem ipsam Maximini aetate in Dacia contra hostes militasse constat.

Neque vero ea, quae arte manuque in hoc lapide ficta sunt, ab editore l. l. recte indicantur; quae quod fusius declarare possum, etiam benignitati Conradi Cichorius debetur. Supra titulum enim primum — in latere intuenti sinistro — militem legionarium videmus in dextram progredientem, dextra manu gladium, sinistra clipeum tenentem. Ante eum — in latere intuenti dextro — homo barbarus genu flectens (notabilis veste, barba, crinibus) in sinistram versus, dextra manu aliquid armorum complectens, quod iam non cognoscitur; id

femur sinistrum militis Romani penetrasse, non fractum esse, videtur. Hic miles legionarius certe is est, cui monumentum dedicatum fuit. Tum post clipeum militis ipsum quoque in dextram versum caput alius legionarii cognoscitur. Ante hunc iterum homo barbatus in dextram fugiens et hastam secum portans. Praeterea ante hos, quos nominavi, barbarus cernitur corpore prostrato cruribus sublatis quasi de muro deiectus; caput ipsum barbatum ita iuxta collum corporis iacet, ut abscisum esse suspicari liceat. Intuenti dextra et sinistra columnae eas imagines ectypas circumcludunt. Lapis ipse ut infra, sic supra fractus est.

Quae cum ita sint, artificem eam pugnam fingere voluisse persuasum habeo, in qua miles legionarius, cuius est titulus, periit. Itaque hac quoque re denuo comprobatur titulum bello Dacico tribuendum esse.

V. Sub Gallieno hanc legionem propter res fortiter gestas magnis honoribus affectam esse ex nummis ut in alias occidentales legiones sic etiam in legionem I. Adiutricem cusis evincitur, in quibus legio saepius pia fidelis cognominata est (cf. n. 180. II.). Quibus in nummis imagines legionis apparent Capricornus et Pegasus.[1]

Postea vero quas res sub singulis imperatoribus legio I. Adiutrix gesserit, exquirere non possumus, cum et veterum auctorum et lapidum inscriptorum testimonia, quae ad illa tempora pertinent, tam rara tamque impedita sint, ut certi quidquam statuere non iam liceat. Id tandum dilucide iam cognoscitur hanc legionem etiam quinto p. Chr. n. saeculo exstitisse.[2]

---

1) De omnium legionum signis sagacissime disseruit Domaszewski, 'die Fahnen im römischen Heere'. Vindob. 1885. Cf. eiusdem viri commentationem: 'die Thierbilder der Signa' in 'arch.-epigr. Mitt.' XV. (1892) p. 182—193.

2) cf. cod. Iustin. XII. 36 (37), 6 et ibid. XII. 52 (53), 3.

Indices legatorum, praefectorum, tribunorum, principalium, centurionum, veteranorum, militum, cognominum et tituli legionis I. Adiutricis:

A. Legati legionis I. Adiutricis.

I. Orphidius Benignus.

Primus legatus legionis videtur fuisse; praeerat enim legioni vere anni 69., quo cum ceteris Othonianis copiis contra Vitellium profectus in pugna Bedriacensi periit. Cf. Tac. hist. II 43.

II. A. Platorius Nepos Aponius Italicus Manilianus C. Licinius Pollio n. 1.

Legatus legionis fuit Traiano imperante, si recte disputavit Mommsen (in adnot.) legationes Germaniae inferioris et Thraciae eum administrasse ante a. 117. Nominat hunc Platorium Nepotem Spartianus v. Hadr. c. 4. 15. 23. Anno 124. provinciae Britanniae praefuit. Cf. Hübner in Mus. Rhen. XII. (1857) p. 58.

III. [T. Statilius] Maximus n. 2.

Sub Pio legatus legionis videtur fuisse. Nam antequam Maximus (anno 144.) consul factus est, utrique provinciae Pannoniae iuridicus propraetoris iure auctus praefuit, quo officio eum functum esse anno 136./137. Otto Hirschfeld felicissima coniectura comprobavit. — De viro eiusque cursu honorum, qui nonnulla memorabilia praebet, cf. Mommseni adnotationem.

IV. T. Flavius Palatina Longinus Cl. Marcius Turbo n. 3.

Legatus legionis fuit sub eodem Pio; anno 155. regebat provinciam Moesiam inferiorem, quod explicatur ex titulo nuper reperto, quem vexillatio legationis XI. Claudiae posuit. Cf. quae adnotavit Mommsen in Eph. epigr. IV. p. 527 sqq., qui opinatur eum esse aut adoptivum aut legitimum filium Cl. Marcii Turbonis praefecti praetorio imperante Hadriano.

V. P. Helvius Pertinax.
Ab imperatore Marco circiter annum 170. legioni praepositus est. cf. v. Pert. c. 2 et quae supra p. 89. exposui.

VI. Claudius Piso n. 4.
Legatus legionis fuit anno 207., cum annus, quo titulus dedicatus est, nominibus consulum arguitur.

VII. Ignotus n. 5.
— 'Caesarum' pertinere videtur ad Caracallam et Getam.

VIII. T. Iulius Maximus Ma . . . Brocchus Servilianus A. Quadronius L. Servilius Vatia Cassius Cam . . . n. 6.
— temporis incerti. cf. 'Ann. d. inst.' 1839. p. 147.

IX. L. Iulius Apronius Maenius Pius Salamallianus. n. 7.
— temporis incerti.

B. Praefecti legionis I. Adiutricis.

I. Aurelius Superinus (agens vices lagati) n. 8.
Sub Aurelio Claudio anno 269.

II. P. Aelius Marcellus n. 9. 10. 11. 12.
— temporis incerti.

C. Tribuni legionis I. Adiutricis.

I. Q. Attius Priscus n. 13 sub Nerva.

II. L. Minicius Natalis Quadronius Verus Iunior n. 14. 15a. 15b. 16a. 16b. 17. sub Hadriano. Consul fuit anno 137.

III. M. Statius Priscus Licinius Italicus n. 18 sub Pio ineunte. De hoc viro notissimo duce in bello Parthico L. Veri cf. Napp, de reb. sub M. Ant. in Or. gest. p. 55—56 et Mommsen in adnot. ad titulum; Borghesi, 'oeuvr.' III. p. 249; Liebenam l. l. p. 99.

IV. P. Cominius Clemens n. 19 sub Marco ineunte.

V. C. Iulius Septimius Castinus n. 20. 21. 22; sub Septimio Severo. Eidem dedicati sunt tituli Bramb. 520 et arch.-epigr. Mitt. XIV. p. 59 (22) et III. 3480. cf. supra p. 79.

VI. C. Caesonius Macer Rufinianus n. 23 sub Severo Alexandro.

VII. C. Nonius Caepianus n. 24.
VIII. Cominius . . . Claud. Bo . . . Agricola Aurelius Aper n. 25.
IX. M. Marius Titius Rufinus n. 26.
X. Salvius Nenius L. Aius Campanianus Cn. Plotius Maximinus T. Oenus Severus Serveienus Ursus n. 27.
XI. Caecilius Rufus n. 28.
XII. Ignotus n. 29.

D. Primipili.

T. Statilius Solo n. 65.
L. Retonius Lucius n. 66.
M. Aurelius Alexander n. 69.
M. Calpurnius Seneca Fabius Turpio Sentinatianus n. 163. 164.
Q. Petronius Modestus n. 166. 167.
C. Cestius Sabinus n. 168.
T. Fl. Antoninus n. 170.
N. Marcius Plaetorius Celer n. 171.

E. Centuriones.

D. Iunius Verecundus n. 45. I.
L. Flavius Pudens n. 45. II.
Iun. Silvianus Varus n. 45. III.
.. Borcus Iuvenalis n. 45. IV.
Seionus Verecundus n. 45. V.
Donatus Priscus n. 45. VI.
Varus Teucus n. 45. VII.
Claudius Buculus n. 45. VIII.
L. Valerius Modestus n. 45. IX.
M. Aurelius Valentus n. 69.
M. Aurelius Emeritus n. 70.
Cn. Curius Lycao n. 71. 72.
L. Albucius Albucianus n. 73.
M. Fuficius Marcellus n. 96.
Apulonius Firmus n. 99.
Q. Numitor Felix n. 126.
M. Ulpius Titus n. 132.
Tib. Claudius Valerianus n. 134.
C. Masculinus Masculus n. 135.
Flavius Victor n. 142.
Q. Antonius Silo n. 159.
Flavius Audax n. 160.
M. Aurelius Lucillus n. 161.
C. Iulius Lepidus n. 162.
L. Titius Flavius Titianus n. 165.
Ignotus n. 169.
N. Marcius Plaetorius Celer n. 171.
Ignotus n. 172.
Aelius Restutus n. 173.
Q. Iulius Aquila n. 174 (eq. publ.).
M. Petronius Fortunatus n. 175.
M. Herennius n. 179 (bis γ legionis).

F. Principales.

1. Optiones: Iulius Vitalis n. 68 (optio hastati).
   Claudius Claudianus n. 74.
   Aelius Septimus n. 75.
2. Tesserarius: Valerius Valerianus n. 76.
3. Aquilifer: P. Ferrasius Avitus n. 157. 158.
4. Imaginifer: L. Titus Valentinus n. 104.
5. Signiferi: Titius Candidus n. 51.
   Bassianus n. 79.
   Maximus n. 80.
   Caesernus Sabinianus n. 86.
   Iulius Paternus n. 105.
   Respectus n. 145.
6. Frumentarii: C. Campanianus n. 116.
   C. Masculinus Masculus n. 135. (?)
   Elpinius Festianus (agens cur. carceris) n. 144.
   M. T. Faricius Atto n. 148.
7. Cornicularii: Salonius Sabinianus n. 141.
   L. Antonius Sabinianus n. 92. 106.
8. Strator legati: Marinus n. 82.
9. beneficiarii:
   a) legati: C. Iulius Candidanus n. 67.
      M. Ulpius Priscus n. 68.
      C. Atilius n. 136.
   b) consulares: Caelius Saturninus n. 137.
      G. Vib. Pomp. Ianuarius n. 138.
      M. Carmeius Maximus n. 139.
   c) tribuni: Aelius Valerianus n. 146.
      Iulius Oratianus n. 146.
      Aurelius Domitianus n. 150.
10. Librarius legati legionis: Regillianus n. 131.
11. Custos armorum: T. Claudius Valentinus n. 100.
12. Pequarii: Aelius Tertius n. 89.
    Aelius Sabinus n. 90.

Darum will Gilbert jetzt *Gr. St. A.* I² S. 216 A. 1 auch bei der Bestimmung Z. 26 ff. die einzelnen *θίασοι* als Subject verstanden wissen; ihre Erwähnung habe fehlen können, weil die genaueren Angaben des Gesetzes die Beziehung der Worte klar machten. Mit gleicher Motivirung versteht Wilamowitz den *οἶκος Δεκελειῶν*, der nach dem Gesetz der Demotioniden die Prüfung für alle in die Phratrie Eintretenden gehabt habe. Erst durch das Psephisma des Nikodemos sei das Gesetz dahin abgeändert worden, dass die Prüfung dem Dekeleerhause genommen und an den Thiasos eines jeden gewiesen, zugleich aber die Entscheidung der Gesammtheit der Phrateres, die nach dem ersten Beschluss im Falle einer Appellation erforderlich war, für alle Fälle vorgeschrieben worden sei. Zu dieser Auffassung, die für das Dekeleerhaus eine befremdliche Praerogative in Anspruch nimmt, will aber schon der Eingang des ersten Beschlusses wenig stimmen. Wenn Hierokles, der an jenes Vorrecht nicht gerührt haben soll, die sofort nachzuholende Diadikasie derer *ὁπόσοι μήπω διεδικάσθησαν κατὰ τὸν νόμον τὸν Δημοτιωνιδῶν* den gesammten Phrateres überträgt, so wird sie ihnen überhaupt zugestanden haben. Und noch weniger durfte Nikodemos seinem Antrage die Fassung geben *ὁ φρατρίαρχος μὴ πρότερον διδότω τὴν ψῆφον περὶ τῶν παίδων τοῖς ἅπασι φράτερσι πρὶν ἂν οἱ αὐτοῦ τοῦ εἰσαγομένου θιασῶται κρύβδην — διαψηφίσωνται*, wenn die Gesammtheit nicht schon vorher die Entscheidung gehabt hätte. Das Novum des Antrags kann also nur darin gelegen haben, dass aus leicht ersichtlichem Grunde die einzelnen Thiasoi zu einer ersten aber nicht endgültigen Abstimmung herangezogen wurden. Damit fällt auch Gilberts Auffassung zu Boden. Gegen alle Erklärungen aber, welche die im ersten Beschluss vorgesehene Appellation den bleibenden Massregeln zuzählen, spricht entscheidend der Umstand, dass sie nach dem unzweideutigen Wortlaut nur durch den zu erfolgen hat, dem die Zugehörigkeit zur Phratrie aberkannt ist, und diesen im Falle des Unterliegens die Busse trifft, während bei der regelmässigen Diadikasie der Einführende

es ist, der vom Spruch der Thiasoten an das Plenum zu appelliren und wenn er abgewiesen wird, die Strafe zu zahlen hat; ὅτου (ὧν) ἂν ἀποψηφίσωνται Z. 31 u. 38 kann nicht verschieden sein von dem ἀποδικασθεὶς in Z. 22. Diesem ausschlaggebenden Moment gegenüber verfängt weder die früher von Gilbert versuchte Entschuldigung mit Nachlässigkeit des Ausdrucks noch die verzweifelte Auskunft von Tarbell, den als Kind Abgewiesenen nachträglich als Erwachsenen appelliren zu lassen. Handelt es sich dagegen bei der Berufung εἰς Δημοτιωνίδας um ein Rechtsmittel gegenüber der einmaligen ausserordentlichen Diadikasie, so findet auch die hohe Busse von 1000 Drachmen ihre einzig natürliche Erklärung, während vorher ὁ εἰσαγαγὼν τὸν ἀποδικασθέντα nur mit 100 Drachmen gestraft ist und ebensoviel nach dem Psephisma des Nikodemos der εἰσάγων zu erlegen hat, der bei der Berufung vom Thiasos an das Plenum unterliegt. Und dass unter jener Voraussetzung die Bestellung der Demotioniden auch als Berufungsinstanz verständlich wird, weil sie die Correctur eines mehr summarischen Verfahrens durch eine gründlich vorbereitete Appellverhandlung ermöglicht, das hat Schöll ebenso richtig ausgeführt, wie er die Clausel ταῦτα δ' εἶναι ἀπὸ Φορμίωνος ἄρχοντος aus der Absicht erklärt, der im Vorausgehenden gestatteten Berufung jede rückwirkende Kraft zu nehmen. In ihrer Fassung ist allerdings diese Clausel durch die auf die Zukunft berechneten Vorschriften Z. 26—30 mitbedingt, die ihre Stelle zweckmässiger erst hinter jener gefunden hätten.

Eine Förderung unserer Einsicht in die Natur der Phratrienordnung hat die Urkunde der Demotioniden namentlich in doppelter Richtung gebracht. Einmal lehrt sie, dass die Phratrie in eine Anzahl von kleineren Verbänden, θίασοι zerfiel, denen wir nicht bloss das Dekeleerhaus, sondern auch ein Geschlecht Demotionidai zuzurechnen haben, falls es nicht bereits ausgestorben war. Jedenfalls hatte es die leitende Stellung in der Phratrie an jenes verloren, das darum für das im ersten Beschluss verordnete Appellverfahren die An-

wälte der Phratrie zu stellen hat. Zählen die *γένη* nicht den *θίασοι* zu, sondern stehn sie neben ihnen, so sind von den *θιασῶται* nicht verschieden die *ὀργεῶνες*, die neben den *ὁμογάλακτες* oder *γεννῆται* als gleichberechtigte Mitglieder der Phratrien in dem bekannten von Philochoros bewahrten Gesetz erscheinen, das sicherlich nicht bloss éiner Phratrie gegolten hat. Das Andere ist, dass der schon durch den Pachtvertrag der Dyaleis belegte locale Charakter der Phratrien neue und eclatante Bestätigung findet. Hierauf gründete Schöll in scharfsinniger Ausführung seinen Satz, dass seit Kleisthenes der Demos den Mittelpunkt der Phratrie gebildet habe. Voraussetzung dafür war die zuerst von Platner und Sauppe aus einer Aeusserung der Aristotelischen Politik abgeleitete und dann namentlich von Buermann eingehend begründete Lehre, dass Kleisthenes die Phratrien einer durchgreifenden Neuordnung unterzogen habe. Auffallenderweise fehlt es dieser Lehre auch heute nicht an Vertretern, wiewohl ihr durch das unzweideutige Zeugniss der neugefundenen *πολιτεία Ἀθηναίων* aller Boden entzogen ist. Gegenüber deren ganz präciser Angabe *τὰ δὲ γένη καὶ τὰς φρατρίας καὶ τὰς ἱερεωσύνας εἴασεν ἔχειν ἑκάστους κατὰ τὰ πάτρια*, die ein verschiedenes Verhalten gegenüber den Phratrien und den Geschlechtern vollkommen ausschliesst, kann die Stelle der Politik darum nicht in die Wagschale fallen, weil sie die Frage offen lässt, wieviel von den zur Förderung der Demokratie empfohlenen Massnahmen auf Rechnung des Kleisthenes kommt: *ἔτι δὲ καὶ τὰ τοιαῦτα κατασκευάσματα χρήσιμα πρὸς τὴν δημοκρατίαν τὴν τοιαύτην, οἷς Κλεισθένης τε Ἀθήνησιν ἐχρήσατο βουλόμενος αὐξῆσαι τὴν δημοκρατίαν καὶ περὶ Κυρήνην οἱ τὸν δῆμον καθιστάντες. φυλαί τε γὰρ ἕτεραι ποιητέαι πλείους καὶ φρατρίαι καὶ τὰ τῶν ἰδίων ἱερῶν συνακτέον εἰς ὀλίγα καὶ κοινὰ καὶ πάντα σοφιστέον ὅπως ἂν κτλ.* Höchstens auf den Ausweg könnte man verfallen, die alten Phratrien durch Kleisthenes in unverändertem Bestande belassen, aber neue ihnen an die Seite gestellt zu denken.[1])

---

1) So zuerst Böckh *Heidelberger Jahrbücher* 1818 S. 316 = *Kl.*

Aber auch dieser Gedanke muss selbst abgesehen davon, dass er dem Wortlaut der Politikstelle nicht einmal gerecht wird, an der Zwecklosigkeit einer solchen Massnahme scheitern. Da die bürgerliche Vollberechtigung an die Theilnahme an den in den Phratrien gepflegten Culten gebunden war, so können die beiden untern Stände der Agroiken und Demiurgen wenigstens damals nicht mehr ausserhalb der Phratrien und Phylen gestanden haben, als Drakon allen denen politische Rechte verlieh, die eine Waffenrüstung zu beschaffen im Stande waren. Für die von Kleisthenes eingebürgerten Fremden aber werden die vorhandenen Phratrien Raum genug geboten haben. Je mehr ihm darauf ankam, die alte Volkstheilung ihrer staatlichen Bedeutung zu entkleiden, um so weniger konnte es in seinem Interesse liegen, die Phratrien in sein Reformwerk mit einzubeziehen. Schwerlich würde die Vermehrung der Phratrien überhaupt so vielen Glauben gefunden haben, wenn nicht mehrfache Gründe veranlassten, in ihnen kleinere Körperschaften zu erblicken, deren Mitglieder in lebendigem Zusammenhange mit einander standen. Diese Gründe sind besonders von Sauppe entwickelt und durch den Fund der Urkunden der Dyaleis und Demotionidai nur vermehrt worden. Wenn in dem Pachtvertrag des *κοινὸν Δυαλέων,* in welchem doch wohl zwei Phratrien vereinigt zu denken sind, beide Phratriarchen ebenso wie der Pächter dem einen Demos Myrrhinus angehören, in dessen Gebiet auch das verpachtete Grundstück liegt, und wenn die Phratrie der Demotionidai in ähnlichem Verhältniss zum Demos Dekeleia steht, so geht es doch unmöglich an, die Gesammtzahl der attischen Phratrien auf zwölf zu beschränken. Aber was man daraus für die Kleisthenischen Phratrien gefolgert hat, das hat schon für die vor-Kleisthenischen seine Gültigkeit[1]), auf die

---

Schriften VII S. 232 und jüngst namentlich Raeder *Athens politiske udvikling* (Christiania 1893) ekskurs 5.

1) Nur die Möglichkeit einer Vermehrung der Phratrien vor Kleisthenes finde ich bei Francotte *l'organisation de la cité Athénienne* p. 78 anerkannt, aber im Zusammenhang mit dem unannehmbaren Satz, dass

nun auch der weitere Schluss auszudehnen ist, den man aus der bekannten Aeusserung des Aischines auf die Zuordnung nichtadeliger Verbände zu den adeligen Geschlechtern gezogen hat. Indessen braucht man dem überlieferten Zahlenschematismus über die Eintheilung der alten Phylen mindestens für das oberste Theilungsglied der Phratrien die Glaubwürdigkeit um so weniger abzusprechen, als in ihrer anfänglichen Zwölfzahl die Tradition von der Zwölfzahl der attischen Städte die einfachste Erklärung findet. Auf eine Bestimmung des Zeitpunktes freilich, zu dem die Eröffnung der Phratrien für den Demos ihre Vermehrung und Erweiterung zur Nothwendigkeit machte, wird man immer verzichten müssen. Dagegen ist Kleisthenes den Phratrien gegenüber auch darin conservativ verfahren, dass er die Zugehörigkeit zu ihnen als Voraussetzung für Ausübung des Bürgerrechtes festhielt, die auch der Neubürger durch Eintritt nicht bloss in die neugeschaffenen Verbände der Demen und Phylen, sondern auch in die überkommenen Phratrien zu genügen hatte. Und diese Verpflichtung hat bis tief in das zweite Jahrhundert hinein in Kraft gestanden, wie die stehende Formel der Bürgerdiplome *καὶ εἶναι αὐτῷ γράψασθαι φυλῆς καὶ δήμου καὶ φρατρίας ἧς ἂν βούληται* beweist. Die Varianten, denen diese Formel noch um die Wende des vierten und dritten Jahrhunderts unterzogen worden ist [1]), zeigen, dass sie damals noch nicht zur Bedeutungslosigkeit herabgesunken war, wie auch bei den Rednern die Berufung auf das Zeugniss der Phrateren niemals fehlt, wo es sich um den Erweis familienrechtlicher Ansprüche handelt.

---

die Reform des Kleisthenes ihre weitere Vermehrung erleichtert habe, weil er ihnen den Charakter staatlicher Einrichtungen genommen habe.

1) Vgl. Dittmar in diesen Studien XIII S. 153 ff.

J. H. Lipsius.

Druck von J. B. Hirschfeld in Leipzig.

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

O. RIBBECK H. LIPSIUS C. WACHSMUTH

SIEBZEHNTER BAND

Erstes Heft.

LEIPZIG
VERLAG VON S. HIRZEL
1895.

DE

CODICUM ISOCRATEORUM

AUCTORITATE

SCRIPSIT

ENGELBERTUS DRERUP.

Papyro Britannico orationis „de pace" reperto codicibus Isocrateis tractandis me dedi, cum neglectos fere cognovissem. Nam praeter Urbinatem a Martino atque Buermanno accurate examinatum codices vulgatos a Buermanno distinctos quidem, sed nullo modo absolutos vidi, necdum effectum, qua ratione codices, qui aetatem tulerunt, cohaererent. Atque primum codicis Urbinatis familia constituenda erat, quod ut assequerer, suadente I. Hermanno Lipsius, viro illustrissimo doctissimoque, ante annum in Italiam profectus non solum codicibus Vaticano *Δ* et Ambrosiano *E* conferendis operam dedi, sed etiam in codices *ΓΘΛΞ* inquisivi, cum codicis Scaphusiani *Z* excutiendi facultas in bibliotheca universitatis Lipsiensis mihi oblata sit. Sed quaestionem ad finem non perduxissem, nisi Buermanni opibus adiutus essem, cui hoc loco gratias ago quam maximas. Neque Kenyonis, viri humanissimi, obliviscar, qui nova de papyro Britannico libenti animo mecum communicavit. Quaestionem autem sic instituam, ut priore dissertationis parte Urbinatis familiam tractem et nonnulla de codicibus vulgatis addam, altera parte communi codicum servatorum archetypo probato codicum necessitudinem diiudicem.

PARS I.

A. De codicis Urbinatis familia.

Codex Urbinas 111 = Γ.

Postquam Martinus[1]) codicis Urbinatis CXI historiam diligenter tractavit, H. Buermannus[2]) toto codice accuratissime excusso in eius correctionibus examinandis summum acumen praestitit, ut iudicium de iis factum esse videatur. Ipse in hoc codice pervestigando nonnullos dies versatus cognovi, quam difficili munere Buermannus functus sit. Atque in universum Buermanno assentior, quamquam difficultate materiae considerata vix omnibus locis meo iudicio uti possum.

Unum addo: Buermannus correctores 1^b et 2 aliud exemplum etsi cum Urbinate artissime coniunctum adhibuisse collegit ex emendationum natura, quibus ubique fere veram Isocratis manum restitutam esse censet. Sed correctores illos in verbis corruptis expoliendis aliud exemplar adiisse concedere non possum. Argumento utor loco orationis „contra sophistas“ § 18, ubi corrector 1^b ad verbum q. e. *τελέως* in margine *τὸ τέλειον* addidit, quod ex communi vulgatae memoria sumptum est. Sed cum Urbinatis archetypum cum exemplari quodam, quod ad vulgatam propius accedit collatum fuisse ex verbis prima manu litteris uncialibus in margine adscriptis concludatur, hanc quoque varietatem ad archetypum ipsum refero, in quo eam in margine adnotatam fuisse puto.

1) M. Albert Martin: Le manuscrit d'Isocrate Urbinas CXI de la Vaticane. Description et histoire. Recension du Panégyrique. Paris 1881. In ephemeride: Bibliothèque des écoles françaises d'Athènes et de Rome, fascicule vingt-quatrième.

2) H. Buermann: Die handschriftliche Überlieferung des Isocrates. II. Der Urbinas und seine Verwandtschaft. Berlin 1886.

Eodem modo explicanda sunt haec verba τοῖς ἄλλοις, quae corrector 2 in margine ad IV 6 πρότερον apposuit. Quod de ceteris quoque mutationibus valet: id enim pro certo habeo, correctorem archetypi in verbis illis discrepantibus in margine adscribendis non substitisse, sed etiam in textu quaedam correxisse, cf. IV 104: δι$\overset{\omega}{o}$ικοῦμεν *Γ* pr. Librarius autem ea praebere studuit, quae prima manu scripta in archetypo invenit, quod quidem ex variis lectionibus in margine additis apparet. Itaque loci, quibus verba a correctoribus 1^b et 2 mutata cum vulgata faciunt, ut

V 94. ην *Γ* pr.; που add. *Γ* corr. 2 *ΘΔΠ*.
147. τῆς *Γ* pr.; τῆς ἐν *Γ* corr. 2 *ΘΔΠ*.
IV 93. πεζῆς *Γ* pr.; τῆς add. *Γ* corr. 2 $ΘΔΘ^{α}Δ^{α}$.
122. ποθέσαι *Γ* pr.; ποθῆσαι *Γ* corr. 1^b *ΘΔ*.
162. ἑκατόμνως *Γ* pr.; ἑκάτομνος *Γ* corr. 1^b *Θ*,

eius correctoris indicium mihi praebent, qui Urbinatis archetypum perscrutatus est. Quo concesso Buermanni lex quodammodo infringitur, quae verba a correctoribus 1^b et 2 emendata eadem de causa qua quae primae manus sunt recipi iubet, nisi lectionum natura vetetur.

Codex Vaticanus 936 = *Δ*.

Codex bombycinus saec. XIV foliis 234, quae 23 cm. alta, 15 cm. lata sunt, duodeviginti Isocratis orationes eiusque epistulas continet atque Themistii orationes quasdam. Desunt, quae in codice Urbinate quoque omissae sunt, orationes „in Euthynum“ et „in Callimachum“ atque insuper oratio „de bigis“. Ad orationum autem ordinem, quem ab Urbinate discrepantem Buermannus[1] indicavit, addendi videntur foliorum numeri, qui sunt hi:

Helena f. 1^a; Euagoras f. 6^a; contra sophistas f. 12^b; Busiris f. 14^b; ad Demonicum f. 18^b; ad Nicoclem f. 23^a; Nicocles f. 27^b; de pace f. 33^b; Aegineticus f. 46^a; Trapeziticus f. 51^a;

1) H. Buermann: Die handschriftliche Überlieferung des Isocrates. I. Die Handschriften der Vulgata. p. 4. Berlin 1885.

in Lochiten f. 57[a]; Archidamus f. 59[a]; Areopagiticus f. 70[a]; Plataicus f. 78[b]; Philippus f. 85[a]; Panathenaicus f. 100[a]; Panegyricus f. 127[a]; de permutatione f. 145[b]—183[b].

Sequuntur Themistii orationes, quarum plenas inscriptiones reddo:

184[a] *Θ]εμιστίου σοφιστοῦ καὶ ἐπάρχου λόγος περὶ τῶν ἠτυχηκότων ἐπὶ οὐάλεντος,* i. e. Dd. (= Dindorfii) VII.

190[a] *Τ]οῦ αὐτοῦ ἐπὶ τῆς εἰρήνης οὐάλεντι* = Dd. X.

194[b] *Θ]εμιστίου προτρεπτικὸς οὐαλεντινιανῷ νέῳ* = Dd. IX.

197[b] *Τ]οῦ αὐτοῦ ὑπατικὸς εἰς τὸν αὐτοκράτορα ἰοβιανόν* = Dd. V.

200[b] *Ε]ἰς τὸν αὐτοκράτορα κωνσταντῖνον* (sic A pro *κωνστάντιον*) = Dd. IV.

211[b] *Π]ρὸς τὸν ἀξιώσαντα* [*τοὺς ἀξιώσαντας* A] *λέγειν ἐκ τοῦ παραχρῆμα* = Dd. XXV.

[Hic fortasse oratio „*περὶ τοῦ αὐτοκράτορος ἐγκωμιάσαντος αὐτὸν πρὸς τὴν γερουσίαν χαριστήριος* = Dd. II, quam Bekkerus enotavit, inserta est, cum oratio „*πρὸς τοὺς ἀξιώσαντας λέγειν ἐκ τοῦ παραχρῆμα*" apud Dindorfium duas tantum paginas expleat. Equidem titulum orationis non animadverti, neque amicus Schneemannus, qui postmodo librum inspexit, eum repperit.]

219[a] *Ε]ἰς τοὺς σοφιστὰς τοῦ αὐτοῦ* i. e. *προτρεπτικὸς νικομηδεῦσιν εἰς φιλοσοφίαν* = Dd. XXIV, quae oratio in f. 222[b] abrumpitur his verbis: *καὶ ἐκείνων ἀπολωλότων.*

Themistii orationes excipiunt Isocratis epistulae, quae eodem ordine atque in codice *Γ* in foliis 223—234 exstant.

Quaterniones, quibus codex compositus est, octona constanter folia complectuntur duobus exceptis (f. 57—62 et 71—76), quorum uterque sena folia habet. Ultimi autem, qui ad Isocratis orationes attinet inde a f. 181 quaternionis tria tantum folia reliquis excisis scripturam exhibent. Themistii orationes, quae ab Isocrate separandae sunt, quinque quaternionibus continentur, cum Isocratis epistulae duorum quaternionum duodecim folia occupent. Folia vacua hic quoque postea excisa sunt.

Codicis litterae ubique sibi constant; sed cum tres illae partes propter quaterniones dissociatos inter se seiungi debeant, Themistii orationes inter Isocratis orationes et epistulas interiectas esse opinor eo tempore, quo liber conglutinatus est. Involucrum autem codici datum est temporibus papae Pauli V. Borghesii (1605/21), quod ex principum illorum signo (aquila et grypho) impresso patefit. Quo facto folia in superiore angulo dextro numeris notata esse verisimile est, cum eum iam ordinem sequantur, quem nunc in codice deprehendimus.

Initio libri ante Isocratearum orationum quaterniones duo folia chartacea inveniuntur, quorum posterius haec verba exhibet: „C. garatonus | Sermones Isocratis ac Themisti | Saec. XIV | 936“ et in inferiore margine „Sermones hysocratis atque temystij“; in priore folio Isocratearum orationum index cum nota „multi pretii codex“ H. Amatii manu compositus legitur.

Librarius, qui codicem exaravit, inscriptiones atque primam quamque partium maiorum litteram rubricatori supplendas reliquit. Is autem non nisi in prioribus Isocratis orationibus munus suum absolvit, quo effectum est, ut in Themistii quoque orationum titulis prima ubique littera desideretur.

Correctorum quattuor manus secernendae sunt; sed de his agere non licet, antequam constituerimus, ex quo fonte codex Vaticanus originem duxerit, quia hoc probato de correctionum pretio inter nos facilius conveniet.

Iam ex Bekkeri editione innotuerat codicem Vaticanum Δ artissimis vinculis cum codice Urbinate cohaerere, cum apud Bekkerum [1]) haec inveniantur: „communem huius cum Urbinate originem arguit communis in extrema antidosi lacuna“. Ex eodem autem archetypo Vaticanum codicem derivatum esse atque codicem Urbinatem, confirmabat consensus lectionum, cum causae deficere non viderentur, quae impedirent, quominus codicis Vaticani origo ad ipsum Urbinatem referretur. Quae causae erant hae:

1) Oratores attici ex recensione Immanuelis Bekkeri. Tom. II. Isocrates. p. 3. Berol. 1823.

1. orationum ordo, quo codex Δ a codice Γ distat;

2. oratio „de bigis“ omissa;

3. lectiones quaedam, quibus codex Vaticanus ab Urbinate discedere et interdum solus veram Isocratis manum servare videbatur. Attamen difficile non est intellegere, quo modo haec differentia orta sit.

Etenim ordinis orationum dissensus non ita gravis est, ut explicari non possit, cum ordinem sic videamus mutatum: Euagora et Busiride inter se commutatis oratio „de pace“ locum occupavit ante Archidamum, Areopagiticum, Plataicum, qui Philippum, Panathenaicum, Panegyricum praecedunt. Inter Aegineticum et orationem „in Lochiten“ primum orationes „de permutatione“ et „de bigis“ omissae sunt, quarum priorem quidem librarius in fine libri addidit; tum reliquae orationes: Aegineticus, Trapeziticus, in Lochiten inter orationem de pace et Archidamum insertae sunt. Sed id certe negari nequit, semper triadas quasdam orationum priorem ordinem servasse, sicut: ad Demonicum, ad Nicoclem, Nicoclem; Archidamum, Areopagiticum, Plataicum; Philippum, Panathenaicum, Panegyricum. Quocum si conferas ea, quae de codice Θ et Photii libro inter se coniunctis in altera dissertationis parte exposui, facile mihi concedes diversitatem librarii cuiusdam libidine exsistere potuisse.

Quacum orationum ordinis perturbatione videtur conexa esse oratio „de bigis“ omissa. Orationis enim „de permutatione“ finem inde a verbis § 320 *καταλύσω τὸν λόγον* atque orationis „de bigis“ initium usque ad verba § 3 *τὰς κοινὰς αἰτίας* uno archetypi folio interciso ab Urbinatis librario neglecta esse satis notum est. Atque fine orationis „de permutatione“ in codice Urbinate a correctore quarto ex vulgatae quodam exemplari in margine adscripto, orationis „de bigis“ principio supplendo locus non est relictus. Quae cum ita se habeant, mirari non licet, quod codicis Vaticani librarius extremam partem orationis „de permutatione“ omisit, quam corrector secundus postea subiunxit, praesertim cum librarius verba a correctore quarto in codice Urbinate mutata in prioribus

quidem orationibus plane neglexerit. Quamobrem oratio „de bigis“, quae primum omittenda erat, postea oblivioni data est, quocum plane conveniunt correctiones quartae manus in codice Urbinate, quae ad orationem „de bigis“ primum quidem praeteritam non recurrit.[1])

Tertia quoque causa cadit, cum differentiae codicis Vaticani ex ipso Urbinate explicentur. Orationes IX et X quidem, in quibus Bekkerus magnam varietatum copiam indicavit, non contuli, sed sufficit oratio XIII, quam Bekkerus quoque excussit. Qua in oratione codex Vaticanus his locis ab Urbinate discrepare videbatur:

§ 4. *Δ* *ἠμφισβήτησαν* = *Λ*: *Γ* secundum Bekkerum *ἠμφεσβήτησαν*; habet autem: *ἠμφ·σβήτησαν* pr.; *ι* in ras. 1 litt. corr. 1[b].

§ 9. *Δ* *τῶν μισθῶν*: *Γ* *τοῦ μισθοῦ* pr. = *ΘΛ*; *τῶν μισθῶν* litt. unc. in mg. add. pr.

§ 12. *Δ* *πολιτικοῦ*: *Γ* *ποιητικοῦ* pr.; *πολιτικοῦ* litt. unc. in mg. add. pr.

§ 15. *Δ* pr. *χρησιμωτέρως* [in mg. add. 2 *γρ. φρονιμωτέρως*]: *Γ* *φρονιμωτέρως* pr.; *χρησιμωτέρως* litt. unc. in mg. add. pr.

§ 19. *Δ* pr. *ὑπόσχεσιν* [in mg. add. 2 *γρ. ὑπόθεσιν*] = *Γ*, qui non habet *ὑπόθεσιν* [= *ΘΛ*], sed ipse *ὑπόσχεσιν*.

§ 21. *Δ* pr. *συμπαρ* . . . . . . *σασθαι* [*συμπαρασκευάσασθαι* (= *ΘΛ*) in ras. corr. 2]: *Γ* *συμπαρακελεύσασθαι*, quod cod. *Δ* prima manu exhibuisse videtur.

Quibus causis reiectis codicem Vaticanum *Δ* ex codice Urbinate effluere potuisse non negabimus, quod idem iam Buermannus propter lacunam in fine orationis „de permutatione“ contendit (I p. 3).

Sed restat sane varietas lectionum, quae primo quidem obtutu codicis Vaticani originem ad archetypum potius Urbinatis referre videatur. Comparanti mihi hanc discrepantiam in orationibus II, IV 51/99, VIII, XIII eae lectiones in censum

---

1) Buermann II p. 18.

non venerunt, quae correctionibus in Urbinate repertis expediebantur. Neque in ea diversitate haesi, quae librariorum libidini danda attinet ad ν, quod dicitur ἐφελκυστικόν, ad ι subscriptum vel adscriptum, ad elisionem, accentum, spiritum.

Ex diversis autem lectionibus primum eae abiciendae sunt, quae in orationum partibus in antidosi repetitis semel vel in ipso orationum contextu vel in oratione „de permutatione" inveniuntur. Eae enim orationum II, IV, VIII partes, quae in antidosi codicis Γ primis tantum atque ultimis verbis significantur, in codice Vaticano plene exscriptae ex ipsis codicis Urbinatis verbis pendent, quod infra docebo. Qua de causa iis locis, quibus vel Δ vel Δ^{α} (i. e. Δἀντιδόσεως) cum Urbinate faciunt, scriptura codicis Δ^{α} aut Δ ab Urbinate diversa a librario corrupta est neque quidquam ideo ponderis habet. Quae varietates his locis leguntur:

II 17. γίγνου ΓΔ^{α}: γίνου Δ = Λ. 23. ποιεῖσθαι ΓΔ^{α}: ποιεῖεῖσθαι Δ. 24. διανοίας καὶ νομίζειν ὑπὲρ τῆς αὐτῶν σωτηρίας om. Δ^{α} pr.; in ras. 9—10 litt. add. 2. 32. ὁ μὲν γὰρ θνητὸς, ἡ δ' ἀθάνατος om. Δ^{α} pr.; in mg. add. 2. 36. βασιλεῖς ΓΔ = Θ^{α}: βασιλέας Δ^{α} = ΛΠ. 36. μέμνησο ΓΔ: μέμνηστο Δ^{α}. 37. πράξεις ΓΔ^{α}: πράξης Δ.

IV 55. ὑπὸ τῇ καδμείᾳ ΓΔ^{α}: τῇ om. Δ pr., s. v. add. 2. 60. κατέστη ΓΔ: κατέστημεν Δ^{α}. 61. μεσσήνην ΓΔ: μεσήνην Δ^{α} = ΘΛΘ^{α}. 65. περὶ μὲν τῆς ἐν τοῖς ΓΔ: τῆς ἐν om. Δ^{α}. 65. ἄν τις ΓΔ^{α}: om. Δ pr., s. v. add. 2. 68. νομίζοντες ΓΔ^{α}: om. Δ pr.; δοκοῦντες in mg. add. 3. 70. προσοικοῦντες ΓΔ^{α}: προσηκοῦντες Δ. 74. κατακεχρῆσθαι ΓΔ^{α}: κεχρῆσθαι Δ. 76. ἀπέλαυον μὲν ΓΔ: ἀπέλαβον μὲν Δ^{α}. 77. τὰς ἀλλήλων ΓΔ^{α}: τὰς ἄλλων Δ. 78. ἀλλ' ἀπ' ὀλίγων συνθημάτων om. Δ pr.; in mg. add. 2. 83. ὑπὲρ ΓΔ: οἵ περ Δ^{α}. 84. ἐκείνων ΓΔ^{α}: ἐκεῖνοι Δ = ΘΛΘ^{α}Λ^{α}. 86. ἔφθησαν ΓΔ^{α}: ἔφθασαν Δ. 96. οἷοί τ' ἦσαν ΓΔ: οἷ τ' ἦσαν Δ pr., corr. 2.

VIII 27. ὑμετέρας ΓΔ: ἡμετέρας Δ^{α}. 29. βιαζώμεθα ΓΔ: βιαζόμεθα Δ^{α}. 35. προῃρημένων ΓΔ^{α}: προ · ρημένων Δ (ras. non expleta). 38. τοῖς βαρβάροις Γ pr. = Δ^{α}, τοὺς βαρβάρους Γ corr. 4: τοῦ (?) βαρβάρους Δ pr., τοὺς βαρβάρους

corr. 3. 38. *χρήσωμαι* $\Gamma\Delta^{\alpha}$: *χρήσομαι* $\Delta = \Lambda\Pi\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$. 38. *ὥσπερ περὶ* $\Gamma\Delta^{\alpha}$: *περὶ* om. Δ pr., s. v. add. 1 (?). 38. *ὑμᾶς* ΓΔ: *ἡμᾶς* Δ^{α}. 47. *ὅσο·* Γ pr. (*ὅσω*?), *ὅσων* corr. 4 = Δ^{α}: *ὅσω* Δ. 51. *ὀλιγαρχικοὺς ὄντας* $\Gamma\Delta^{\alpha}$: *ὄντας* om. Δ. 55. *ἐκεῖ σοφωτέρους* ΓΔ: *ἐκεῖσε σοφοτέρους* Δ^{α}. 134. *ἐκεῖνο καταμαθόντες ὅτι μιᾶς μὲν* om. Δ pr.; in mg. add. 1[a]. 137. *ἄξουσιν* $\Gamma\Delta^{\alpha}$: *ἕξουσιν* Δ. 137. *εἴδωσιν* ΓΔ [*εἰδῶσιν* Bl.]: *ἴδωσιν* $\Delta^{\alpha} = \Lambda\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$.

Quomodo dimidiae fere lectionum differentium parti auctoritas detracta est, quarum nonnullas certe absque hoc argumento librarii errori haud facile adscripsisses. Inter eas autem, quae restant, permultae sunt, quas librarii socordiae deberi manifestum est:

II 19. *δεδαπανημένων* Γ: *δαπανημένων* Δ pr., *δε* add. corr. 2. 24. *πρὸς ἑαυτὸν* Γ: *πρὸς σεαυτὸν* Δ = ΛΠ. 44. *ἔσπουσαν* Γ pr., *ἔσπευσαν* corr. 2: *εὔσπευσαν* Δ. 47. *λοιδορουμένους* Γ: *λοιδορομένους* Δ pr., corr. 3. 49. *ἀκουστοὺς* Γ: *ἀκουστὸς* Δ pr., *ἀκουστὰς* corr. 3 (cf. *θεατοὺς*).

IV 97. *αὐτοὶ σωθήσεσθαι* Γ: *αὐτοῖς ὠθήσεσθαι* $\Delta\Delta^{\alpha}$ pr., corr. 2.

VIII 7. *ἡμεῖς* Γ: *ὑμεῖς* Δ, cf. *γενώμεθα*. 9. *ὑμᾶς* Γ: *ἡμᾶς* Δ, cf. *συνεληλύθατε*. 15. *ἣν μὴ καὶ* Γ: *ἣν καὶ μὴ* Δ [ubi *μὴ* ad *βουλευσώμεθα* referendum est, non ad *περὶ τῶν λοιπῶν*. Exempla autem transmutationis verborum postea correctae in Δ haec sunto: IV 62. $\overset{\beta}{\text{οὖσαν}}$ $\overset{\alpha}{\text{αἰτίαν}}$ pro *αἰτίαν οὖσαν*; 98. $\overset{\beta}{\text{εἰπεῖν}}$ $\overset{\alpha}{\text{ἐστι}}$ pro *ἐστὶν εἰπεῖν*]. 56. *πλημμελείας* Γ: *πλημελείας* $\Delta\Delta^{\alpha}$. 62. *ὑμῖν* Γ: *ἡμῖν* Δ, cf. *ἀποκρίσεως . . ἀρεσκούσης*. 85. *προστείων* Γ pr., corr. 2: *προαστίων* Δ pr., corr. 1[a]. 88. *ληξιαρχικὰ* Γ: *ληξειαρχικὰ* Δ. 89. *ἀντηλλαγμένοι* Γ: *ἀντηλαγμένοι* Δ. 95. *ἑπτακοσίοις* Γ: *ἑπακοσίοις* Δ. 95. *ἔτεσιν* Γ: *ἔετεσιν* Δ. 106. *εὑρήσετε* Γ: *εὑρήσεται* Δ. 107. *οὐχ οὕτω* Γ: *οὕτω οὐχ οὕτω* Δ pr.; *οὕτω* priore loco expunctum. 128. *ὥστ'* Γ: *ὥσστ'* Δ. 132. *συναγαγὸν* Γ pr., *συναγαγὼν* corr. 1: *συναγωγῶν* Δ.

XIII 5. δ' οὐδεπώποτε Γ: δ' οὐπώποτε Δ. 17. τὸν μὲν μαθητὴν $Γ^α$: τὸν μὲν μαθητεῖν $Δ^α$, cf. τὸν δὲ διδάσκαλον.

Supersunt hae lectiones:

II 4. τὸν τῶν τυράννων Γ: τὸν om. Δ (cf. τὸν τῶν ἰδιωτευόντων). 9. προσήκειν αὐτοῖς Γ: αὐτοῖς om. Δ. 35. βουλεύσει Γ: βουλεύσῃ Δ = ΔΠ.

IV 61. πόλιν τὴν Γ: πόλιν τῶν Δ = Λ.

VIII 9. ὥσπερ δ' ἤδη Γ: ὡς δ' ἤδη Δ. 22. διὰ πρεσβείας ῥᾳδίως Γ: ῥᾳδίως διὰ πρεσβείας Δ. 92. ἃ καὶ Γ: καὶ om. Δ pr., add. corr. 1^a. 103. τοὺς δὲ χρωμένους ἀπολλυούσαις om. Δ pr.; s. v. add. 1^a.

XIII 2. προγινώσκειν Γ: γιγνώσκειν Δ pr., προ s. v. add. corr. 2. 16. ἐφ' ἑκάστῳ Γ: ἀφ' ἑκάστων Δ pr., ῳ corr. 3. 20. δυναμένου Γ: δυναμένους Δ = ΘΛ pr.

Sed ne in his quidem ulla lectio talis est, ut codicis Vaticani fontem ab Urbinate diversum sumere cogat, praesertim cum eiusdem generis varietates inter eas, quas modo commemoravi, reiciendae essent. Quapropter nihil impedit, quin codicis Vaticani originem ad Urbinatem redire censeamus, quocum totius sermonis congruentia codicem Δ comparat.

Firmissimum tamen argumentum ex verbis in Urbinate correctis peto, quia codicem Vaticanum ex ipso Urbinate pendere liquet, si non solum correctorum 1, 1^b, 2, quos codicem Γ ex ipsius archetypo correxisse demonstravi, sed etiam ceterorum: 1^a, 3, 4, qui Urbinatem cum codicibus vulgatae memoriae contulerunt, vestigia in codice Vaticano inveniuntur. Quod cum optime mihi cesserit, sed ita quidem ut librarium in correctionibus codicis Urbinatis recipiendis nunc hac, nunc illa ratione usum esse viderem, uberius de hac re agere operae pretium est.

Et correctorum 1 et 1^b quidem omnes fere mutationes in codicis Vaticani textu leguntur duobus locis exceptis, quibus lectiones, quas prima Urbinatis manus exaravit, in codice Vaticano iniuria probatae sunt: II 89. θρυλλοῦσιν Γ pr. $ΔΘ^α$: θρυλοῦσιν Γ corr. 1^b $ΘΛΔ^α$; IV 69. κατόρθωσαν Γ pr. Δ: κατώρθωσαν Γ corr. 1^b ΘΛ. Addo eiusdem orationis locum

§ 57, quo verbum q. e. ἀξιοῖν prima manu in Γ scriptum in Δ^α, ἀξιοῦντας autem, quod rectissime corrector 3 restituit, in Δ reperitur. Postquam etiam unum illud scholium, quod Buermannus (II p. 8) ex Urbinate attulit, in codice Vaticano in margine adscriptum esse notavi, paucis exemplis emendationes correctoris 1^b in codicem Vaticanum receptas illustrabo:

IV 85. ἐφιλονίκησαν Γ pr.: ἐφιλονείκησαν corr. 1^b = ΔΔ^α. 93. στρατείας Γ pr.: στρατιᾶς corr. 1^b = ΔΔ^α. 96. ἐμπιπραμένους Γ pr.: ἐμπιμπραμένους corr. 1^b = ΔΔ^α.

VIII 45. ἡμετέρων Γ pr.: τῶν add. 1^b = ΔΔ^α. 121. οιπερ Γ pr.: ὅ·περ corr. 1^b = Δ. 134. δίττους Γ pr.: δ' ἥττους corr. 1^b = ΔΔ^α.

XIII 1. καὶ μείζους Γ pr.: μὴ s. v. add. 1^b = Δ. 18. τελείως Γ pr.: τὸ τέλειον in mg. add. 1^b = Δ.

Non minore cura librarius correctoris 2 mutationes respexit, cum omnes fere textum depravatum sanaverint, quarum graviores lectoris hic oculis subicio:

II 5. χρῆν Γ pr.: ἐχρῆν corr. 2, Δ = Α. 16. πολιτιῶν Γ pr.: πολιτειῶν corr. 2, Δ. 38. βελτείω Γ pr.: βελτίω corr. 2, ΔΔ^α. 44. ἔσπουσαν Γ pr.: ἔσπευσαν corr. 2 = εὔσπευσαν Δ. 46. φθουσι Γ pr.: φθονοῦσι corr. 2, Δ.

IV 51. φιλοτιμομένους Γ pr.: ου ex ο corr. 2, ΔΔ^α. 54. παλείψω Γ pr.: παραλείψω corr. 2, ΔΔ^α. 59. οὐ γὰρ παρὰ μικρὸν ἐποίησαν propter homoeot. om. Γ pr.: in mg. add. 2, ΔΔ^α. 59. προσδοκίσας Γ pr.: προσδοκήσας corr. 2, ΔΔ^α. 64. ἐφρόνισα Γ pr.: ἐφρόνησα corr. 2, ΔΔ^α. 67. ἀρχικωτα Γ pr.: ἀρχικώτατα corr. 2, ΔΔ^α. 74. παραλεῖφθαι Γ pr.: παραλελεῖφθαι corr. 2, ΔΔ^α. 76. ἀπελαυομεν Γ pr.: ἀπέλαυον μὲν corr. 2 = Δ (ἀπέλαβον μὲν Δ^α). 77. ἢ om. Γ pr.: add. 2, ΔΔ^α. 86. κινδυνεύειν Γ pr. = Θ^α: κινδυνεύσειν corr. 2, ΔΔ^α = ΘΑΔ^α. 88. στρατείας Γ pr.: στρατιᾶς corr. 2, ΔΔ^α. 91. τύχειν Γ pr.: τύχην corr. 2, ΔΔ^α. 93. καὶ πεζῆς Γ pr.: τῆς add. 2, ΔΔ^α = ΘΑΘ^αΔ^α. 96. ἐρήμη Γ pr.: ἐρήμην corr. 2, ΔΔ^α. 99. στρατείας Γ pr.: στρατιᾶς corr. 2, ΔΔ^α.

VIII 10. ὑμᾶς Γ pr.: ἡμᾶς corr. 2, Δ. 10. βούλεσθε Γ pr.: ἠβούλεσθε corr. 2, Δ. 15. ἃ om. Γ pr.: in fine versus

add. 2, Δ. 25. ποιήσομεν Γ pr.: ποιήσωμεν corr. 2, $Δ^α$. 26. οὐδὲν δὲ Γ pr.: τούτων add. 2, $ΔΔ^α$ = Δ. 36. νῦν δέδοικα Γ pr.: δὲ s. v. add. 2, $ΔΔ^α$. 39. γεμούσας Γ pr.: γεμούσαις corr. 2, $ΔΔ^α$. 43. οἱ μὴ Γ pr.: εἰ μὴ corr. 2, $ΔΔ^α$. 44. δεῖ Γ pr.: δεῖν corr. 2, $ΔΔ^α$. 45. ἀγανακτο˜μεν Γ pr.: ἀγανακτῶμεν corr. 2, $ΔΔ^α$. 71. ἑτέροις Γ pr.: ἑτέρους corr. 2, Δ. 73. ταῦτ' ἔχω Γ pr.: ταῦτα ἔχω corr. 2, Δ. 75. καταστάσης Γ pr.: καταστάσεως corr. 2, Δ. 84. στρατειαν Γ pr.: στρατιὰν corr. 2, Δ. 91. τοὺς τοιούτους Γ pr.: τοὺς τοιούτοις corr. 2, Δ. 96. ἐποίησαν Γ pr.: ἐνεποίησαν corr. 2, Δ. 101. αὐτοῖς γεγενῆσθαι τῶν συμφορῶν, ὅτε τὴν ἀρχὴν om. Γ pr. propter homoeot.: in mg. add. 2, Δ. 104. μισηθεν Γ pr.: μισηθέντες corr. 2, Δ. 116. τ(·πολ· τούτωι Γ pr.; τὰ πόλη τούτωι corr. 2: τ·πόλη τούτωι Δ pr.; τω πόλη τούτωι in ras. corr. 1^a(?). 125. ὃν et τῶν ἄλλων ἄρχειν om. Γ pr. propter homoeot.: add. 2, Δ. 142. τῶν πολεμίων Γ pr.: τῶν πολέμων corr. 2, Δ.

XIII 3. καὶ ταυτης της ἐπιστημης ευδαιμονες γενήσονται om. Γ pr., litt. unc. in mg. add. pr.: καὶ διὰ τῆς αὐτῆς κτλ. corr. 2, Δ.

At mutationes a ceteris correctoribus profectas non nisi raro in codice Vaticano invenies. Varietates enim, quas librarius ipse litteris uncialibus in margine adnotavit, in orationibus II et XIII septem tantum locis probatae sunt:

II 11. βασιλεῦσι Γ pr.: βασιλεύουσιν litt. unc. in mg. add. pr. = Δ. 13. καὶ τῶν ἄλλων Γ pr.: καὶ τῶν ἀπόντων litt. unc. in mg. add. pr. = Δ. 29. χαίρειν Γ pr., διατελεῖν litt. unc. in mg. add. pr.: χαίρειν in lacuna add. Δ corr. 2; χαίρειν $Δ^α$ pr., διατελεῖν in mg. add. 1.

XIII 3. καὶ ταυτης της ἐπιστημης ευδαιμονες γενήσονται Γ om. pr.: litt. unc. in mg. add. pr., καὶ διὰ τῆς αὐτῆς κτλ. corr. 2 = Δ. 9. τοῦ μισθοῦ Γ pr.: τῶν μισθῶν litt. unc. in mg. add. pr. = Δ. 12. ποιητικοῦ Γ pr.: πολιτικοῦ litt. unc. in mg. add. pr. = Δ. 15. φρονιμωτέρως Γ pr.: χρησιμωτέρως litt. unc. in mg. add. pr. = Δ pr.

Contra in iisdem orationibus huius generis correctiones novies neglectae sunt.

Correctoris 1^a autem, qui Buermanno teste codicem Urbinatem in prioribus orationibus cum vulgato exemplari comparavit, indicia duobus his locis tenemus:

XIII 10. *πραγμάτων* Γ pr.: *γραμμάτων* in mg. add. 1^a = Δ. 10. *ὅσον* om. Γ pr.: in mg. add. 1^a = Δ.

Neque saepius ut correctorem tertium Urbinatis in codice Vaticano deprehenderem, mihi contigit, cum in iis, quas spectamus, orationibus his novem lectionibus totus exhaustus sit, quarum quinque in una illa oratione quarta, quae paenultimum in codice Δ locum obtinet, occurrere memoro:

II 11. *ὧν* Γ pr.: *ἃ* corr. 3 = Δ. 21. *οἰκειαν* Γ pr.: *οἰκεῖα ἂν* corr. 3 = Δ.

III 2. *ὁ μέγιστος* Γ pr.: *ὁ μεγίστην* corr. 3 = Δ.

XIII 9. *παραλειπειν* Γ pr.: *παραλιπεῖν* corr. 3 = Δ.

IV 57. *ἀξιοῦν* Γ pr. (= $Δ^α$): *ἀξιοῦντας* corr. 3 = Δ. 62. *ἄξιον* Γ pr.: *ἀξιοῦν* corr. 3 = $ΔΔ^α$. 83. *ἧς* vel *ἣν* om. Γ pr.: *ἣν* in mg. add. 3 = $ΔΔ^α$. 99. *ἀξιωθεῖμεν, ἀναγκασθεῖμεν* Γ pr.: *ἀξιωθείημεν, ἀναγκασθείημεν* corr. 3 = $ΔΔ^α$.

Maxime denique notanda est ratio, quam librarius correctionum quartae manus Urbinatis habuit, quas miro quodam modo in prioribus orationibus spreverat. In or. II. 31 enim in cod. Γ post *διὰ τὴν* librarii errore verba q. s. *σὴν ἐπιμέλειαν* exciderunt, quae corrector quartus in rasura supplevit. Quae quamvis necessaria sint, a Vaticani librario non utique probata sunt, cum et ipse haec verba primum omissa in margine adscripserit. Atque cum in or. III, quantum quidem contuli, unam correctionem haud dubie recipiendam invenerim: § 8 *μετὰ τοῦ* Γ pr.: *μετὰ τούτου* corr. 4 = Δ, oratio „contra sophistas" his emendationibus omnino caret. Sed postquam in oratione „de pace" non nisi duo haec correctoris quarti testimonia repperi: § 16. *πρὸ χίους* Γ pr.: *πρὸς χίους* corr. 4 = Δ, et § 137. *ποιήσωσι* Γ pr.: *ποι . . ῶσι* corr. 4 = Δ ($ΔΘ^αΛ^α$), lectionum primae manus conservandarum studium in Panegyrico abiectum esse cognovi. Ubi omnes correctoris quarti mutationes Urbinatis memoriam loco moverunt, duobus locis exceptis (§§ 84 et 97), quibus vulgatae correctoris

lectiones in margine additae sunt: IV 51. *ὑποθέμενος* Γ pr., *ἐρεῖν* in mg. add. 4: *ὑποθέμενος ἐρεῖν* Δ (= ΘΛ). 61. *κατῆλθον* Γ pr. (= Θ^{α}), *μὲν* s. v. add. 4: *κατῆλθον μὲν* ΔΔ^{α} (= ΘΛΛ^{α}). 66. *τῶν πρὸς τοὺς* Γ pr. (= $\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$): *τῶν πρότερον πρὸς τοὺς* in mg. corr. 4, ΔΔ^{α} (= Θ). 68. *κρατήσειν* Γ pr., *ἐπι* s. v. add. 4: *ἐπικρατήσειν* ΔΔ^{α} (= ΘΛ$\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$). 73. *ἀλλὰ διὰ* Γ pr., *καὶ* s. v. add. 4: *ἀλλὰ καὶ διὰ* ΔΔ^{α} (= ΘΛ$\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$). 73. *τοῖν πολέοιν* Γ pr., *ταύταιν* (= ΛΛ^{α}) s. v. add. 4: *τοῖν πολέοιν ταύταιν* ΔΔ^{α}. 83. *πόλιν* Γ pr., *στρατεύσαντες* add. 4: *πόλιν στρατεύσαντες* ΔΔ^{α} (= ΘΛ). 84. *ἐποίησαν* Γ pr. Δ pr. Δ^{α} pr.: *γρ. κατέλιπον* (= ΘΛ) in mg. add. Γ corr. 4, Δ corr. 1, Δ^{α} corr. 1. 91. *ἡμέτεροι* Γ pr., *πρόγονοι* in mg. add. 4: *ἡμέτεροι πρόγονοι* ΔΔ^{α} (= ΘΛ). 96. *κινδυνεύωσιν* Γ pr.: *κινδυνεύσωσιν* corr. 4, ΔΔ^{α} (= ΘΛ$\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$). 97. *ἐμέλλησαν* Γ pr., *λ* eras.; *ἐτόλμησαν* in mg. add. 4: *ἐμελέτησαν* Δ pr., *ἐμέλησαν* Δ^{α} pr.; *γρ. ἐτόλμησαν* (= ΘΛ$\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$) in mg. add. Δ corr. 1, Δ^{α} corr. 1. 99. *δειν·* Γ pr.: *δεινότατα* corr. 4, ΔΔ^{α} (= Θ).

Nihil aliud in „antidosi“ exspectandum erat, ubi omnes illae lectiones, quas modo ex Panegyrico notavi, reperiuntur; quibus repetendis supersedeo. Accedunt ex orationibus II, XIII, VIII haud paucae lectiones, quas hic composui:

II 17. *κειμένοις* Γ pr., *νόμοις* s. v. add. 4: *κειμένοις νόμοις* Δ^{α} (= ΛΠΘ^{α}). 20. *ἡγοῦ* Γ pr., *δὲ* in mg. add. 4: *ἡγοῦ δὲ* Δ^{α} (= ΛΠΘ^{α}). 22. *λόγους ἢ* Γ pr., *μᾶλλον* in mg. add. 4: *λόγους μᾶλλον ἢ* Δ^{α} (= Θ^{α}).

XIII 15. *ζητεῖν* Γ^{α} pr.: *ζῆν* corr. 4, Δ^{α} (= Λ).

VIII 32. *οὔτε πρὸς δόξαν* om. Γ pr.: in mg. add. 4, Δ^{α} (= $\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$). 33. *τοὺς δ' ἄλλους ὧν οὐ* Γ pr., *οὐδὲ γινώσκειν οὐδὲν* in mg. add. 4: *τοὺς δ' ἄλλους οὐδὲ γινώσκειν οὐδὲν ὧν οὐ* Δ^{α} (= $\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$, sed omissa negatione *οὐ*). 36. *φενακίζειν* Γ pr., *ἡμᾶς* in mg. add. 4: *φενακίζειν ἡμᾶς* Δ^{α}. 39. *ἁμαρτανομένους* Γ pr., *ἐξ* in mg. add. 4: *ἐξαμαρτανομένους* Δ^{α} (= $\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$). 44. *ἀλλ' ἀνθρώπους* Γ pr., *αἱρούμεθα* in mg. add. 4: *ἀλλ' ἀνθρώπους αἱρούμεθα* Δ^{α} (= $\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$). 46. *λυμαινόμεθα* Γ pr., *δι' οὓς* in mg. add. 4: *δι' οὓς λυμαινό-*

μεθα $\varDelta^{\alpha}$ (= $\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$ pr.). ·47. ὅσο· Γ pr.: ὅσων corr. 4, $\varDelta^{\alpha}$. 49. καλῶς Γ pr.: κακῶς corr. 4, $\varDelta^{\alpha}$ (= $\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$). 136. μελέταις παρασκευαῖς Γ pr., ταῖς s. v. add. 1[b], καὶ s. v. add. 4: μελέταις καὶ ταῖς παρασκευαῖς $\varDelta^{\alpha}$ (= $\Lambda\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$). 137. ὀκνήσουσιν Γ pr. $\varDelta^{\alpha}$ pr.: γρ. ὁμονοήσουσι in mg. add. Γ corr. 4, $\varDelta^{\alpha}$ pr. (= $\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$). 137. ποιήσωσι Γ pr.: ποι . . ῶσι corr. 4, $\varDelta^{\alpha}$ (= $\Lambda\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$). 139. ἀλλὰ Γ pr., καὶ s. v. add. 4: ἀλλὰ καὶ $\varDelta^{\alpha}$ (= $\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$). 141. λυμαιῶνας Γ pr., supra αι eras. ε, ε ex αι corr. 4: λυμαιῶνας $\varDelta$ pr., λυμεῶνας corr. 1 (= $\Lambda\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$).

Quae omnia collata atque perpensa dubitationem non relinquunt, quin codicem Vaticanum ex Urbinate ipso ortum esse censeamus. Sed fortasse etiam certiora scire licet. Nam etiamsi codicem Vaticanum ad Urbinatem referendum esse constat, dubium adhuc est, quot codicibus interpositis Urbinatis verba ad codicem Vaticanum pervenerint. Quattuor enim saecula inter codicem Urbinatem et codicem Vaticanum exaratos intercesserunt, quae uno fortasse saltu transilienda non sunt. Certa tamen indicia codicem Vaticanum longius ab Urbinate removendum non esse docent.

In oratione VIII § 53/54 enim Urbinatis librarius homoeoteleuto post verbum q. e. προστάτας perductus omnia haec verba iteravit: νέμωσιν, αὐτοὶ δ' οὐκ οἰόμεθα τὴν αὐτὴν λήψεσθαι δόξαν τοῖς προεστῶσιν ἡμῶν. τοσοῦτον δὲ διαφέρομεν τῶν προγόνων, ὅσον ἐκεῖνοι μὲν τοὺς αὐτοὺς προστάτας. Quem quidem errorem corrector 1[b] lineolis curvis in margine appositis significavit; nihilominus in Vaticano quoque tota haec particula repetita legitur. Quin etiam in ea orationis „de permutatione“ parte, quae hunc locum excepit, eadem verba duplicata videmus.

Ex eadem oratione „de pace“ alios quosdam locos affero, qui modo laudatum confirmant:

§ 25. ποιήσομεν Γ pr., ποιήσωμεν corr. 2: ποιησ μεν $\varDelta$ pr., ο supplevit corr. 1[a].

§ 84. δεκελει . . νεστηκότος Γ pr. (erasae sunt 2 litterae), δεκελειασσυνεστηκότος (ασ s. v.) corr. 2: δεκελει [lacuna 9 litt.] κότος $\varDelta$ pr., ασσυνεστη suppl. 1[a].

§ 90. *σιτοδίαις* Γ pr., *σιτοδείαις* corr. 1^b, *γρ. σιτοδοτίαις* in mg. add. 2: *σιτοδ αις* Δ pr., *ει* supplevit 1^a.

§ 131. *εξισωσουσιν* Γ pr., *εξίσωσοῦσιν* corr. 4 = Δ pr., *ἐξισώσουσιν* corr. 1^a.

E ceteris quoque orationibus exempla pauca quamvis non ita significantia arcessere liceat:

II 23. *διαθῆς* Γ pr., *διατίθης* litt. unc. in mg. add. pr.: in Δ syllaba *θῆς* in lacuna a correctore 2 videtur esse addita. 29. *χαίρειν* Γ pr., *διατελεῖν* litt. unc. in mg. add. pr.: in Δ *χαίρειν* in lacunam a correctore 2 insertum est. 32. *κτήματα* Γ pr., *κτητὰ* in mg. add. 3, *κτη . . τὰ* corr. 4: *κτη . . τὰ* Δ (duabus litt. eras.).

IV 91. *ζηλοῦντες* Γ pr. Δ pr.: *ζητοῦντες* Γ corr. 2, Δ corr. 1.

XIII 18. *δικεῖσθαι* Γ pr., *δ$\overset{\alpha}{\iota}$κεῖσθαι* corr. 4: *δ$\overset{\alpha}{\iota}$κεῖσθαι* in ras. Δ corr. 3. 21. *δικαιοσύνηι* Γ pr. Δ pr.; *ι* erasum in Γ et Δ.

Dubitatio enim, quae librarium codicis Vaticani manifesto continuit, commoveri non potuit, nisi ex duabus lectionibus altera eligenda erat. Geminatas autem lectiones, quas codex Urbinas praebet, per longam codicum seriem continuatas esse veri simile non videtur. Sed quominus codicem Vaticanum ex ipso codice Urbinate descriptum esse sumamus, copia lectionum ab Urbinate differentium prohibet, quod altero comprobabo argumento, cum de emendationibus correctoris primi dicturus sum.

Restat, ut eas orationum partes, quas codex Vaticanus in oratione „de permutatione“ exscripsit, tractem. Iudicium enim de ratione, quam inter Urbinatem et Vaticanum codices intercedere statuimus, eo turbari videtur, quod, cum in Urbinate verba ex orationibus II, IV, VIII in antidosi allata primis tantum atque ultimis verbis significata sint, codex Vaticanus totum orationum contextum exhibet. Nam cum codex Urbinas eo quidem, quem ex oratione „contra sophistas“ in antidosi laudavit loco, codices ΘΔ autem in omnibus orationibus in

antidosi excerptis singularem memoriam sequantur (cf. alteram huius dissertationis partem), simile quid in codice Vaticano exspectari potuit.

Sed in hac quoque parte codex Vaticanus nos fefellit, quia in antidosi textum codicis Urbinatis iteratum praebet. Quod arguit praeter generalem consensum locus ille orationis VIII § 53/54 in antidosi quoque duplicatus, cui auctoritatem addunt loci quidam ex ultimis verbis excerptorum illorum petiti. Codicis enim Vaticani vel potius archetypi eius librarius, qui verba orat. II § 14, VIII §§ 25 et 133, IV § 51, quibus orationum partes in antidosi citatae incipiunt, ex Urbinatis in antidosi memoria sumpsit, in orat. II § 39 et VIII § 56 hoc fonte neglecto in ipso Urbinatis textu exscribendo perrexit, quo haec discrepantia in codicem Vaticanum illata est:

II 39. *μεγάλων* Γ^{α}: *μεγίστων* $\Gamma\Delta^{\alpha}$ (= $\Lambda\Pi\Theta^{\alpha}$).

VIII 56. *δ᾽ ἂν τὸ* Γ^{α}: *δ᾽ ἄν με τὸ* $\Gamma\Delta^{\alpha}$ (= $\Lambda\Pi\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$). 56. *πράγμασιν γεγενημένας* Γ^{α} (= $\Lambda\Pi\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$): *πράγμασιν ἐγγεγενημένας* $\Gamma\Delta^{\alpha}$. 56. *ἐπιχειρήσαιμεν* Γ^{α} (= Θ^{α}): *ἐπιχειροίην* $\Gamma\Delta^{\alpha}$ (= $\Lambda\Pi\Lambda^{\alpha}$); sed *ροίην* in lacuna a corr. 2 postmodo additum.

Hoc tamen mirum est, quod verba orationis II eadem ratione in brevius contracta, qua ex codice Θ^{α} solo innotuerunt, in codicis Vaticani antidosi leguntur, cum codex Urbinas huius quoque partis initium tantum atque finem indicaverit. Quo demonstratum esse puto, librario illi codicem quendam vulgatae memoriae praesto fuisse, quem paucis lectionibus exceptis, quas infra commemorabo, hoc solo loco cognoscimus. Duobus autem locis librarius hunc codicem minus accurate respexit, cum in § 24 inepte adderet verba q. s.: *οὕτως ὁμίλει τῶν πόλεων πρὸς τὰς ἥττους* atque in § 29 haec verba in Θ^{α} omissa: *μηδεμίαν συνουσίαν εἰκῇ προσδέχου μηδὲ ἀλογίστως, ἀλλ᾽* retineret.

Quae cum ita sint, neminem contra me pugnaturum esse puto, si codicem Vaticanum Δ ex numero illorum codicum, qui ad Isocratearum orationum verba constituenda valent, delendum esse declaro. Studium igitur, quod in eum con-

vertimus, ad historiam tantum codicum pertinere potest, praesertim cum codex Ambrosianus *E* artissimis vinculis cum eo coniunctus sit. Atque hac de causa uberius de iis quoque agendum est, qui, ut codicem a lectionum corruptarum maculis liberarent, operam dederunt.

Quattuor autem correctores codicis Vaticani secernendi sunt, quorum tres totum codicem retractaverunt. Ex quibus primo loco nominandus est:

corrector primus (1) i. e. codicis librarius, qui et inter scribendum et post opus confectum verba ipsius errore depravata emendavit, cuius exempla nonnulla profero:

II 24. *σεαυτῶν* Δ^{α} pr., *ἑαυτῶν* corr. 1. 26. *ἐπιθυμεῖς* Δ pr., *ἐπιθυμῇς* corr. 1. 54. *δωρὰς* Δ pr., *δωρεὰς* corr. 1. 54. *ἀγωράζεται* Δ pr., *ἀγωράζετε* corr. 1.

IV 76. *τυγχάνει* Δ^{α} pr., *τυγχάνοι* corr. 1.

VIII 22. *δυνασταίαις* Δ pr., *δυναστείαις* corr. 1. 51. *ὀλειγαρχικοὺς* Δ pr., *ὀλιγαρχικοὺς* corr. 1. 71. *ἐπιθυμεῖν* Δ pr., *ἐπιθυμῶν* corr. 1. 81. *γνώσεσθαι* Δ pr., *γνώσεσθε* corr. 1.

Haec autem verba omissa prima manu suppleta sunt:

II 26. *καὶ κακίας* om. Δ pr. (= $\Delta\Pi$), in mg. add. 1. 31. *σὴν ἐπιμέλειαν* om. Δ pr. (= Γ pr.), in mg. add. 1.

VIII 21. *καὶ μετοίκων*: *καὶ* om. Δ pr., s. v. add. 1.

Sed variae quoque lectiones a librario in margine vel supra versum additae sunt, quas ex oratt. II, IV 51/99, VIII, XIII omnes exscripsi:

II 29. *χαίρειν* Γ pr. Δ^{α} pr.: *διατελεῖν* Γ litt. unc. in mg. add. pr. Δ^{α} in mg. 1.

IV 84. *ἐποίησαν* Γ pr. Δ pr. Δ^{α} pr.: *κατέλιπον* Γ in mg. corr. 4, Δ in mg. 1, Δ^{α} in mg. 1 (= $\Theta\Delta$). 97. *ἐμέ·λησαν* (*λ* eras.) Γ pr. Δ^{α} pr. (*ἐμελέτησαν* Δ pr.): *ἐτόλμησαν* Γ in mg. 4, Δ in mg. 1, Δ^{α} in mg. 1 (= $\Theta\Delta\Theta^{\alpha}\Delta^{\alpha}$).

VIII 137. *ὀκνήσουσιν* Γ pr. Δ^{α} pr.: *γρ. ὁμονοήσουσιν* Γ in mg. 4, Δ^{α} in mg. 1 (= $\Theta^{\alpha}\Delta^{\alpha}$).

XIII 16. *εἰς τοῦτο* Γ pr. Δ pr.: *ἐνταῦθα* Γ litt. unc. in mg. add. pr. Δ in mg. 1 (= $\Theta\Delta\Pi$). 21. *δικαιοσύνῃ* Γ pr. Δ pr.: *ῃ* Γ s. v. add. 4, Δ corr. 1 (?).

Quas lectiones ex Urbinate profluxisse loco orationis II 29 considerato veri simile videtur, cuius lectio ex Urbinate solo nota est. Tria tamen librarii additamenta notavi, quae ad Urbinatem referri non possunt:

IV 60. *μὲν γεγονὼς* Δ^α pr. (= Γ), *ἦν* post *μὲν* add. 1 = $\Theta\Lambda\Theta^\alpha\Lambda^\alpha$.

VIII 52. *ἀλογίστως* Δ^α pr. (= Γ), *ὀλιγώρως* in mg. add. 1 = Θ^α. 133. *οὐδεὶς οὐδέτερον τούτων* Δ^α pr. (= Γ), *αὐτῶν* in mg. add. 1 = *οὐδεὶς τῶν αὐτῶν οὐδέτερον* Θ^α, om. *τούτων*.

Quo codicis Vaticani archetypum, quem inter codicem Urbinatem et codicem Vaticanum interponendum esse sumpsimus, cum exemplo quodam ex codicis Laurentiani Θ familia collatum esse comprobatur, id quod ex verbis orationis II in antidosi allatis supra iam cognovimus.

Subiungo correctorem 1ᵃ, quem in oratione „de pace" sola atque uno antidosis loco deprehendi, qui cum librario confundi non potest, cum ductus elegantiores atque subtiliores atramento pallido exarati sint.

Atque plurimae correctiones eius et cum Urbinatis mutationibus et cum vulgatis lectionibus congruunt, quas hic reddo:

VIII 32. *οὔτε πρὸς δόξαν* om. Γ pr. Δ pr.: in mg. add. Γ corr. 4, Δ corr. 1^a (= $\Theta^\alpha\Lambda^\alpha$). 33. *τοὺς δ' ἄλλους ὧν οὐ* Γ pr. Δ pr.: *οὐδὲ γινώσκειν οὐδὲν* in mg. add. Γ corr. 4, Δ corr. 1^a (= $\Theta^\alpha\Lambda^\alpha$). 39. *τοῖς ἁμαρτανομένοις* Γ pr. Δ pr.: *ἐξ* in mg. add. Γ corr. 4, *τοῖς ἐξ* in ras. Δ corr. 1^a (= $\Theta^\alpha\Lambda^\alpha$). 44. *ἀλλ' ἀνθρώπους* Γ pr. Δ pr.: *αἱρούμεθα* in mg. add. Γ corr. 4, Δ corr. 1^a (= $\Theta^\alpha\Lambda^\alpha$). 46. *λυμαινόμεθα* Γ pr. Δ pr.: *δι' οὓς* in mg. add. Γ corr. 4, s. v. add. Δ corr. 1^a, tum hoc additamento deleto in mg. pos. *κείμενον δι' οὓς* (= $\Theta^\alpha\Lambda^\alpha$ pr.). 49. *καλῶς* Γ pr. Δ pr.: *κακῶς* Γ corr. 4, Δ corr. 1^a (= $\Theta^\alpha\Lambda^\alpha$). 90. *σιτοδίαις* Γ pr., *σιτοδείαις* corr. 1^b (= Λ), *γρ. σιτοδοτίαις* in mg. add. 2: *σιτοδ αις* Δ pr., *ει* suppl. 1^a. 136. *μελέταις παρασκευαῖς* Γ pr., *ταῖς* s. v. add. 1^b, *καὶ* s. v. add. 4: *μελέταις ταῖς παρασκευαῖς* Δ pr., *καὶ* s. v. add. 1^a (= $\Lambda\Theta^\alpha\Lambda^\alpha$). 137. *ὀκνήσουσιν* Γ pr. Δ pr.: *γρ. ὁμονοήσουσι* in mg. add.

Γ corr. 4, *Δ* corr. 1ᵃ (= $Θ^α Δ^α$). 139. *ἀλλὰ* *Γ* pr. *Δ* pr.: *καὶ* s. v. add. *Γ* corr. 4, *Δ* corr. 1ᵃ (=$Θ^α Δ^α$).

Quas ad codicis Vaticani archetypum atque eo ad Urbinatem redire colligo ex hoc loco: § 36. *φενακίζειν δυναμένων* *Γ* pr. *Δ* pr.: *ἡμᾶς* in mg. add. *Γ* corr. 4, s. v. *Δ* corr. 1ᵃ (*φενακίζειν ὑμᾶς δυναμένων* $Θ^α Δ^α$), qui tamen momentum vix faceret, nisi hic locus suppeditaret, quo ad originem codicis Vaticani demonstrandam iam usus sum: § 84. *δεκελει . . νεστηκότος* *Γ* pr. (2 litt. eras.), *δεκελειασυνεστηκότος* (ασ s. v.) corr. 2: *δεκελει* [lac. 9 litt.] *κότος* *Δ* pr., *ασσυνεστη* supplevit 1ᵃ.

Sed non praetereo id, quod duobus locis a correctore 1ᵃ emendatis vulgatae lectiones inveniuntur. In § 52 enim verbis q. s.: *καθιστάμενοι οὓς* a correctore 1ᵃ superscriptum est *οἷς*, quod codices *ΔΠ* exhibent, cum $Θ^α Δ^α$ haec verba § 52 *καὶ τοὺς αὐτοὺς* usque ad § 53 *προεστῶσιν ἡμῶν* omittant. In § 133 autem in antidosi exscripta corrector 1ᵃ signo post *πολιτείαν* addito in superiore margine adscripsit: *κείμενον: ἢν οὖν ἀσκῆτε καὶ προσδέχησθε τοὺς χρηστοὺς ἀντὶ τῶν πονηρῶν, ὥσπερ καὶ* (*καὶ* om. $Δ^α$) *τὸ παλαιὸν, βέλτιον ἕξετε χρῆσθαι καὶ τοῖς δημαγωγοῖς καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς πολιτευομένοις* = $Θ^α Δ^α$.

Quae lectiones ad eam opinionem nos adducunt, correctorem 1ᵃ ipsum codicis Vaticani archetypum prae oculis habuisse, quem codicis Urbinatis varietate magna ex parte servata cum exemplo quodam ex codicis Laurentiani *Θ* familia collatum esse exposuimus; quamobrem correctorem orationis „de pace" littera „a" addita a librario distinxi. Ad archetypi collationem alias quoque nonnullas codicis *Δ* lectiones refero, quae cum vulgata contra Urbinatem conspirant (cf. p. 10. 11. 12):

IV 84. *ἐκείνων* $ΓΔ^α$: *ἐκεῖνοι* *Δ* = $ΘΔΘ^α Δ^α$.

VIII 38. *χρήσωμαι* $ΓΔ^α$: *χρήσομαι* *Δ* = $ΔΠΘ^α Δ^α$. 137. *εἴδωσιν* *ΓΔ*: *ἴδωσιν* $Δ^α$ = $ΔΘ^α Δ^α$.

XIII 20. *δυναμένου* *Γ*: *δυναμένους* *Δ* = *ΘΔ* pr.

At correctori 1ª librarii quoque munus suscipiendum erat in scripturae mendis tollendis, ut:

VIII 85. προαστίων Δ pr., προαστείων corr. 1ª. 87. καὶ τ·· (τὸν? = Γ pr.) ἀστυγειτόνων Δ pr., τῶν in ras. corr. 1ª. 94. κατέλιπον Δ corr. 1ª, quod primum ἀπέλιπον fuisse videtur; librarius in mg. addiderat κατ.

Verba autem omissa adscripta sunt hic: 38. ὥσπερ περὶ: περὶ om. Δ pr., s. v. add. 1ª. 92. ἃ καὶ: καὶ om. Δ pr., add. 1ª, 103. τοὺς δὲ χρωμένους ἀπολλυούσαις om. Δ pr., s. v. add. 1ª. 120. τυχὸν om. Δ pr., in mg. add. 1ª. 134. ἐκεῖνο καταμαθόντες, ὅτι μιᾶς μὲν om. Δ pr., in mg. add. 1ª.

Atque duobus locis corrector 1ª verba adeo suo arbitratu mutasse videtur, scilicet in: 67. ἀνηλώσασθαι ΓΔ pr., ἀναλώσασθαι corr. 1ª, et 116. τ· (τὰ? = Γ corr. 2) πόλη τούτω Γ corr. 2, Δ pr., τω in ras. corr. 1ª, nisi forte hae mutationes correctori secundo debentur.

Venio ad correctorem secundum (2), qui ductibus paululum negligentioribus atque atramento haud ita fusco usus totum codicem perscrutatus est, oratione VIII fortasse exempta, in qua certum eius vestigium non inveni. Atque primum librarii erroribus, qui non pauci supererant, delendis animum advertit, cum ab eo profectae sint emendationes hae:

II 20. δαπανημένων Δ pr., δεδαπανημένων corr. 2.

XIII 2. γιγνώσκειν Δ pr., προγιγνώσκειν corr. 2.

IV 96. οἷ τ' ἦσαν Δ pr., οἷοί τ' ἦσαν corr. 2. 97. αὐτοῖς ὠθήσεσθαι Δ pr., αὐτοὶ σωθήσεσθαι corr. 2.

Verba quoque, quae librarius neglexerat, addidit:

II 24. διανοίας usque ad σωτηρίας om. $Δ^a$ pr., in ras. 8—10 litt. add. 2. 32. ὁ μὲν γὰρ θνητὸς, ἡ δ' ἀθάνατος om. $Δ^a$ pr., in mg. add. 2.

IV 55. τῇ καδμείᾳ: τῇ om. Δ pr., s. v. add. 2. 65. ἄν τις om. Δ pr., s. v. add. 2. 78. ἀπ' ὀλίγων συνθημάτων om. Δ pr., in mg. add. 2.

Neque in eo substitit, sed suo arbitrio passim verba, quae corrupta esse putabat, correxit, quod ex his lectionibus colligo:

IV 73. τοῦτο καὶ μᾶλλον $Δ^a$ pr.: τοῦτο μᾶλλον in ras. corr. 2. 77. ὑπὲρ τῆς πόλεως ἀποθνήσκειν $Δ^a$ pr.: τῆς αὐτῶν in mg. add. 2. 78. τοὺς νόμους $Δ^a$ pr.: μὲν s. v. add. 2. XIII 6. συμβόλαια Δ pr.: σύμβολα corr. 2.

Ceterum dubitari nequit, quin alterum Isocratearum orationum codicem adhibuerit, quem a vulgatae parte stetisse nonnullis ex magno lectionum numero comprobo:

IV 55. τὴν δὲ πόλιν $Δ^a$ pr.: τὴν δ' ἡμετέραν πόλιν corr. 2 = $Θ^a Δ^a$. 57. εἶχε Δ pr.: κείμενον: καὶ νῦν οὐκ ἀδίκως ἀμφισβητεῖ τῆς ἡγεμονίας in mg. add. 2 = ΘΔ, qui tamen περὶ τῆς ἡγεμονίας exhibent. 60. μὲν γεγονὼς Δ pr.: μὲν γεγονὼς ἦν corr. 2 = $ΘΔΘ^a Δ^a$. 66. πρότερον πειράσομαι Δ pr. (= $Θ^a$): πρότερον διῆλθον πειράσομαι corr. 2 = $ΘΔΔ^a$. 70. τοσοῦτον Δ pr.: διὰ τὴν τότε στρατείαν in mg. add. 2 ex ΘΔ: διὰ τὴν τότε γεγενημένην στρατείαν. 91. ἀγωνι[ῶντες] Δ pr.: ἀγωνιζόμενοι corr. 2 = ΘΔ. 91. προαγαγέσθαι Δ pr.: προσαγαγέσθαι corr. 2 = ΘΔ. 92. καὶ κατασκευάσαντες τὰ περὶ τὴν πόλιν om. $Δ^a$ pr. (= ΓΘΔ): in mg. add. 2 = $Θ^a Δ^a$. 99. τὴν ἡγεμονίαν ἔχειν $Δ^a$ pr.: μᾶλλον in mg. add. 2 ex $Θ^a Δ^a$: μᾶλλον τὴν ἡγεμονίαν ἔχειν.

XIII 2. εἰληφὼς Δ pr.: σχὼν in mg. add. 2 = ΘΔ. 5. παρὰ μὲν ὢν Δ pr.: πὰρ' ὢν corr. 2 = ΘΔ. 10. τηλικοῦτο Δ pr.: τηλικοῦτον corr. 2 = ΘΔ. 13. μετὰ τοῦ καινῶς ἔχειν Δ pr.: γρ. ἱκανῶς in super. mg. add. 2 = ΘΔ. 19. ὑπόσχεσιν Δ pr.: ὑπόθεσιν in mg. add. 2 = ΘΔ. 21. συμπαρ...... σασθαι Δ pr. (= συμπαρακελεύσασθαι Γ): συμπαρασκευάσασθαι in ras. corr. 2 = ΘΔ.

Sed cum his lectionibus comparatis originem varietatum in universum quidem ad vulgatam redire comprobatum sit, codicem collatum ex Laurentiani Θ familia fuisse contendere licet paucis lectionibus in medium prolatis:

IV 61. γενόμενος Δ pr.: γενομένοις corr. 2 = Θ. 79. ὁπότεροι Δ pr.: τοὺς ἑτέρους in ras. add. 2 = Θ. 81. ἐπὶ ταῖς δυναστείαις Δ pr.: αὐτῶν s. v. add. 2 = Θ. 93. εἰσβάλλειν Δ pr.: εἰσβαλεῖν corr. 2 = Θ corr. 1 (ἐμβαλεῖν Θ pr. $Δ^a$). 96. πρὸς ἑκατέραν Δ pr., $Δ^a$ pr.: τὴν δύναμιν add. Δ corr.

2 = Θ, τὴν δύναμιν, ἀλλὰ μὴ πρὸς ἀμφοτέρας add. Δ^α corr. 2 = Θ^α, qui tamen habet ἀμφοτέρους.

VIII 45. ἀκούσωμεν] ἀκο . . ωμεν Δ^α pr.: υ in ras. 2 litt. corr. 2 = Θ^α. 133. ἐπανορθωσόμεθα Δ^α pr. (= Γ^α): ἐπανορθωσαίμεθα corr. 2 = Θ^α. 136. τοῦ μηδὲν Δ^α pr.: τῷ μηδὲν corr. 2 = Θ^αΔ corr. 1.

XIII 17. εἶναι καὶ δεῖν Δ^α pr.: διελθεῖν add. 2 = Θ^α. 22. ῥᾳδίως οἶμαι Δ pr.: ἂν in ras. add. 2 = Θ.

Contra duos locos inveni, qui cum codice Θ pugnant:

XIII 15. ζητεῖν Δ pr.: ζῆν in mg. add. 2 = Δ. 17. εἶναι καὶ δεῖν Δ pr.: διελθεῖν in mg. add. 2 = Θ^α (εἶναι καὶ δεῖ ΘΔ pr., ἔστι καὶ δεῖ Δ corr. 1 Π).

Sed haec differentia momentum non facit, quia omnes eiusdem familiae codices leviter inter se discrepant, praesertim cum corrector 2 etiam finem orationis „de permutatione“ a librario omissum ex libro quodam cum codice Θ familiaritate coniuncto suppleverit. Sed dixerit quispiam omnes has varietates ex codicis Vaticani archetypo esse haustas, quem cum codice quodam ex Laurentiani Θ familia comparatum esse constet. At multitudo lectionum impedit, quominus correctorem secundum ipsum codicis Vaticani archetypum adiisse putemus, cum correctores 1 et 1^a in varietatibus adscribendis tantam lectionum differentium copiam omnino fere neglexisse non sit veri simile.

Corrector tertius (3) denique paucis absolvi potest. Ea enim, quae correxit, accuratiore tractatione digna non sunt, cum ubivis libidine ductus sit. Mitto verba, in quibus librarii menda correxit excepto hoc uno VIII 118. πελτ . . τῶν Δ pr. (cf. πέλτας τῶν Ε), πελταστῶν corr. 3, quod singularitate scripturae delectat: enumero ea, quibus genuinam lectionem videtur assecutus esse:

XIII 16. μίξασθαι codd.: μῖξ . . . . . Δ pr., μίξαι corr. 3 (μῖξαι Plan. et ex Cor. ci. Bekk.).

VIII 81. λυπήσοντα codd. = Δ pr., λυπήσαντα corr. 3. Cobet. Blass. 84. ἐξαμαρτάνοντας codd. = Δ pr., ἐξαμαρτόντας corr. 3. edit. 133. ποιούμεθα ΓΔ pr., ποιώμεθα corr. 3.

(= *A*) edit. 142. *εἴπερει βουλόμεθα ΓΔ* pr., *εἴπερ βουλόμεθα* corr. 3 (= *A*) edit.

Ceteris locis, quibus ingenium exercuit, superflue correctoris munere functus est, neque facere possum, quin florilegium correctionum hic addam:

II 49. *ἀκουστοὺς*: *ἀκουστὸς Δ* pr., *ἀκουστὰς* corr. 3 (Cobet).

IV 57. *ἧττους αὐτῶν Δ* pr., *ἧττους αὐτοῦ* corr. 3. 68. *νομίζοντες* om. *Δ* pr., *δοκοῦντες* in mg. add. 3.

VIII 21. *ὑποδεχομένους Δ* pr., *ἀποδεχομένους* corr. 3. 88. *φρατρίας Δ* pr., *φατρίας* corr. 3. 120. *ὧν Δ* pr., *ἃς* corr. 3. 134. *ὁμοίως ὥσπερ A*: *ὁμοίωσπερ ΓΔ* pr., *περ* del. 3.

Quae cum ita sint, totum codicem excutere nihil attinet.

Codex Ambrosianus O. 144 (non 244) = *E*.

Praeter codicem Urbinatem codex Ambrosianus *E* magni aestimabatur, qui bombycinus saeculo XV ineunti tribuendus videtur. Cuius foliis 275, quae 23½ cm. alta, 16½ cm. lata constanter 31 versus excipiunt, secundum titulum „Isocratis orationes et epistolae, Aristidis orationes aliquot, canones apostolorum“ continentur. 205 folia autem Isocratis orationes et epistulas praebent, quae eundem atque codex Vaticanus ordinem sequuntur, quocum codex Ambrosianus etiam orationibus in Euthynum, in Callimachum, de bigis omissis convenit. Foliorum numeros exscribere inutile videtur, cum paululum in orationibus quidem cum codice Vaticano discrepent; epistularum autem in cod. Vat. Themistii orationibus disiunctarum numeri comparari non possunt.

Post folium vacuum interiectum folia 207—271 Aristidis orationes cum scholiis complectuntur, quibus in f. 272/74 „*κανόνες τῶν ἱερῶν καὶ θείων ἀποστόλων*“ adnexi sunt; totius codicis finem facit f. 275, quod in parte aversa Isocratearum orationum epistularumque indicem exhibet. Trium autem codicis partium, Isocratis, Aristidis, canonum librarii seiungendi sunt, quamquam temporibus haud multum diversis addicendi videntur.

Codici eo tempore, quo conglutinatus est, octo folia chartacea anteposita sunt, quorum primum tegumento agglutinatum, quintum evulsum est. Secundum praeter titulum supra commemoratum haec verba continet: „Codex ante annos ducentos plus minus scriptus, optimae notae, ex insula Chio aduectus. 1606. Fuit ex libris Michaelis Sophiani."

Qui Sophianus eruditissimus in insula Chio natus circa annum 1565 Patavii vita decessit [1]), cuius ex bibliotheca alii quoque libri manuscripti anno 1606 in bibliothecam Ambrosianam translati sunt.

Antequam codex simplici membrana tegeretur, subtili refectione opus erat; margines enim foliorum lacerati charta agglutinata firmati atque circumcisi sunt, quo factum est, ut ex iis, quae in margine notata erant, nonnulla interirent.

Isocratis orationes atque epistulae in 25 quaternionibus octonorum foliorum scriptae sunt, ad quos duo et quattuor folia accedunt. In f. 205[b] subscriptionem prima manu adiectam inveni, quam ut totam explicarem, mihi non contigit. Ad tempus autem, quo codex exaratus sit, definiendum nihil adiuvare videtur.

Altera codicis pars, quae Aristidem exhibet, 8 quaterniones atque praeterea unum folium continet, quod a quaternione pleno discissum in codice nunc agglutinatum est. Codicem autem Aristidis mancum esse ex ultimis quoque verbis his „ὃς τοσοῦτον ἅπαντας" intellegitur. Extrema totius codicis folia, quae canones apostolorum atque indicem Isocrateum exceperunt, agglutinata sunt.

Quae codex Isocrateus passus sit, antequam cum Aristide coniungeretur, ex numeris, quibus quaterniones significati sunt, cognoscitur. Nonnullis enim foliis, quae refectio illa non attigit, quaternionum numeri servati sunt: κ′ (f. 73), κα′ (f. 81), κϛ′ (f. 121), κζ′ (f. 129), κη′ (f. 137), κθ′ (f. 145), λα′ (f. 161),

1) cf. Bibliographie Hellénique, par Émile Legrand, tome second, p. 168/176. Paris 1885. „Michel Sophianos mourut très peu de temps (quelques mois tout au plus) avant Benoit Varchi, qui succomba, en 1565, à une attaque d'apoplexie".

λβ' (f. 169), λϛ' (f. 201). Quo codicem Isocrateum, priusquam cum Aristide uno volumine comprehensus est, cum alio quodam codice compositum fuisse demonstratur. Sed primus numerorum ordo hic non fuit, cum sub numeris allatis passim dignoscantur vetustiores iis temporibus adscribendi, quibus codicem Isocrateum alius liber non praecedebat; etenim sub numero λβ' (f. 169) perspicitur κβ'; sub λϛ' (f. 201): κϛ'; praeterea priorum numerorum vestigium his locis inveni: sub κα': ια'; sub κζ': ιζ'; sub κθ': ιθ'; sub λα': κα', qui a librario foliis videntur esse adiecti.

Postquam codex restauratus atque conglutinatus est, folia in superiore angulo dextro numeris graecis ordinata sunt. Sed post Isocratem absolutum scriba non nisi quintum quodque folium significavit, quo munere tanta cum indiligentia functus est, ut folium ter transiret, qua de causa numerum σμε' = 245 in folio 248 demum notavit. Quo vitio abstinuit is, qui folia nuper plumbo eodem loco quo prior numeris arabicis instruxit.

De iis, qui codicem emendare studuerunt, postea agam, cum id primum quaerendum videatur, unde codex Ambrosianus pendeat. Quod eo accuratius tractandum mihi proposui, quo ampliorem locum codex Ambrosianus adhuc in Isocratis memoria constituenda obtinet.

Id enim constare videbatur, codicem Ambrosianum ad eundem atque Urbinatem archetypum redire, ut Urbinatis lectiones Ambrosiani consensu firmari possent. De quo viri docti vel eam ob causam honorifice existimabant, quod Mustoxydes anno 1812 orationem „de permutatione" ex eo primus totam ediderat. Idem comprobari videbatur argumentis, de quibus ad codicem Vaticanum egi, orationum ordine mutato atque oratione „de bigis" omissa. Sed maius etiam momentum fecerunt varietates fere innumerae, quas cum vulgata saepius convenientes etiam strenui vulgatae contemptores respexerunt, quippe qui Urbinatis textum e codice Ambrosiano corrigi posse arbitrarentur. Qua ratione commotus Baiterus haec verba scripsit: „Necessitas eum totum excutiendi ne

Urbinate quidem sublata est". [1]) Quae tamen sententia ferri non potuisset, nisi codex Urbinas ex Bekkeri collatione parum notus fuisset, quod ex iis orationum I, IV 51/99, VIII, XIII lectionibus cognoscitur, quae adhuc e codice Ambrosiano quidem innotuerunt, sed eaedem in Urbinate exhibentur.

I 2. *ὑμᾶς ΓΕ.* 11. *γινόμενον Ε*: *τινόμενον Γ* pr., *γινόμενον* corr. 2. 12. *οὐ δυνατὸν Ε*: *δυνατὸν Γ* pr., *οὐ* s. v. add. 2. 26. *ἀτυχοῦσι(ν) μὲν ΓΕ.* 35. *ὑπὲρ τῶν σεαυτοῦ Ε*: *ὑπὲρ σεαυτοῦ Γ* pr., *τῶν* s. v. add. 2.

IV 62. *τοσαύτην εὐδαιμονίαν κατεκτήσαντο ΓΕ.* 82. *τοιαύταις ΓΕ.*

VIII 32. *πράττειν βέλτιον ΓΕ* (om. *τῶν ἄλλων*). 37. *πότερα ΓΕ.* 65. *ὑμῶν ΓΕ.* 72. *ἀλλήλοις ΓΕ.* 100. *φλειασίους ΓΕ.*

XIII 13. *καὶ τοῦ καινῶς ἔχειν ΓΔΕ.*

Aliis quoque locis, quibus codex Ambrosianus ab Urbinate distare existimabatur, codices *ΓΕ* consentiunt:

IV 57. *ἥττους αὐτῶν Γ*, *ἥττους αὐτῶν ΕΔΘ^{a}Λ^a*: *ἥττους* usque ad *μείζω* om. *Θ*, *ἥττους αὐτοῦ Δ* corr. 3. 68. *ἔγκλημα ΓΕ*: *ἐγκλήματα ΘΔΘ^{a}Λ^a.* 82. *περὶ δὲ ΓΕΘ*: *πρὸς δὲ ΛΘ^{a}Λ^a.* 83. *τὴν σύμπασαν ἑλλάδα ΓΕ*: *τὴν ἑλλάδα σύμπασαν ΘΛ*, *τὴν ἑλλάδα πᾶσαν Θ^{a}Λ^a.*

VIII 32. *ὅσην ΓΕΘ^{a}Λ^a*: *ὅσονπερ ΛΠ*, *ὅσηνπερ* edit. 52. *καθιστάμενοι οὓς ΓΕ*: *καθίσταμεν οἷς ΛΠ.* 68. *συμφέρει ΓΕ*: *συμφέρον Λ.* 100. *τὴν ἀργείαν ΓΕ*: *τὴν ἀργείων Λ.* 102. *ὑπὸ τῆς ἀρχῆς ΓΕΛ*: *ταύτης* add. edit. 129. *ἡμᾶς ΓΕ*: *ὑμᾶς Λ.* 133. *ποιούμεθα ΓΕ*: *ποιώμεθα Λ.* 140. *σωτηρίας ΓΕΛΛ^a*: *σωτῆρας Θ^a.*

Errores autem non solum ad codicem Urbinatem attinent, cum ne Ambrosianus quidem accurate excussus sit. Nam in orationibus IV 51/99 et VIII lectiones quasdam ex codice Ambrosiano petitas esse viri docti putabant, quas neque in Ambrosiano inveni, neque ex alio quodam codice, uno excepto loco cognitas habeo:

---

1) Isocratis Panegyricus ed. Spohn; edit. II curavit J. G. Baiterus. Lips. 1831. praef. p. XXIX.

IV 71. *ὀιομένων εἶναι* E^{a} (non om. *εἶναι*). 76. *αὐτὰ τυγχάνοι* E (non *τυγχάνει* = Λ^{a} pr., corr. inter scrib.). 90. *μέγα φρονήσαντα* E^{a} (non om. *μέγα* = Λ^{a}). 94. *προσλάβοι* E^{a} (non *προσλάβοιεν*). 95. *γενομέναις* E^{a} (non *γενομένας*).

VIII 25. *τῶν κακῶν* E^{a} (non om. *τῶν*). 39. *ἀγνοούσαις* E (non *ἐννοούσαις*). 44. *μετ' ἐκείνων* E^{a} (non *μετ' ἐκείνου*). 142. *εἴπερει βουλόμεθα* E^{a} (non *εἴπερ ἐβουλόμεθα*).

Addo eas lectiones, quibus codex Ambrosianus cum vulgata congruere dicebatur, cum Urbinatem sequatur. Inter quas non numero lectiones, quae in Blassianae editionis apparatu in universum antidosi adscriptae sunt, quamvis ad E^{a} quoque referri possint.

II 17. *ὀρθῶς* $\Gamma E^{a}\Lambda\Theta^{a}$: *καλῶς* Π. 20. *θῦμα τοῦτο κάλλιστον εἶναι* ΓE^{a}: *τοῦτο θῦμο κάλλιστον εἶναι* Θ^{a} (*τοῦτο εἶναι θῦμα κάλλιστον* $\Lambda\Pi$). 29. *ψευδῶς διαβάλλοντας* $\Gamma E^{a}\Lambda\Pi$: *ψευδῶς* om. Θ^{a}. 29. *ἢ τῶν* ΓE^{a}: *ἢ καὶ τῶν* $\Lambda\Pi\Theta^{a}$. 31. *γιγνομένους* $\Gamma E^{a}\Lambda\Pi$: *γεγενημένους* Θ^{a}. 36. *καλῶς τεθνάναι* $\Gamma E^{a}\Lambda\Pi$: *τεθνάναι καλῶς* Θ^{a}.

III 6. *ἅπαντα* $\Gamma^{a}E^{a}$: *πάντα* Θ^{a}.

IV 54. *ἡμῖν* $\Gamma E E^{a}$: *ἡμῶν* $\Theta\Lambda\Theta^{a}\Lambda^{a}$. 56. *εὐεργέτησεν* $\Gamma E\Lambda^{a}$: *εὐηργέτησεν* $\Theta\Lambda\Theta^{a}$. 64. *συντομώτερον* $\Gamma E\Theta\Lambda^{a}$: *συντομωτέρως* $\Lambda\Theta^{a}$. 65. *πελοπον⟨ν⟩ησίους* $\Gamma E^{a}\Theta\Lambda\Theta^{a}$: *πελοποννησίων* Λ^{a}. 65. *ἡγεμόνας τοὺς* $\Gamma E\Theta\Lambda$: *ἡγεμόνας τῶν* Λ^{a} (*ἡγεμόνας* Θ^{a}). 66. *μεγίστων* $\Gamma E^{a}\Theta\Lambda\Theta^{a}$: *μεγίστων στὰς* Λ^{a}. 68. *ἐλάττω τεκμήρια* $\Gamma E\Theta^{a}\Lambda^{a}$: *ἐλάττω τούτων τεκμήρια* $\Theta\Lambda$. 73. *τοῖν πολέοιν ταύταιν* Γ corr. 4 $E E^{a}$: *ταῖν πολέοιν ταύταιν* $\Lambda\Lambda^{a}$, *τοῖν πολέοιν* (*πόλοιν* Θ) *τούτοιν* Θ pr. Θ^{a}, *ταῖν* ex *τοῖν* Θ corr. 1. 74. *δέτι* (= *δ' ἔτι*) ΓE^{a}: *δὲ* $\Theta^{a}\Lambda^{a}$ (*δέ τινα* $\Theta\Lambda$. 82. *ὑπερβεβληκότας* $\Gamma E\Theta\Theta^{a}\Lambda^{a}$: *ὑπερβεβηκότας* Λ. 87. *μάχῃ* $\Gamma E^{a}\Theta\Theta^{a}$: *καὶ μάχῃ* Λ (*μάχην* Λ^{a}). 91. *ἐν τοῖς πεζοῖς* codd. = E: *ἐν πεζοῖς* ς. 92. *ἔτι πλέον* $\Gamma E\Theta\Lambda^{a}$: *ἐπὶ πλέον* Λ (*ἔτι πλεῖον* Θ^{a}). 93. *τῶν ἄλλων* $\Gamma E E^{a}$: *τῶν δ'* (*δὲ* Λ) *ἄλλων* $\Theta\Lambda\Theta^{a}\Lambda^{a}$. 98. *ἐστὶν εἰπεῖν* codd. = E^{a}: *εἰπεῖν ἐστὶ* ς.

VIII 25. *οὐ μόνον* $\Gamma E^{a}\Lambda\Pi\Theta^{a}$: *μὴ μόνον* Λ^{a}. 26. *ἐν τούτοις* $\Gamma E^{a}\Lambda\Pi$: *ἐν τοῖς τοιούτοις* $\Theta^{a}\Lambda^{a}$. 29. *διαπράξασθαι* codd. = $E^{a}\Theta^{a}$: *διαπράξεσθαι* Cor. Schn. Bl. 30. *καὶ μὴ*

$\Gamma E^{a}\Lambda\Pi\Theta^{a}$: καὶ μηδενὸς Λ^{a}. 33. ὧν οὐ βέλτιον $\Gamma E^{a}\Lambda\Pi$: ὧν βέλτιον $\Theta^{a}\Lambda^{a}$. 49. ἀλλ' οὐκ ἂν $\Gamma E^{a}\Lambda\Pi$: ἂν om. $\Theta^{a}\Lambda^{a}$. 123. φυγὰς καὶ τὰς ΓE: καὶ om. Λ. 135. ἡγῆσθε ΓE^{a} (ἡγεῖσθε $E\Lambda$): ποιῆσθε Θ^{a}, ποιήσασθε Λ^{a}, ποιήσησθε Ξ^{a}. 135. διδόασιν $\Gamma E^{a}\Theta^{a}$: παραδιδόασιν Λ^{a} (ἐνδιδόασι Λ corr. 2).

Qua ratione cum probaverimus, codicem Ambrosianum cum codice Urbinate plane convenire, quaestio nascitur, quibus vinculis codex *E* cum codice Δ coniunctus sit.

Affinitatem autem praeter verba in codd. Δ^{a} et E^{a} ad orationis II § 24 et § 29 contextum in Θ^{a} traditum addita (cf. p. 19) omnes fere codicis Δ varietates in *E* quoque exstantes arguunt, cum nonnullae differentiae calami lapsu in Δ illatae a codicis *E* librario sublatae sint:

II 23. ποιεῖσθαι ΓE: ποιειεῖσθαι Δ. 36. μέμνησο ΓE^{a}: μέμνηστο Δ^{a}. 44. ἔσπευσαν Γ corr. 2, *E*: εὔσπευσαν Δ.

VIII 38. τοῖς βαρβάρους Γ pr., τοὺς βαρβάρους corr. 4; τοῖς βαρβάροις *E* pr., τοῖς βαρβάρους corr. 1: τοῦ (?) βαρβάρους Δ pr., τοὺς βαρβάρους corr. 3. 55. σοφωτέρους ΓE^{a}: σοφοτέρους Δ^{a}. 95. ἑπτακοσίοις ΓE: ἑπακοσίοις Δ. 95. ἔτεσιν ΓE: ἔετεσιν Δ. 128. ὥστ' ΓE: ὥσστ' Δ.

IV 83. ὑπὲρ ΓE^{a}: οἱ πὲρ Δ^{a}.

Maioris momenti tres lectiones videntur esse:

VIII 9. ὑμᾶς ΓE: ἡμᾶς Δ. 15. ἣν μὴ καὶ ΓE: ἣν καὶ μή. 22. διὰ πρεσβείας ῥᾳδίως ΓE: ῥᾳδίως διὰ πρεσβείας Δ.

Sed varietates §§ 9 et 15 non multum a scripturae erroribus abesse iam supra p. 11 docui, ut librarius, si sententiam respiceret, facile ad Urbinatis lectionem redire posset. Transmutationi autem verborum § 22 auctoritatem tribuere nolim, cum duobus locis idem acciderit:

IV 72. ἡγουμένων ἔχειν $\Gamma\Delta$: ἔχειν ἡγουμένων *E*.

VIII 41. τοὺς λόγους ποιεῖσθαι $\Gamma\Delta$: ποιεῖσθαι τοὺς λόγους *E*.

Quare lectionum illa discrepantia non prohibemur, quominus codicem Ambrosianum ex codice Vaticano descriptum esse putemus. Nam codex Vaticanus ex codice Ambrosiano originem ducere vel propterea non potuit, cum intellegi

nequeat, quam ob rem librarius codicis Vaticani orationis „de permutatione“ finem omiserit, quem in codice Ambrosiano uno tenore additum videmus.

Itaque codicem Ambrosianum aut ad ipsum Vaticanum aut ad eius archetypum referendum esse elucet. Atque sunt lectiones quaedam diversae, quae ad codicis Vaticani archetypum redire Ambrosianum probare videantur. Sed cum plerisque locis differentias librarii neglegentia effectas esse manifestum sit, quod passim correctionibus primae manus confirmatur, nonnullae lectiones diversae ea de causa commemoratione dignae sunt, quia cum vulgata congruunt memoria:

II 48. *φύσιν τὴν ΓΔ*: *τὴν* om. *E* = *Λ*.

VIII 41. *τοὺς λόγους ποιεῖσθαι ΓΔ*: *ποιεῖσθαι τοὺς λόγους E* = *ΛΠΘ*^{a}*Λ*^{a}. 89. *τὰς τυραννίδας ΓΔ*: *τὰς* om. *E* = *Λ*. 91. *πόνους καὶ ΓΔΛ*: *καὶ* om. *E* = ς. 100. *γῆν τὴν κορινθίων ΓΔΛ*: *γῆν τῶν κορινθίων E* = ς. 135. *ἡγῆσθε ΓΔ*: *ἡγεῖσθε E* = *Λ*.

Attamen his lectionibus probandi vim concedere non possum: articulus enim neglectus nihil valet, quoniam his locis idem occurrit:

II 9. *τὰ συμπίπτοντα ΓΔ*: *τὰ* om. *E* pr., s. v. add. 1.

VIII 39. *ἀλλὰ τὴν τὸ ΓΔ*: *τὴν* om. *E*; omissa autem *καὶ* particula cum gravioribus neglegentiis comparari potest:

II 52. *μηδὲν ὢν ΓΔ*: *ὢν* om. *E* pr., s. v. add. 1.

IV 71. *οἰομένων εἶναι ΓΔ*: *οἰομένων* om. *E*.

VIII 38. *ἐμὸν μὲν οὖν ΓΔ*^{a}: *μὲν* om. *E*^{a} pr., s. v. add. 1. 101. *ἀληθέστερα* om. *E*. 143. *μὴ τολμῶντες ΓΔ*: *μὴ* om. *E* pr., s. v. add. 1.

Praeterea, cum verborum transmutationes iam attigerim, ad mendorum naturam acrius designandam nonnullos errores haud ambiguos exempli gratia affero:

II 54. *παρήνεκα ΓΔ*: *παρήνεγκα E*.

VIII 11. *ὑμᾶς ΓΔ*: *ἡμᾶς E* (cf. *οὐδὲν ἂν πάθοιτε τοιοῦτον*). 14. *κωμῳδοδιδασκάλοις ΓΔ*: *κωμῳδιδασκάλοις E*. 92. *τῆς αὐτῶν ΓΔ*: *τῆς αὐτῆς E*. 106. *ἁμαρτάνοντας ΓΔ*: *ἐξαμαρτάνοντας E*. 145. *καὶ τὰ τῶν ΓΔ*: *κατὰ τῶν E*.

Paucae tamen varietates remanent, quibus auctoritas quaedam inesse potest:

II 22. ad λόγους ἤ Δ in textu habet signum a correctore 2 additum, cui tamen nullum neque in margine, neque supra versum additamentum respondet: λόγους μᾶλλον ἤ E = Γ corr. 4 $\Delta^{\alpha}E^{\alpha}\Theta^{\alpha}$.

IV 96. ἐμπιμπραμένους Δ^{α}: ἐμπι πραμένους E^{α}. 97. αὐτοῖς ὠθήσεσθαι Δ^{α} pr., αὐτοὶ σωθήσεσθαι corr. 2: αὐτοὶ ὠθήσεσθαι E^{α}.

Nihilominus his lectionibus, quamvis primo quidem obtutu iudicium turbare videantur, mihi persuasum non esse confiteor, cum ex ipso codice Vaticano aliquo modo explicentur. Etenim in oratione II 22, quamquam verbum μᾶλλον in textu non invenitur, signo adscripto lectio quaedam diversa indicatur. Quae cum in oratione „de permutatione“ legatur, inde in orationem ad Nicoclem inseri potuit. Quod ad antidosis ἐμπι πραμένους pertinet, ad ipsius Panegyrici locum provoco, ubi librarius cum codicem Vaticanum secutus primum ἐμπιμπραμένους exaravisset litteram μ postea delevit. Notandam denique lectionem § 97: αὐτοὶ ὠθήσεσθαι insigne librarii socordiae exemplum esse existimo, quam supra haud paucis locis comprobavi.

Quo cum codicis Ambrosiani originem ad codicem Vaticanum redire posse demonstraverim, idem indiciis quibusdam adventiciis confirmem. In orationis II 14 verbis in antidosi excerptis cod. E^{α} haec habet: κάλιστα δ' ἄν, cum in ceteris codicibus μάλιστα δ' ἄν legatur, excepto codice Vaticano, in quo librarius haec sola scripsit άλιστα δ' ἄν, littera *M* supplenda rubricatori relicta, qui tamen ad hunc locum non penetravit. Neque longe abest lectio or. VIII 35: προηρημένων Γ (προαιρουμένων ΘΔ): προ·ρημένων Δ, littera η a correctore quodam erasa: προειρημένων E, quacum conferas duos hos locos eiusdem orationis: VIII 22. κερσουλέπτην Δ pr. (κερσοβλέπτην corr. 3): κερσοκλέπτην E. 85. ἐμφρονεστέρους ΓΔ: ἐμφανεστέρους E (φρ in Δ litt. coalitis expr.)

Ex ipso autem codice Vaticano Ambrosianum pendere, correctionibus codicis Δ evincitur, quas codice *E* receptas legimus. Et primum quidem correctorem, qui archetypo nisus menda inter scribendum exorta delevit, in cod. Ambrosiano ubique offendimus, iis quoque lectionibus, quae in Δ prima manu in margine adscriptae sunt, non nisi in margine additis.

II 29. *χαίρειν* $Δ^α$ pr. $E^α$ pr.: *γρ. διατελεῖν* in mg. add. 1.

IV 84. *ἐποίησαν* Δ pr. *E* pr. $Δ^α$ pr. $E^α$ pr.: *γρ. κατέλιπον* in mg. add. 1. 97. *ἐμελέτησαν* Δ pr. *E* pr., *ἐμέλησαν* $Δ^α$ pr. $E^α$ pr.: *γρ. ἐτόλμησαν* in mg. add. 1.

VIII 52. *ἀλογίστως* $Δ^α$ pr. $E^α$ pr.: *γρ. ὀλιγώρως* in mg. add. 1. 137. *ὀκνήσουσιν* $Δ^α$ pr. $E^α$ pr.: *γρ. ὁμονοήσουσι* in mg. add. 1.

Ex iis autem locis, quos corrector 1ª emendavit, aegre has quinque lectiones elicui, quae in cod. Ambrosiano non occurrunt:

VIII 52. *καθιστάμενοι οὓς* Δ pr. *E*: *οἷς* s. v. add. Δ corr. 1ª = *ΔΠ*. 67. *ἀνηλώσασθαι* Δ pr. *E*: *ἀναλώσασθαι* Δ corr. 1ª. 116. *τ· (τὰ E) πόλη τούτω* Δ pr. *E*: *τῷ πόλη τούτω* Δ corr. 1ª. 131. *ἐξίσωσουσι* Δ pr. *E*: *ἐξισώσουσι* Δ corr. 1ª. 136. *τοῦ μηδὲν* Δ pr. *E*: *τῷ μηδὲν* Δ corr. 1ª.

Ceteris omnibus locis, quos 66 collegi, mutationes correctorum 1ª et 2 in textu vel interdum in margine codicis *E* adnotatae inveniuntur, quibus enumerandis supersedere licet, cum supra uberius de iis egerim. Id solum addo, emendationes correctoris secundi, quas ex codice vulgatae memoriae petitas esse exposui, in alio codice eodem numero eademque ratione adscriptas esse verisimile non videri.

Correctoris 3 alia est ratio, cum ex correctionibus eius sex tantum in Ambrosiano invenerim, quarum tres, quae librarii tollunt menda, in censum non veniunt:

II 9. *διαφυλαξ . .* Δ pr., *διαφυλάξαι* corr. 3 = *E*. 47. *λοιδορομένους* Δ pr., *λοιδορουμένους* corr. 3 = *E*.

VIII 60. *ἐκεῖν·ν* Δ pr., *ἐκείνων* corr. 3 = *E*.

Restant hae lectiones:

II 49. ἀκουστοὺς: ἀκουστὸς *Δ* pr., ἀκουστὰς corr. 3 = *E* pr., corr. 2.

IV 68. νομίζοντας om. $Δ^a$ pr., δοκοῦντας in mg. add. 3 = E^a.

VIII 88. φρατρίας *Δ* pr., φατρίας corr. 3 = *E*, quas et ipsas librarii libidini deberi putaverim, quem codicis Vaticani correctorem 3 nondum cognovisse verisimile est, cum non solum iis locis, quibus lectio primae manus indagari potest, correctoris 3 emendationes probatae non sint, sed etiam inveniantur, quibus lectiones primae manus, quae radendo mutatae non poterant nisi coniectura reperiri, receptae sint ut:

VIII 21. ἐν ταῖς μὲν *E* = *Δ* pr., ταῖς deletum. 69. οὖν οὐ *E* = *Δ* pr., οὐ eras. 85. ἐξαμαρτάνοντας *E* = *Δ* pr., ἐξαμαρτόντας in ras. corr. 3. 116. πλείστους *E* = *Δ* pr., στ eras. 118. πέλτας τῶν *E* = *Δ* pr., πελταστῶν corr. 3. 120. ὧν *E* = *Δ* pr., ἃς in ras. corr. 3. 142. εἴπερει *E* = *Δ* pr., εἴπερ rad. corr. 3.

Quibus causis perpensis in eam sententiam adducor, ut codicem Ambrosianum ex ipso codice Vaticano descriptum esse credam, quamobrem cum codice Vaticano e codicum numero, qui ad Isocratem restituendum valent, removendus est.

Paucis tamen correctores codicis Ambrosiani tractandi videntur, qui tres discernuntur; inter quos primus laudandus est librarius ipse (1), qui menda ipsius socordia illata inter scribendum emendavit et postea archetypo nisus codicem retractavisse videtur. Sed cum nonnullis locis veram lectionem Isocrati reddiderit, ut:

IV 69. κατόρθωσαν *ΔE* pr., κατώρθωσαν corr. 1. 70. προσηκοῦντες *ΔE* pr., προσοικοῦντες corr. 1, alibi codicis verba corrupit, ut:

II 23. ἐξαίρει *Δ*: ἐξαίρ . . *E* pr., ἐξαίρειν corr. 1.

III 7. κακοὺς *ΔE* pr., καλοὺς corr. 1.

IV 99. τό τε παλαιὸν $Δ^aE^a$ pr., γε in ras. corr. 1.

VIII 60. μᾶλλον *Δ*: μᾶλλον . . . . *E* pr., μᾶλλον εἰς ἔτι in ras. corr. 1, quo facile intellegitur librarium ut archetypum accurate redderet, in mente non habuisse.

Corrector secundus (2), qui atramento pallido cognoscitur, totum codicem perlegisse videtur, quamquam emendationes eius adeo rarae sunt, ut ex orationibus, quas contuli, certum earum exemplum referre non possim. Ideo ex „Helena" haec enotavi:

X 42. *τὸν γάμον τὸν E* pr., *τω γαμω τω* corr. 2. 62. *αὐτῶν τῶν συμφορῶν E* pr., *αὐτὸν τῶν συμφορῶν* corr. 2. ad 64. *ἐπειδὴ δὲ γνοὺς* in mg. adscr. 2: *προ⟨ο⟩ιμιον.*

Sed neque ex his, neque ex illis locis, quibus accentus atque spiritus addidit, certi quidquam efficitur, atque paene me fugit corrector secundus, nisi sententiam a librario initio libri pie additam: *χριστὲ προηγοῦ τῶν ἐμῶν πονημάτων* repetiisset, idemque in subscriptione supra commemorata conatus esset. Quam non intellexit, cum praeter initium:- *τῷ δὲ θεῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας* non nisi verbum q. e. *κέδιζε* iteraverit.

Tertius denique corrector (3) in orationes „ad Demonicum" et „ad Nicoclem" corrigendas incubuit, ad quas ex exemplo quodam vulgatae memoriae differentias in margine plerumque adnotavit. Qui ductu acuto atque eleganti a librario et a correctore secundo distat, quem tempore priorem esse hoc loco comprobo: in or. I 37 *ὧν γὰρ ἂν* librarius particulam *ἂν* neglexerat, quam corrector secundus supra versum addidit; litteras autem parum expressas corrector tertius clariores reddidit. Exemplum autem, quo corrector tertius usus est, ad codicis *Π* familiam propius accedit; nam his lectionibus cum codicibus *ΔΠ* (*N*) [1]) congruit sive cum codd. *ΔZ* — cum codicem *Π* in oratione II non nisi in §§ 14—39 noverim, codex *Z* autem in hac quidem oratione cum codd. *ΠN* comparari possit (cf. p. 53) —, quo familiaritas cum vulgata comprobatur:

I 4. *ἐπὶ λόγον E* pr.: *γρ. ἐπὶ λόγον μόνον* in mg. add. 3 = *ΔΠN*. 13. *τοῖς ὅρκοις E* pr.: *ἀλλαχοῦ τοῖς νόμοις* in mg. add. 3 = *ΔΠN*. 18. *ταῦτα E* pr.: *καὶ ἄνευ τοῦ ταῦτα*

1) Littera *N*, praeeunte Dindorfio (Scholia Graeca in Aeschinem et Isocratem praef. p. VII) cod. Laur. LVIII[5] significo.

in mg. add. 3 = ΔΠΝ. 21. *πονηροῖς* *E* pr.: *γρ.* *λυπηροῖς* in mg. add. 3 = ΔΠΝ. 24. *ἢ* *τυχὼν* *E* pr.: *καὶ* *ἄνευ* *τοῦ* *ἢ* in mg. add. 3 = ΔΠΝ. 25. *βασανίζομεν* *E* pr.: *καὶ* *δοκιμάζομεν* in mg. add. 3 = ΔΠΝ. 32. *τὰ* *αὐτὰ* *E* pr.: *ταὐτὰ* in mg. add. 3 = ΔΠΝ. 37. *οἷα* *E* pr.: *περ* s. v. add. 3 = ΔΠΝ. 45. *ἄλλην* *E* pr.: *σου* s. v. add. 3 = ΔΠΝ.

II 2. *διοικῆς* *E* pr.: *διοικοίης* corr. 3 = ΔZ. 2. *βουλεύεσθαι* *E* pr.: *ἀγωνίζεσθαι* s. v. add. 3 = ΔZ. 6. *καθ' ὅλων* *E* pr.: *καθ' ὅλου* corr. 3 = ΔZ. 7. *μετὰ* *μέτρων* *E* pr.: *ἐμμέτρων* in mg. add. 3 = ΔZ. 11. *ἀσκητῶν* *E* pr.: *ἀθλητῶν* in mg. add. 3 = ΔZ. 11. *τὴν* *ψυχὴν* *ἑαυτῶν* *E* pr.: *τὴν* add. 3 = ΔZ. 11. *ἃ* *E* pr.: *ὧν* in mg. add. 3 = ΔZ. 13. *ἀγωνιστὴν* *E* pr.: *ἀνταγωνιστὴν* corr. 3 = ΔZ. 14. *αὐτοῦ* *E* pr.: *σεαυτοῦ* corr. 3 = ΔΠ. 17. *ποιοῦσι* *E* pr. = ΓΠ: *ποιήσουσι* corr. 3 = ΔZ. 19. *οἴκει* *E* pr.: *γρ.* *διοίκει* in mg. corr. 3 = ΔΠ. 21. *οἰκεῖα* *ἂν* *E* pr.: *ἄνευ* *τοῦ* *ἂν* in mg. add. 3 = ΔΠ. 26. *ἀτυχῆς* *E* pr.: *ἀπορῆς* in mg. add. 3 = ΔΠ. 27. *πλησιάσαντας* *E* pr.: *πλησιάζοντας* corr. 3 = ΔΠ. 35. *ἀκριβῶσαι* *βουληθῆς* *E* pr.: *γρ.* *ἀκριβῶς* *εἰδέναι* *βούλει* in mg. add. 3 = ΔΠ. 35. *μετατίθει* *E* pr.: *γρ.* *μέτιθι* s. v. add. 3 = ΔΠ. 35. *τυράννοις* *ἀπ' αὐτῶν* *E* pr.: *ἄνευ* *τοῦ* *ἀπ' αὐτῶν* in mg. add. 3 = ΔΠ. 37. *ἔτυχες* *πειρῶ* *E* pr.: *ἀθανάτου* *δὲ* *ψυχῆς* in mg. add. 3 = ΔΠ. 40. *παρέλαθεν* *E* pr.: *διέλαθεν* in mg. add. 3 = ΔZ. 40. *καὶ* *τῶν* *ἄλλων* *E* pr.: *καὶ* *τῶν* *ἰδιωτῶν* in mg. add. 3 = ΔZ. 40. *οἱ* *δ' αὐτοὶ* *E* pr.: *ἔνια* *δὲ* *αὐτοὶ* in mg. add. 3 = ΔZ. 41. *ἔξεστιν* *εἰπεῖν* *E* pr.: *ἐστιν* *εὑρεῖν* in mg. add. 3 = ΔZ. 42. *πεπόνθασιν* *E* pr.: *ταὐτὸ* s. v. add. 3 = ΔZ. 44. *ἐκλέξειε* *τῶν* *E* pr.: *καὶ* s. v. add. 3 = ΔZ. 44. *ἔσπευσαν* *E* pr.: *ἐσπούδασαν* in mg. add. 3 = ΔZ. 47. *ἢ* *ληροῦντας* *E* pr. (= Γ): *λοιδοροῦντας* in mg. add. 3 = ΔZ. 47. *δὲ* *οὐ* *E* pr.: *ταῦτα* in mg. add. 3 = ΔZ. 48. *ὅτι* *δὲ* *E* pr. (= ΓΔ pr.): *ὅτι* *δεῖ* corr. 3 = ΔZΔ corr. 1. 48. *ἁμίλλας* *E* pr.: *ἄχθονται* s. v. add. 3 = ΔZ. 49. *τὰ* *δὲ* *τοιοῦτα* *λεκτέον* *E* pr.: *ἐκεῖνα* *δὲ* *γραπτέον* *καὶ* *λεκτέον* in mg. add. 3 = ΔZ. 52. *συμβουλεύοντας* *E* pr.: *τοὺς* s. v. add. 3 = ΔZ. 52. *ἀποδοκίμαζε* *E* pr.:

ἀποδοκιμάζειν corr. 3 = *ΔZ*. 54. *χρῇ E* pr.: *χρήσῃ* corr. 3 = *ΔZ*. 54. *ἀξίας ποιήσεις E* pr.: *οὔσας αὐτὰς* s. v. add. 3 = *ΔZ* corr. 1.

Sed cum sex locis a parte codicum *ΠN* (vel *Z*) contra *Δ* stet:

I 25. *οὕτως ἄριστα E* pr.: *γρ. οὕτω δ' ἄριστα* s. v. add. 3 = *ΠN* (*οὕτως δ' ἂν ἄριστα Δ*). 43. *ἀπένειμεν E* pr.: *ἡ φύσις* s. v. add. 3 = *ΠN* (*Δ* haec omnia om.).

II 21. *πολιτικῶν E* pr.: *ἰδιωτῶν* s. v. add. 3 = *Π* (*ἰδίων Δ*). 51. *ὄντες E* pr. = *Δ*: *διατρίβοντες* s. v. add. 3 = *Z*. 52. *καὶ καθ' ὅλων E* pr.: *τοὺς* et *ου* s. v. add. 3 = *τοὺς καὶ καθ' ὅλου Z* (*τοὺς καθ' ὅλου Δ*). 52. *αὐτὸς E* pr.: *αὐτῷ* corr. 3 = *Z* (*αὐτῶν Δ*),

semel tantum cum *Δ* contra *ΠN* facit:

I 30. *πιστεύσαντας E* pr. = *ΠN*, *πιστεύοντας* corr. 3 = *Δ*.

Praeterea semel codices *ΔN* sequitur contra *Π*:

I 28. *κτᾶσθαι E* pr.: *ἀλλαχοῦ χρῆσθαι* in mg. add. 3 = *ΔN* (*κτήματα δὲ* usque ad *δυναμένους* om. *Π*), atque tribus denique locis ab omnibus codicibus alienum est:

I 19. *χρημάτων E* pr.: *καὶ κτημάτων* in mg. add. 3 = *ς*, Stob. ecl. II c. 31. 21. *καὶ αὐτὸν E* pr.: *καὶ σαυτὸν* corr. 3 = Stob. flor. 5[55] (*καὶ σεαυτὸν ΔΠN*).

II 38. *ἃ τοῖς αὐτοῦ παισὶν ἂν E* pr.: *γρ. ἃ τοῖς παισὶ τοῖς ἑαυτῶν* (compendio scriptum) *ἂν* in mg. add. 3 (*ἃ τοῖς παισὶ τοῖς ἑαυτοῦ ἂν ΔΠ*).

Nonnullis quoque locis, quibus librarius ab archetypi memoria aberraverat, correctorem 3 archetypi lectionem ex vulgata restituisse ad extremum commemoro:

I 6. *ἐξουσία E* pr., *ἐξουσίαν* corr. 3. 29. *τὰ βέλτιστα E* pr., *τὰ βελτίω* corr. 3. 36. *δόξῃ E* pr., *δόξεις* corr. 3.

II 13. *μηδένα E* pr. *ὸς* s. v. add. 3 (= *μηδενὸς*). 26. *μετρίως E* pr., *ν* s. v. add. 3 (= *μετρίων*). 49. *ἀκουστὰς E* pr., *οὺς* s. v. add. 3 (= *ἀκουστοὺς*).

Ut materiam absolvam, unicum codicis Ambrosiani scholium appono, quod corrector tertius ad I 9 adscripsit: *τὸ μέμνημαι ἀεὶ μετὰ γενικῆς, σπανίως δὲ καὶ μετὰ αἰτιατικῆς*

et subscriptionem in f. 206^b ab eodem additam: *ὅτι ἐν ἅπασιν οἷς ἐγὼ ἐνέτυχον ἀντιγράφοις ἐλλειπῶς ἔχει ὁ περὶ τῆς ἀντιδόσεως λόγος.* 1)

Codices orationem Demoniceam solam continentes.

Quorum tres a Buermanno collati sunt, qui humanissime de iis certiorem me fecit, ut materiam quam integerrimam proponere possim. Atque primum codicem Borbonicum (Neapolitanum) II C. 37 chartaceum, saeculi ut videtur XIV foll. 446, excussit, qui foliis 376^a—381^b Isocratis orationem Demoniceam exhibet. Cuius paragraphi 1—20 cum editione Blassiana comparatae codicem artissime cum Urbinate coniunctum esse demonstrant. Quare varietates a Buermanno exscriptas addo, quibus codicem Neapolitanum cum codice Scaphusiano, de quo videas p. 50, cohaerere luculenter probatur:

I 2^4. *ἡμᾶς* *ZΔ.* — 3^7. *ἐπιχειροῦσι ποιεῖν* *Γ* corr. 1^b *Z.* — 4^6. om. *μόνον* *ΓZ.* — 6^2. *ἀνάλωσεν* *Γ* corr. 1^b *Zς.* — 6^6. *ἐλυμήνατο* *Γ* corr. 4 *Z.* — 7^4. *δὲ* *ΓZς.* — 7^6. *ὑπομένουσι.* — 9^3. *ὀλιγωρεῖν.* — 9^5. *ἐγύμναζε* *Zς.* — 9^6. *ὑφίστατο* *Γ* corr. 4 *Z.* — 10^1. *αὐτοῦ* *ΓZ.* — 10^4. *ἑταιρείαν* *ΓZΔN.* — 11^5. *σε* *ΓZς.* — 11^7. *γινόμενον* *Γ* corr. 2 *ZΠN.* — 12^3. *ἐφάμιλλος* codd. — *γενήσῃ* *Γ* corr. 3 *Zς.* — 12^9. *δοκοίης* codd. — 13^6. *ὅρκοις* *ΓZ.* — 14^1. *γίνου* *ΓZς.* — 14^3. om. *τὸ.* — 14^5. *λήγεις* *Z.* — 15^8. *κρατεῖσθαι* codd. — 17^5. *ὀφθήσῃ* *Γ* corr. 3 *Zς.* — 18^1. *ἔσῃ* *Γ* corr. 3 *Zς.* — 20^1. *γίνου* *ΓZς.* — *τῷ δὲ λόγῳ* codd. — 20^6. *ἀπεχθὴς ἔσῃ* *Zς.* — *γενήσῃ* *Γ* corr. 3 *Zς.*

Praeterea notandum est codicem Neapolitanum in § 29^1 cum *ΔEZ* congruere verbo *βέλτιστα* pro *βελτίω* = *ΓΔΠN* Stob. scripto, in § 21^8 cum solo Scaphusiano praebere *πρὸς σεαυτὸν*, quocum conferas § 35^5 *παροξυνθείης βουλεύεσθαι* Neap. *Z.* Orationis sententiae inde a § 13 *πρῶτον μὲν οὖν* usque ad § 43 *μάλιστα μὲν πειρῶ* litteris *α—οβ* in margine

1) cf. Isocratis oratio de permutatione . . . ab anonymo interprete: Mediolani 1813. p. 119 not.

appositis numeratae sunt, quo codex Neapolitanus convenit cum codice Vaticano 790 chart. saeculi XV foll. 277, qui vitiis vulgaribus exceptis, ex quibus exempli gratia haec affero: § 2^{6}. *τῆς οὐσίας τῆς πατρικῆς οὕτω καὶ τῆς φιλίας κληρονομεῖν*. — 3^{4}. *σύ*. — 3^{7}. *καλλὸν*, codicem Neapolitanum sequitur; cf.:

I 3^{7}. *ἐπιχειροῦσι ποιεῖν*. — 4^{6}. om. *μόνον*. — 6^{6}. *ἐλυμήνατο*. — 9^{6}. *ὑφίστατο*. — 13^{6}. *ὅρκοις*. — 14^{5}. *λήγεις*. — 29^{1}. *τὰ βέλτιστα*.

Ex eodem numero est codex Vaticanus 937, chartaceus, saec. XV vol. II foll. 380, qui foliis 1^{a}—6^{b} orationem ad Demonicum excepit. Sed cum haud dubie ad ipsum Urbinatem redeat, cf.: § 3^{7}. *ἐπιχειροῦσι ποιεῖν*. — 4^{6}. om. *μόνον*, propius ad codices *ΔE* accedit, cum lectione § 9^{6}. *ὑπέμεινεν* (= *ὑπέμενεν Γ* pr. *ΔE*) a codd. Neap. Vat. Scaph. (= *ὑφίστατο*) diversus sit.

B. Addenda ad codicum vulgatae memoriae historiam.

Codex Vaticanus 65 = *Δ*.

Vulgatae familiae codices atque maxime codex Vaticanus *Δ* quoniam a Buermanno ¹) diligenter tractati sunt, vix quidquam relictum esse censueris, quod studio dignum sit. Attamen graviora quaedam addenda inveni, quae ad correctiones atque ad scholia codicis *Δ* attinent.

Sed primum de codicis librario hoc unum refero, eum non totum librum scripsisse, cum alter interdum, quem nota 1^{a} significo, librarii partes susceperit; quod accidit in paginis 66^{a}, 87^{b}, $219^{a}/220^{a}$, 238^{a}, 251^{b}.

Ut ad correctores perveniam, correctorem primum (1), scilicet librarium ipsum, totum librum retractavisse dico, ut menda suo errore exorta tolleret. Num archetypum unoquoque loco adierit, decerni non potest; sed obstare videtur locus

1) H. Buermann: Die handschriftliche Ueberlieferung des Isocrates. I. Die Handschriften der Vulgata. p. 4. Berlin 1885.

orationis VIII 136, ubi *Λ* pr. cum *Λ*^a^ *τὸ μηδὲν* habebat, quod a correctore 1 in *τῷ μηδὲν* (= *Θ*^a^) mutatum est.

Mox alter corrector (2), quem Buermannus cum primo confudit, in codicem inquisivit, qui scribendi ratione non adeo diversa, sed litteris minus firmis et quodammodo incertis usus est. Qui haud dubie eo exemplo nisus, quod librarius usurpaverat, id potissimum egit, ut verba errore omissa suppleret his locis:

VI 33/34. *νομίζω. λέγουσι δὲ οἱ συμβουλεύοντες ἡμῖν ποιεῖσθαι* propter homoeot. post *εἰρῆσθαι* om. *Λ* pr.: in mg. add. 2 (44 litterae = 1 versus).

VIII 135/136. *ἑκόντες* usque ad *εἰρημένοις* propter homoeot. post *διακειμένοις* om. *Λ* pr.: *ἑκόντες τὰς ἡγεμονίας καὶ σφᾶς αὐτοὺς ἐνδιδόασι. ἣν οὖν ἐμμείνητε τοῖς εἰρημένοις* in mg. add. 2 (69 litterae!).

XIII 3. *καὶ διὰ ταύτης τῆς ἐπιστήμης εὐδαίμονες γενήσονται* (propter homoeot. post *εἴσονται*? cf. *Γ*) om. *Λ* pr.: in mg. add. 2 (44 litterae = 1 versus).

XIV 61. *ἡμᾶς δὲ τοὺς ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας συναγωνισαμένους* propter homoeot. post *καθισταμένους* om. *Λ* pr.: in mg. add. 2 (43 litterae = 1 versus).

V 17. *ἐπὶ πράξεις* in fine paginae om. *Λ* pr.: in inferiore mg. add. 2.

Varietates quoque, quae in codicis *Λ* archetypo in margine fortasse notatae erant, adscripsit, ut:

VIII 62. *ἐπικεκαλλυμένως* *Λ* pr., *υπο* in mg. add. 2 (*ἀποκεκαλυμμένως* *Γ*). 72. *δυναστείας* *Λ* pr. (*δυνάμεις* corr. 3): *διανοίας* in mg. add. 2 = *Γ*.

Praeterea in menda librarii neglegentia effecta tollenda intendit, quod nonnullis exemplis ex oratione „de pace" petitis probo:

VIII 13. *ὑπὲρ τῆς πόλεως* *Λ* pr. (= *Γ*): *τῶν* s. v. add. 2 = *Π*. 21. *γιγνομένην*: *γενομένων* *Λ* pr., *γενομένην* corr. 2. 75. *βελτίον* *Λ* pr., *βελτίων* corr. 2. 95. *πολλοὶ γὰρ* *Λ* pr., *πολὺ γὰρ* corr. 2. 106. *ἐμάνθανεν* *Λ* pr., *ἐλάνθανεν* corr. 2.

110. *οἵτινες* Λ pr. (= Γ), *εἴτινες* corr. 2. 115. *βιωτίαν* Λ pr., *βοιωτίαν* corr. 2.

Sed etiam coniectura locis quibusdam lectionem depravatam sanare studuit, ut:

VIII 102. *ἡγεμονίαν γῆν* Λ pr., *γῆν* del. 2. 105. *τὴν ταύτην ἀρχὴν* Λ pr., *τὴν τοιαύτην ἀρχὴν* corr. 2 (*τὴν ἀρχὴν ταύτην* Γ), qua de causa cautionem in correctoris secundi emendationibus diiudicandis servemus necesse est.

Tertius emendator (3) secutus est, cuius correctiones atramento subviridi factae scriptura quoque conspicuae sunt, quem cum Buermannus partim cum primo, partim cum quarto correctore commiscuerit, uberius tractemus. Atque id primum concedendum est, eum in corrigendo codice Λ exemplo quodam usum esse, cum his locis veram lectionem restituerit:

V 13. *εἰρηκέσθαι* Λ pr., *εὑρηκέναι* corr. 3 (a Buermanno non notatum). 16. *προσεῖναι* Λ pr., *προστῆναι* corr. 3 (B. 2 = 4). 75. *πάσχοντας* Λ pr., *φάσκοντας* corr. 3 (B 2 =4).

VI 93. *τὴν πόλιν ἐκλείπουσαν* Λ pr., *τὴν τάξιν* in mg. add. 3. 96. *χρωμένοις* Λ pr., *χρωμένων* corr. 3.

VIII 4. *διάκεινται* Λ pr., *διάκεισθε* corr. 3. 74. *η* Λ pr., *εἰ* corr. 3. 109. *δοκοῦντας ἐν* Λ pr., *τοὺς* add. 3.

Exemplum autem correctoris codicis Vaticani Λ archetypum fuisse ex ea ratione, qua lacunas codicis Λ expletas videmus, colligo. Nonnullis enim locis corrector 3 genuinam lectionem revocavit ut:

V 71. *εἰκότως μέγα νοίης* Λ pr., *φρο* suppl. 3 (B 2 = 4). 71[1]. *ὥσπερ πους* Λ pr., *καρ* suppl. 3 (B. 1). 72[2]. *λόγον οὐ μονήσας* Λ pr., *κάμνη* suppl. 3 (B. 2 = 4). 104. *εἰς νας* Λ pr., *τοὺς ἕλλη* suppl. 3 (B. 2 = 4). 107. *ἐκ τῶν τὴν* Λ pr., *ἐκτῶντο τὴν* corr. 3 (B. 2 = 4), cum alibi lectiones adulterinas in textum interposuerit:

V 78. *ὧν* om. Λ pr., *ἃ* corr. 3 (B. 2 = 4). 105. *τούτων σθαι* Λ pr., *ἔσε* suppl. 3 (B. 1). 110. *ἀπέστην* om. Λ pr., *ἀφέξομαι* in lac. 14 litt. add. 3 (B. 1).

Hoc tamen maxime tenendum est, additamenta nusquam spatium ipsis litteris omissis indicatum excedere, etsi lacuna

codicis Δ multo maior relicta erat, ut V 71/72, 105, 110, ubi corrector quartus spatium vacuum de suo explevit. Sed cum correctorem tertium in or. V 78, 105, 110 quidem ex sua indole medicinam parasse constet, mirum non est, quod aliis quoque locis verba tradita, quae corrupta putaverit, ingenio fisus mutavit, quo aut sanum textum depravavit aut frustra emendare studuit corruptum:

V 102. *συμφόρως* Δ pr., *συμμάχους* corr. 3 (B. 2 = 4).

VIII 72. *δυναστείας* Δ pr., *δυνάμεις* corr. 3. 128. *συμφορᾶς* Δ pr., *εἰσ[φορὰς]* s. v. add. 3.

Ad correctorem 3 etiam numeri referendi sunt, quos orationum ambitus significantes Buermannus indicavit: I p. 7. Hanc autem legem consecuti sumus, emendationes correctoris terii minime spernendas esse, quamvis summa cautione opus sit.

Iam ad quartum correctorem (4) venio, quem Buermannus secundum habuit; qui cum mendis quoque librarii neglegentia natis emendandis operam dederit:

VIII 2. *δύναμι* Δ pr., *δύναμιν* corr. 4. 14. *κωμῳδιδασκάλοις* Δ pr., *κωμῳδοδιδασκάλοις* corr. 4, codicem tamen impudentissime corrupit interpolationibus, quarum exempla Buermannus iam attulit. Addo haec:

V 71/72. *v.* 1. *ὥσπερ* | *καρ* | *πους* Δ pr., corr. 3: *ἄρα* suppl. 4. *v.* 2. *τιμὰς* *ἀπόχρη* Δ pr.; *ἀνεξαλείπτους* suppl. 4. *v.* 3... *μένα* *εἰ μὴ* Δ pr.; *πάντως* suppl. 4. *v.* 4. *λόγον οὐ* | *κ* *ἀμνη* | *μονήσας* Δ pr., corr. 3; *ουν μὲν* suppl. 4. 78. *ἐνθυμούμενον* Δ pr., *ἃ* add. 3; *σε* post *ἐνθυμούμενον* add. 4. 105. *τούτων* *σθαι* Δ pr., *ἔσε* suppl. 3; *αὐτῶν* in mg. add. 4. 110. *ἀπέστην* om. Δ pr., in lac. 14 litt. *ἀφέξομαι* add. 3; *πάντων* add. 4. 110. *πρᾶξιν ἐξ αὐτῶν* ΓΠ (*δ' ἐξ αὐτῶν πρᾶξιν* Θ): *ἐξ αὐτῶν* post *πρᾶξιν* in lac. 8 litt. om. Δ pr.; *ἐκλεξάμενος* add. 4. 111. post *ἐκφέρειν* lac. 6 litt. habet Δ pr.; *μὴ γὰρ ῥαθυμοῦντας* inseruit 4.

VI 109. *γλιχομένους* om. Δ pr.; *κρεῖττον μεγάλου καιροῦ τιμὴν ἀνταλλάξασθαι* add. 4.

VIII 26. ὥστ' ante ὀλίγον s. v. add. Λ^a corr. 4. 95. δύναμιν παρέλαβον Λ pr., εἰ s. v. add. 4. 108. φυλ . . ὴν Λ pr., φυλακὴν corr. 4.

Buermannus tamen his quoque lectionibus codicem quendam subesse suspicatus est, quem ex duabus varietatibus collegit. Sed verba ad II 2 adnotata ἡγησάμην δ' ἂν correctori 4 non utique tribuam, cum suo iure etiam ad correctorem secundum referri possint. Atque verba or. XII 133: „θέλοντας τούτους αὖ τοὐναντίον κακίστους ἑαυτοῖς τε καὶ πολίταις εἶναι νομίζω", quae Buermannus addita esse censet, pro τὰς δὲ τούτων πόλεις ὁμοίως οἰκήσεσθαι ταῖς τῶν προεστώτων πονηρίαις in margine adscripta sunt, cuius mutationis causam facile perspiciamus. Corais enim primus cognovit, verba q. s. „ὅσοι εἰώθασιν, ἐπὶ τὰς ἀρχὰς καθιστάναι καὶ τὰς ἄλλας πράξεις τοὺς ἱκανωτάτους τῶν πολιτῶν" et „τοὺς δὲ τοῖς θρασυτάτοις καὶ πονηροτάτοις ἐπὶ ταῦτα χρωμένους", | tum „τοὺς μέλλοντας ἄριστα καὶ δικαιότατα τῶν πραγμάτων ἐπιστατήσειν" et „τῶν μὲν τῇ πόλει συμφερόντων μηδὲν φροντίζουσιν, ὑπὲρ δὲ τῆς αὐτῶν πλεονεξίας ἑτοίμοις οὖσιν ὁτιοῦν πάσχειν", | denique „τούτους μὲν ἐν ἁπάσαις ταῖς πολιτείαις καλῶς οἰκήσειν καὶ πρὸς σφᾶς αὐτοὺς καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους" et „τὰς δὲ τούτων πόλεις ὁμοίως οἰκήσεσθαι ταῖς τῶν προεστώτων πονηρίαις" inter se esse contraria, quam ob rem verba θέλοντας usque ad εἶναι νομίζω, codicis Vaticani correctione spreta delevit. Corrector autem, vel potius interpolator ille, qui verba τὰς δὲ τούτων πόλεις sententiam antecedentem τοὺς δὲ — χρωμένους excipere et ad τούτους μὲν respicere non intellexerit, membrorum oppositorum relationem participio θέλοντας addito turbavit atque verba τούτους αὖ — νομίζω ad enuntiati τούτους μὲν — καλῶς οἰκήσειν similitudinem formata pro sententia τὰς δὲ τούτων πόλεις — πονηρίαις substituit. Quapropter interpolationem in alio iam codice exstitisse putemus necesse non est, praesertim cum ad correctoris quarti indolem, cuius documenta in aperto sunt, optime quadret.

Quae cum ita sint, altera quoque Buermanni conclusio

corruit, ipsum codicis Δ archetypum in manibus correctoris 4 fuisse, quod eo iam specie veritatis privatur, quod correctorem illum XIII fere saeculo adscribendum esse censeo. Neque ad *ἀφέξομαι* illud (V 110), quod supra a correctore tertio (non primo) additum esse demonstravi, Buermannus recurrere potest, cum correctorem tertium codicis Δ archetypum respexisse, sed lacunas passim suo arbitratu explevisse planum fecerim. Ideo ad eam potius sententiam perducimur, correctorem quartum in codicis Vaticani Δ textum insolenter saeviisse, tradita Isocratis memoria, siquidem aliud exemplum ei praesto fuit, haudquaquam respecta. Quo Buermanni iudicium prorsus confirmatur: „dass dergleichen Leistungen für die Kritik als nicht vorhanden zu betrachten sind.“ Id autem consecuti sumus, ut omnes codices, qui Vaticani correctoris quarti vestigia praebent, e codice Vaticano originem duxisse credamus.

Paucis denique locis atramento nigro adhibito corrector quintus (5) invenitur, quem tamen cum eo librario, cui Buermannus scholia recentiora tribuit, confundere vereor. In iis autem, quas ipse contuli orationibus in eum non incidi, qua de causa correctionum exempla conferre omisi.

Transeo ad scholia codicis Δ, de quibus Buermannus in universum tantum disseruit. Atque primum tres librarios distinguo, cum Buermannus scholia inter duos diviserit. Prima manus, videlicet ipse librarius codicis, perspicuis quamvis exiguis litteris usa ea scholia in margine addidit, quae Corais omnia fere exscripsit, cuius auctoritate Dindorfius in scholiis ad Aeschinem et Isocratem edendis (Oxonii 1852) nisus est. Quod numeris paragraphorum, quibus scholia adscripta sunt, indicatis explano, lectionum varietate, ut levioris momenti, non adiecta: I 48. II 1. 4. 7. 20. 24. 28. 30. 45. III 1^{ab}. 3^{ab}. 9. 23. 33. 34. 43. IV 136. 139. V 120. VIII 100. 108^{b}. IX 1. 3. 4. 5^{ab}. 6. 8. 9^{ab}. 11. 12. 13. 28. 37. 44. 47. 49. 55. X 1. 13. 15. 63. XI 3. 9^{ab}. 35. XIII 9. 14. (non omissum!) 19.

Ut materiem exhauriam ea primae manus scholia addo, quae Corais atque Dindorfius praeterierunt:

II 7. *δεύτερον προοίμιον.* 8. *κατασκευὴ τοῦ δευτέρου προοιμίου.*

III 2. *συμπέρασμα τοῦ προοιμίου, ἀρχὴ δὲ τοῦ ἐπαίνου.*

IX 22. *ἡ ἀρχὴ τῆς ἀνατροφῆς.*

X 15. *συμπέρασμα τοῦ προοιμίου· διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἡ πρότασις καὶ ἡ κατασκευὴ ἐλήφθη.*

XI 1. *ἡγοῦμαι] κατασκευὴ τοῦ προοιμίου.* 4. *ἁπάντων γὰρ] κατασκευὴ τοῦ προοιμίου.*

Sequitur scholiasta secundus, qui ex eodem fortasse archetypo scholia a librario praetermissa adscripsit, cum non nisi tria ad eum referantur:

III 3. *τὴν ῥώμην καὶ τὴν ἀνδρείαν] ῥώμη μὲν ἐπὶ σώματος, ἀνδρεία δὲ ἐπὶ ψυχῆς,* quae verba Corais iam enotavit.

X 23. *διὸς] ἑρκεῖον, κηναῖον καὶ μινιαῖον — ποσειδῶνος] γαιεῖον (γαιήιον?), ἱππίον καὶ ταυρεῖον,* quae Dindorfius ex codice Parisino *T* sic reddidit: *ἑρκεῖον, κηναῖον καὶ μινναῖον — γασεῖον* (sic!), *ἰθεῖον* (sic!) *καὶ ταυρεῖον.*

Scholia autem recentiora, quae ad duos fortasse librarios redeunt, ita perplexe et tot compendiis adhibitis et in margine et supra versum scripta sunt, ut adhuc omnia legere non potuerim. Nescio an eadem de causa Corais pleraque eorum et inter ea ampla neglexerit[1]), cum haec tantum praebeat:

II 34. 39. 46ab. 54. III 26. V 125. 141. VI 24. 42. 46. VIII 17. 33. (non 23!) 50. 55. 102. 108a. 114. 130. IX 22. XII 47. 125. 126.

Ei autem, qui scholia Isocratea denuo edenda sibi proposuerit, tota scholiorum recentiorum codicis Vaticani *Δ* copia exscribenda erit.

Codex Marcianus 415 = Ξ.

De codice Marciano Ξ, quem B. Keilius in Hermae vol. XXII p. 641 breviter tractavit, pauca monenda restant. Primum addo Isocratis orationes 190 tantum ex 213 codicis foliis

1) Cor. ad schol. III 39: „*Ταυτὶ μόνα μοι ἐξεγένετο ἀναγνῶναι ἐκ τοῦ ἀμυδρῶς γεγραμμένου σχολίου.*“

explere. Sequuntur quinque folia vacua (f. 191—195), quae in f. 196—213 ab eodem librario conscriptis excipit: „*διονυσίου ἁλικαρνασέως τοῦ περὶ συνθέσεως ὀνομάτων ἐπιτομή. προοίμιον ρούφῳ μελιτίῳ.*“

Quem codicem ex codice Vaticano Λ originem duxisse Keilius negat, cum codex Ξ in or. XV 320 *ἔξω* pro *βίᾳ* praebeat, quod in Λ Orellio auctore exstare putat. Sed cum codex Λ cum Marciano consentiat, Keilius Orellium male intellexit, qui codicem Vaticanum Λ littera Θ (i. e. „codex scriptus manu Theodori notarii anno 1063 collatus a Corayo“), codicem autem Laurentianum Θ littera Λ significavit. Orellius[1]) igitur lectionem *βίᾳ* in codicibus *A* (= Ambrosiano *E*) et Λ (= Laurentiano Θ), lectionem *ἔξω* in *B* (= in editione Hieronymi Wolfii 1570) et *K* (= apud Corayum) inveniri testatus est.

Ut rem tamen accuratius examinarem, codicem Marcianum in or. VIII 25/56 et in antidosi VIII 25/56 et 131/145 contuli. Atque ex codicis Λ familia eum esse hae orationis VIII 25/56 lectiones, quibus cum Λ contra Π facit, comprobant.

Ξ cum Λ contra Π:

VIII 26. *εἰπεῖν ὑμῖν* Λ: *εἰπεῖν ἐν ὑμῖν* ΓΠ. 28. *ἐπὶ ταῦτα* Λ: *εἰς ταῦτα* Π. 34. *παροῦσι* Λ: *πᾶσι* Π. 35. *θεοφιλέστατον* Λ: *θεοφιλέστερον* ΓΠ. 38. *πολιτευομένους* Λ: *πεπολιτευμένους* Π. 39. *λόγος* Λ: *λόγῳ* Π. 41. *ἀλλὰ* Λ: *ἀλλὰ πᾶν* ΓΠ. 42. *τὸν βίον* Λ: om. Π. 45. *ὑπὲρ μὲν* Λ: *μὲν* om. Π. 45. *τῶν ἐγκλημάτων* Λ: *τῶν* om. Π. 49. *μάλιστα ἀγανακτήσειεν* Λ: *μάλιστα* om. Π. 49. *φανερώτατα* Λ: *φανερώτατον* Π. 52. *τῶν ἰδίων οὐδὲν* Λ: *οὐδὲν τῶν ἰδίων* ΓΠ. 54. *συμβουλεύσασθαι* Λ: *συμβουλεῦσαι* ΓΠ. 54. *καθ' ἑαυτὸν* Λ: *κατ' αὐτὸν* ΓΠ. 56. *ἐπιλείποι* Λ: *ἐπιλείψει* Π (*ἐπιλίποι* Γ).

Addo earundem paragraphorum locos, quibus Ξ^{α} a parte codicis Λ^{α} contra Θ^{α} stat.

$\Xi^{\alpha} = \Lambda^{\alpha}$ contra Θ^{α}:

VIII 25. *ὅπερ* Λ^{α}: *ἅπερ* Θ^{α}. 27. *μόλις γὰρ ἂν* Λ^{α}: *ἂν*

---

1) *Ἰσοκράτους λόγος περὶ τῆς ἀντιδόσεως*, herausgegeben von Andreas Mustoxydes, verbessert von J. K. von Orelli. p. 201. Zürich 1814.

om. Θ^α. 29. *ἐξ αὐτῶν τούτων* Λ^α: *τούτων* om. $\Gamma\Theta^\alpha$. 30. *καὶ μηδενὸς* Λ^α: *καὶ μὴ* $\Gamma\Theta^\alpha$. 32. *τῆς αὐτῶν διανοίας* Λ^α: *τῆς μὲν διανοίας αὐτῶν* Θ^α. 32. *πράττειν βέλτιον* Λ^α: *βέλτιον πράττειν* Θ^α. 33. *εἴ τις οἴεται* Λ^α: *εἴ τινες οἴονται* Θ^α. 35. *οἷόν τε* Λ^α: *οἴονται* $\Lambda\Pi\Theta^\alpha$ (*οἴεσθαι* Γ). 38. *ὥσπερ καὶ περὶ* Λ^α (*καὶ* om. Γ): *αἴσπερ περὶ* Θ^α. 39. *ἐμὸν οὖν* Λ^α: *ἐμοὶ μὲν οὖν* Θ^α. 40. *τὴν δύναμιν* Λ^α: *τὴν* om. Θ^α. 41. *οὐδὲν ὑποστειλάμενος* Λ^α: *ὑποστειλάμενος οὐδὲν* Θ^α. 42. *τῆς ἡγεμονίας* Λ^α: *τῆς* om. Θ^α. 42. *πραττομένοις ποιοῦντες* Λ^α: *πράττοντες* $\Gamma\Theta^\alpha$. 43. *ἡμετέρας αὐτῶν* Λ^α: *αὐτῶν* om. Θ^α. 44. *κακῶν* Λ^α: *κακουργιῶν* $\Gamma\Theta^\alpha$. 44. *μετ' ἐκεῖνον* Λ^α: *μετ' ἐκείνων* $\Gamma\Theta^\alpha$. 45. *ἀκούσωμεν* Λ^α: *ἀκούωμεν* Θ^α. 49. *τὴν ἡμετέραν αὐτῶν* Λ^α: *αὐτῶν* om. Θ^α. 50. *βελτίονες* Λ^α: *βέλτιον* $\Gamma\Theta^\alpha$. 50. *ἄν τις* Λ^α: *ἤν τις* $\Gamma\Theta^\alpha$. 51. *ἢ περὶ* Λ^α: *περὶ* om. Θ^α. 52. *ἀλογίστως* Λ^α: *ὀλιγώρως* Θ^α. 54. *τὰ βέλτιστα* Λ^α: *τὰ μέγιστα* Θ^α. 54. *τὸν αὐτὸν* Λ^α: *αὐτὸν* om. Θ^α. 54. *βουλεύσασθαι* Λ^α: *βουλεύσεσθαι* Θ^α. 55. *γενησομένους* Λ^α: *ἐσομένους* $\Gamma\Theta^\alpha$. 55. *βουλευσαμένους* Λ^α: *βουλευσομένους* $\Gamma\Theta^\alpha$. 56. *ἐπιχειροίην* Λ^α: *ἐπιχειρήσαιμεν* $\Gamma^\alpha\Theta^\alpha$.

Sed obstant varietates quaedam, quarum permultis quidem ut orthographicis auctoritas tribui non potest; ex quibus duas tantum reddo: 50. *τριβαλοὶ* $\Xi\Xi^\alpha\Theta^\alpha$: *τριβαλλοὶ* $\Gamma\Lambda\Pi\Lambda^\alpha$. 50. *ἀλῷ* $\Xi\Xi^\alpha\Gamma\Pi\Theta^\alpha\Lambda^\alpha$: *ἁλλῷ* Λ.

Accedunt diversitates aliquot, quae hac ratione expediri non possunt, quarum graviores has excerpsi: 25. *βουλευσαμένους* $\Xi\Gamma\Pi\Theta^\alpha\Lambda^\alpha$: *βουλευσομένους* Λ. 29. *πολλαὶ* $\Xi^\alpha\Lambda\Pi$: *μεγάλαι* $\Gamma\Theta^\alpha\Lambda^\alpha$. 37. *συμβουλεύουσιν ἡμῖν πάλιν* $\Xi^\alpha\Gamma\Lambda\Pi\Theta^\alpha$: *συμβουλεύουσιν πάλιν ἡμῖν* Λ^α. 45. *ἐξαμαρτάνοιεν* $\Xi\Theta^\alpha\Lambda^\alpha$: *ἐξαμάρτοιεν* ΓΛΠ. 45. *ἀγανακτοῦμεν* $\Xi^\alpha\Gamma$ pr. $\Lambda\Pi\Theta^\alpha$: *ἀγανακτῶμεν* Γ corr. 2 Λ^α. 56. *ἐπιλείποι* $\Xi^\alpha\Lambda\Pi\Theta^\alpha$: *ἐπιλίποι* $\Gamma^\alpha\Lambda^\alpha$ (*ἐπιλείψει* Π).

Attamen si cum iis nonnullas ex ceterarum corruptelarum numero comparaverimus: 34. *κατ' ἀρχὰς* codd.: *ταραχὰς* Ξ. 46. *ἁπάντων ἀνθρώπων* codd.: *ἀνθρώπων ἁπάντων* Ξ^α. 51. *ἀμελοῦντες* codd.: *ἀμελοῦμεν* Ξ^α. 54. *τοὐναντίον τούτων* codd.: *τούτων* om. Ξ^α. 143. *τάξεις* codd.: *πράξεις* Ξ^α,

discrepantiam codice inter Vaticanum et Marcianum interposito explanari concedamus.

Momentum autem ex iis locis petere licet, qui in codice *Λ* correcti in codice *Ξ* verba a correctoribus substituta praebent:

VIII 26. *ὥστ'* ante *ὀλίγον* add. $Λ^a$ corr. 4 = $Ξ^a$. 38. *περὶ ἂν Λ* pr., *καὶ* s. v. add. 2 = *Ξ*. 46. *αὐτῶν δι' οὓς* $Λ^a$ pr., *δι' οὓς* eras.: *αὐτῶν* $Ξ^a$. 50. *δεκάζων Λ* corr. 1 (*δικάζων Λ* pr. *Ξ*), *ἐπὶ δωροδοκίᾳ* a scholiasta tertio s. v. add., quod in textu habet *Ξ*.

Quo codicem Marcianum *Ξ* ad ipum codicem Vaticanum *Λ* redire demonstratum est.

Codex Scaphusianus MSc. 43 = Z.

Codex chartaceus, cuius folia 20½ cm. alta et 14⅓ cm. lata 23 constanter versus excipiunt, saeculo XV exaratus est, cum compendiis fere careat. Continet 26 quaterniones octonorum foliorum, quaternione primo, qui 10 folia, et vicesimo quinto, qui septem folia habet, exceptis. Constat igitur 209 foliis, quorum duo extrema scriptura vacant. Quaterniones librarius in inferiore foliorum margine litteris graecis ordinavit, quibus interdum numeri arabici in inferiore angulo dextro additi respondent. Numeri denique, quibus unumquodque folium significatum est, postea in superiore angulo dextro plumbo adscripti sunt. In primo codicis folio haec leguntur: „Galterus Grauerius hunc librum suo sibi iure vindicat", quae graece vertuntur verbis nunc oblitteratis: „*γαλτηρὸς ο* (deletum?) *γρανήριος ταυτὴν τὴν βιβλὸν ἑαυτῷ προσλαμβάνει.*"

Duodecim orationes, quas codex eodem ordine atque codex Vaticanus *Λ* continet, in his paginis initium capiunt: *ἰσοκράτους ῥήτορος λόγος παραινετικὸς πρὸς δημόνικον πρῶτος* f. 1^a. — *ἰσοκράτους ῥήτορος πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας λόγος δεύτερος* f. 11^a. — *νικοκλῆς ἢ συμμαχικός* f. 21^a. — *πανηγυρικὸς λόγος τέταρτος* f. 34^a. — *ἑλένης ἐγκώμιον* (in mg. *πεμπτός*) f. 74^a. — *εὐαγόρας* f. 87^a. — *ἐγκώμιον εἰς βούσιριν* f. 103^b. — *κατὰ τῶν σοφιστῶν* f. 113^a. — *πλαταικός*

f. 118ᵃ. — ἀρεοπαγητικός f. 130ᵃ. — φίλιππος f. 147ᵃ. — περὶ τῆς εἰρήνης f. 178ᵃ—207ᵃ.

Quod ad codicis correctiones attinet, librarius totum librum retractavit atque nonnullis locis lectionum varietates in margine adnotavit. Paulo post alter corrector orationes I, II, III recensuit, quem exemplo quodam usum esse eo indicari videtur, quod in or. I 33 Urbinatis lectiones ὧν et τούτων in codicis Vaticani *Δ* formas ὃν et τούτω mutavit. Ceterum, hoc loco excepto: III 29. ὅτι τοιοῦτος ἐστὶν, in mg. add. 2: γρ. ἦ, errores tantum librarii emendavit, quo ea opinio commendatur, correctorem 2 ipsum codicis Scaph. archetypum adhibuisse, quamvis duobus locis pro mendis menda substituerit:

II 17. πολιτείαις *Z* pr., πολίτοις (pro πολίταις) in mg. add. 2. 29. κριτὴς *Z* pr., κρατὶς (pro κρατῆς) in mg. add. 2.

Codicis pretium Baiterus (praef. ad Paneg. ed. p. XV) in prima quidem oratione summum putavit, in qua codicem Scaphusianum „optimae notae et aliquot locis ipsi Urbinati anteponendum" esse censuit. Sed videamus ipsi.

Codices *Γ* et *Z* in hac oratione artissime coniunctos esse apparet, cum 52 locis, quos enumerare longum est, contra vulgatos codices congruant. Contra permultae inveniuntur lectiones diversae, quae codicem *Z* eiusdem quidem familiae esse atque Urbinatem, sed a vetustiore exemplari originem petivisse arguere videntur, quas omnes, ut Baiteri collationem suppleam, affero:

I 3. παιδεύειν ἄλλους *Γ*: ἄλλους om. *Z*. 6. ἐπεσκότησεν *Γ*: ἐπεσκότισεν *Z*. 8. χρόνον δύνασθαι *Γ*: δύνασθαι om. *Z*. 9. ἀπέλαυε *Γ*: ἀπέλαβε *Z* (ἀπήλαυε *ΔΠΝ*). 10. τῷ γένει *Γ*: γένει *Z* Turr. Blass. 11. δεῖγμα δὲ *Γ*: δὲ om. *Z*. 12. ἡγοῦ *Γ*: ἡγοῦμαι *Z*. 14. λήγοις *Γ*: λήγεις *Z* (λήσῃς *Δ*). 15. ταῦτα νόμιζε *Γ*: ταῦτα om. *Z*. 18. ἐκ τῷ βίῳ *Γ*: ἐν τῷ βίῳ *Z*. 19. μηδὲ τὰς κατὰ γῆν *Γ*: τὰς om. *Z*. 21. εὐδοκιμήσεις *Γ*: εὐδοκιμήσῃς *Z*. 21. εὐπορήσεις *Γ*: εὐπορήσῃς *Z*. 21. ἔχῃς *Γ*: ἔχεις *Z*. 21. πρὸς ἑαυτὸν *Γ*: πρὸς σεαυτὸν *Z* (πρὸς αὐτὸν *ΔΠΝ*). 21. καὶ αὐτὸν *Γ*: καὶ σαυτὸν *Z* (καὶ σεαυτὸν *ΔΠΝ*). 23. προσδέχου *Γ*: προσέχου *Z* pr., προδέχου corr. 1.

24. τοῖς πρότερον Γ: τοῖς προτέροις Z. 24. μεταλλάττειν Γ: μεταλάττειν Z. 25. διαγι⟨γ⟩νώσκομεν Γ: διαγιγνώσκωμεν Z. 26. δοκῇς Γ: δοκεῖς Z. 27. ἐσθῆτα Γ: αἰσθῆτα Z. 28. κτήματα δὲ Γ: δὲ om. Z. 28. καὶ τοῦ φίλῳ Γ: καὶ τῷ φίλῳ Z. 29. τὰ βελτίω Γ: τὰ βέλτιστα ZΔE pr. 31. ἀχαρίστως Γ: ἀχαρίστως χαρίστως Z. 32. ἅρμασι τοῖς τοὺς Γ: τοῖς om. Z. 32. σφάλλεται Γ: σφάλεται Z. 33. βούλῃ Γ: βούλει Z. 34. ἀλλοτρίου τοῦ πράγματος Γ: τοῦ om. Z. 35. βουλεύεσθαι παροξυνθείης Γ: παροξυνθείης βουλεύεσθαι Z. 36. τὸν ἐκείνων τρόπον Γ: τὸν ἐκείνου τρόπον Z. 37. ὧν γὰρ ἂν Γ: ἂν om. Z. 38. κρείττων Γ: κρείττω Z. 40. ἐν ἀνθρώπου Γ: ἐν om. Z. 42. οἰκίαις Γ: οἰκείαις Z. 43. καλῆς Γ: καλῆς τῆς Z (dittographia!). 46. σωφρόνως Γ: σοφρόνως Z. 48. ἐνδέχεται Γ: ἐνδέχηται Z. 51. δεῖ Γ: δὴ Z (χρὴ ΔΠN). 52. δεῖ Γ: δὴ Z (χρὴ ΔΠN). 52. ἐπικρατήσειν Γ: κρατήσειν Z.

Sed cum magna varietatum pars librarii socordia illata sit, nonnulla menda in aliis quoque huius aetatis codicibus inveniuntur, quare differentiarum partem interpolatori cuidam tribuo. Quod paucis lectionibus ostendo, quae in codice Dresdensi D[a] 47, qui hanc solam orationem ex vulgata memoria praebet, perinde leguntur:[1]

I 6. ἐπεσκότησεν codd.: ἐπεσκότισεν Z Dresd. N pr. 12. ἡγοῦ codd.: ἡγοῦμαι Z Dresd. 18. ἐκ τῷ βίῳ codd.: ἐν τῷ βίῳ Z Dresd. 24. τοῖς πρότερον codd.: τοῖς προτέροις Z Dresd. 36. τὸν ἐκείνων τρόπον codd.: τὸν ἐκείνου τρόπον Z Dresd. 37. ὧν γὰρ ἂν codd.: ἂν om. Z Dresd. N.

Accedunt eae lectiones, quibus codex Z cum vulgatis quibusdam codicibus conspirat. Nam cum hoc uno loco § 2 ὑμᾶς ΓΠ: ἡμᾶς ΔZ cum codice Vat. Δ solo consentiat, quater codicis Π memoriam sequitur: 1. ὁ πᾶς ΓΔ: ἅπας ZΠN. 4. ἐν τοῖς λόγοις ΓΔ: τοῖς om. ZΠ. 21. νομίζῃς ΓΔ: νομίζεις ZΠ. 51. χρωμένοις ΓΔ: χρωμένους ZΠN Dresd.

---

1) Collationem debeo viro amicissimo Sakolowski, qui codicem in meum usum diligenter excussit.

Sunt quoque loci, quibus a parte totius vulgatae contra codicem Urbinatem stet:

I 20. *ἀπεχθήσεσι* *Γ* pr., *ἀπεχθὴς ἔσει* corr. 2: *ἀπεχθὴς ἔσῃ* *ΖΛΠΝ*. 24. *πρὶν ἐὰν* *Γ*: *πρὶν ἂν* *ΖΛΠΝ*. 34. *βούλῃ* *Γ*: *βούλει* *ΖΛΠΝ*, cf. § 33. 42. *ἔσει* *Γ*: *ἔσῃ* *ΖΛΠΝ*. 49. *φησαίμεν* *Γ*: *φήσομεν* *ΖΛΠΝ*.

Attamen unum exstat argumentum, quod codicis *Z* in prima oratione originem ab ipso codice Urbinate repetere cogit, quare varietates illas ex alio codice receptas esse putemus: codicis Urbinatis correctiones a vulgatis codicibus alienas dico, quae in codice Scaphusiano reperiuntur:

I 3. *ἔργον ἐπιχειροῦσιν* *Γ* pr., *ποιεῖν* add. 1^b = *Z*. 6. *ἔβλαψεν* *Γ* pr., *ἐλυμήνατο* in mg. corr. 4 = *Z*. 9. *ὑπέμενεν* *Γ* pr., *ὑφίστατο* corr. 4 = *Z*. 12. *δυνατὸν* *Γ* pr., *οὐ* s. v. add. 2: *οὐ δυνατὸν* *Z*. 30. *σεμνὸς* *Γ* pr., *τε καὶ ὑπεροπτικὸς* in mg. add. 4 = *Z*. 35. *ὑπὲρ σεαυτοῦ* *Γ* pr., *τῶν* s. v. add. 2: *ὑπὲρ τῶν σεαυτοῦ* *Z* (*ὑπὲρ τῶν σαυτοῦ* *ΠΝ*). 38. *δοκῆς ὀρέγεσθαι* *Γ* pr., *ἄγαν* in mg. add. 4 = *Z*.

Id ea de causa maxime notandum est, quod codicem Scaphusianum in ceteris orationibus vulgatae memoriae indolem prae se ferre iamdudum cognitum est. In quibus eum codicis *Λ* familiae ascribendum esse constitui oratione VIII §§ 1—56 collata. Quod ut demonstrem, eas §§ 1—16 lectiones exscribo, quae cum codice *Λ* contra *ΓΠ* faciunt:

VIII 4. *γνώμην* *ΖΛ*: *τέχνην* *ΓΠ*. 5. *ἡμᾶς* *ΖΛ*: *ὑμᾶς* *ΓΠ*. 7. *πλημμελείας* *ΖΛ*: *πλεονεξίας* *ΓΠ*. 8. *τῶν ἐχθρῶν ἐπικρατήσομεν* *ΖΛ*: *ἐπικρατήσομεν τῶν ἐχθρῶν* *ΓΠ*. 12. *ἀναιρουμένους* *ΖΛ*: *αἱρουμένους* *ΓΠ*. 13. *πονηροὺς* *ΖΛ*: *πονηροτάτους* *ΓΠ*.

Quibus eas codicis *Z* lectiones adicio, quae cum *ΓΛ* contra *Π* congruunt:

VIII 1. *καὶ περὶ τῶν* *ΖΓΛ*: *καὶ* om. *Π*. 5. *λόγους* *ΖΓΛ*: *λόγον* *Π*. 8. *μοι δοκοῦσιν* *ΖΓΛ*: *μοι* om. *Π*. 8. *ἀκηκοότες* *ΖΓΠ*: *ἀκηκότες* *Π*. 12. *κακὸν* *ΖΓΠ*: *κανὸν* *Π*. 13. *παριόντων* *ΖΓΛ*: *παρεστώτων* *Π*. 14. *ὅσην οὐδὲ* *ΖΓΛ*: *οὐδὲ* om. *Π*. 16. *γεγράφασιν* *ΖΓΛ*: *γράφουσιν* *Π*.

Contra duae solae lectiones sine dubio calami lapsu ortae vim non habent: 1. *νῦν ΓΛ*: *νυνὶ ΖΠ*. 15. *ἔσται Γ*, *ἐστιν Λ*: *ἐστι ΖΠ*.

Discrimen autem positum est in correctionibus codicis *Λ*, quae in codicem *Z* receptae sunt. De quibus, ut chartae parcam, hoc unum refero, me omnes correctoris tertii et quarti mutationes, quas ex oratione V supra composui, in codicis *Z* textu legisse.

At vulgata codicis Scaphusiani memoria non in omnibus orationibus sibi constat. Nam cum in orationem „ad Nicoclem“ inquirerem, ut id enuclearem, in qua codicis *Z* parte Vaticani textus inciperet, codicem *Z* in oratione secunda cum codice Parisino *Π* consonare cognovi. Collatio quidem codicis *Π* in §§ 14/39 tantum mihi praesto est, sed in his quoque magnum lectionum congruentium numerum deprehendi:

II 14. *σεαυτοῦ ΖΠ*: *σαυτοῦ ΓΛ*Θ^{α}. 14. *φρονιμωτέροις ΖΠΓ*Θ^{α}: *φρονίμοις Λ*. 16. *θεραπεύωσι ΖΠΓ*Θ^{α}: *θεραπεύσωσι Λ*. 17. *πραγμάτων ΖΠ*Θ^{α}: *προσταγμάτων ΓΛ*. 17. *ἐπιτηδευμάτων ΖΠΓ*Θ^{α}: *ἐπιταγμάτων Λ*. 17. *κίνει καλῶς καὶ ΖΠ*: *κίνει καὶ ΓΛ*Θ^{α}. 17. *καλῶς ΖΠ*: *ὀρθῶς ΓΛ*Θ^{α}. 20. *τῶν τιμῶν τῶν φίλων ΖΠ* corr. rec.: *τῶν τιμῶν Λ* (*τῶν φίλων Γ*). 21. *τῶν ἰδιωτῶν ΖΠ*: *τῶν ἰδίων Λ* (*τῶν πολιτικῶν Γ*). 21. *τοὺς δαπανωμένους* (*δαπανομένους Z*) *ἀπὸ τῶν σῶν ΖΠ*: *τοὺς δαπανωμένους ἀπὸ τῶν ἰδίων τῶν σῶν Λ* (*τοὺς δαπανῶντας ἀπὸ τῶν σῶν Γ* pr.) 24. *βούλου ΖΠΓ*Θ^{α}: *βούλει Λ* pr., *θέλε* corr. 4. 25. *νόμιζε ΖΠΓ*: *εἶναι νόμιζε Λ*. 25. *μετρίων ΖΠΛ* in mg. add. pr.: *καλῶν ΓΛ* pr. 25. *ἐξεργάσασθαι ΖΠ*: *ἐξεργάζεσθαι ΓΛ*. 26. *ὡς ἐν ΖΠ*: *ὥσπερ ἐν ΓΛ*. 27. *διοικήσης Z* pr. *Π*: *διοικήσεις ΓΛ*Θ^{α}*Z* corr. 1. 27. *ἐξ ὧν ἂν ΖΠΓ*: *ἐξ ὧν Λ* pr., *ἔξων ὧν* corr. 1. 28. *ἢ ποιῇς ἢ λέγῃς ΖΠ* (qui tamen om. prius *ἢ*): *λέγῃς ἢ ποιῇς ΓΛ*Θ^{α}. 28. *συνδοκιμάζοντας ΖΠ*: *συνδοκιμάσαντας Λ* (*συνδοκιμάσοντας Γ*Θ^{α}). 28. *καὶ τοὺς μετ' εὐνοίας θεραπεύοντας ΖΠΓ*Θ^{α}: om. *Λ*. 29. *αὐταῖς ΖΠΓ*Θ^{α}: *ἀκοαῖς Λ*. 31. *τὸ τῆς ΖΠΓ*Θ^{α}: *τὸ* om. *Λ*. 31. *ἦθος ὅλης ΖΠ*: *ὅλης ἦθος ΓΛ*Θ^{α}. 32. *ταῖς ΖΠ*: *ἐν ταῖς ΓΛ*. 32. *ἐσθῆσι ΖΠΛ* corr. 2:

ἐσθήσεσι *ΓΛ* pr. 34. *ἐστὶ* *ΖΠ*: *ἐστὶ τῶν* *ΓΛ*. 34. *ἐπὶ πολὺ* *ΖΠ*: *ἐπὶ τὸ πολὺ* *ΓΛ*. 36. *ἢν* *ΖΠΘ*^{a}: *ἐὰν* *ΓΛ*. 37. *ἃ δ'* *ΖΠ*: *ἅττ'* *ΓΛΘ*^{a}.

Praeterea etiam in §§ 14/39 lectiones inveniuntur, quae vel cum cod. *Λ* contra *Π* vel contra codices *Λ* et *Π* stant. Codicis *Λ* enim lectiones codex *Z* amplectitur his locis:

II 16. *ἀδικηθήσονται* *ΖΛ*: *ἀδικήσονται* *ΓΠΘ*^{a}. 20. *τὰ περὶ* *ΖΛΘ*^{a}: *καὶ περὶ* *Π* (*τὰ μὲν πρὸς* *Γ*). 20. *σεαυτὸν* *ΖΛ*: *σαυτὸν* *ΓΠΘ*^{a}. 22. *εὐδοκιμήσεις* *ΖΛΓ*: *εὐδοκιμήσῃς* *Π*. 27. *τῆς* *ΖΛ*: *τῆς σῆς* *ΓΠΘ*^{a}. 28. *ἔχῃς* *ΖΛΓΘ*^{a} pr.: *ἔχεις* *ΠΘ*^{a} corr. rec. 30. *ἐπ' ἀρετῇ* *ΖΛΓΘ*^{a}: *ἐπ' ἀρετὴν* *Π*,

cum contra codices *Λ* et *Π* faciat hic:

II 18. *ἀμετακινήτως* *Zς*: *ἀκινήτως* *ΓΛΠΘ*^{a}. 24. *τῆς ἑαυτῶν* *Zς*: *τῆς αὐτῶν* *ΓΛΠΘ*^{a} (*τῆς αὐτῶν* Bl.). 25. *περὶ ὧν ἂν . . μέλλῃ* *Zς*: *περὶ ὧν . . . μέλλει* *ΛΠ* (*μέλλοι* *Γ*). 27. *χρωμένοις* *Zς*: *χρωμένοις εἶναι* *ΓΛΠ*. 28. *τοὺς λέγοντας* *Zς*: *τούς τε λέγοντας* *ΓΛΠ*. 29. *αἶσπερ ἂν τοὺς* *Zς*: *αἶσπερ τοὺς* *ΓΛΠΘ*^{a}. 37. *ποιήσεις* *Zς*: *ποιήσῃς* *ΛΠΘ*^{a} (*πράξεις* *Γ*).

Sed primum ad aetatem recurro, qua codex exaratus est, cum in prima iam oratione librarium exemplo contaminato usum esse intellexerimus. Praeterea Buermannus ipse docuit familiam codicis Parisini *Π* complures codices continere, qui sui iuris essent, ut codicem Laurent. 58^{5} (*N*) et cod. Vat. 1383, cum vetustius huius recensionis exemplar servatum non esset. Quibus consideratis mirum quidem est, quod codex Scaphusianus *Z* trium recensionum orationum Isocratearum specimen recepit; in Isocratis autem verbis constituendis posthac rationem eius non habebimus.

Codex Laurentianus 87^{14} = *Θ*.

Codicem a Bekkero in Archidamo solo collatum Buermannus obiter tantum attigit, quare hoc loco supplementum dare liceat. Quod primum ad foliorum numeros attinet, Buermannum folium vacuum, quod inter Ioannem Damascenum et Isocratem intercedit, neglexisse puto, quod tamen momentum

non facit. Disputationes enim „Ἀριστοτέλους περὶ κόσμου“, quae foliis 1—8ᵃ continetur, atque „Ἰωάννου Δαμασκηνοῦ“, quae in f. 8ᵇ—11ᵇ exstat, duobus quaternionibus octo et quattuor foliorum exhibentur, quorum extremum folium vacuum est. Isocratis autem orationes quaternione pleno absolutas excipit oratio „Πολέμωνος σοφιστοῦ εἰς καλλίμαχον καὶ κυναίγειρον“ in f. 134ᵃ—143ᵇ, quam in fine codicis sequuntur „Θεοφράστου χαρακτῆρες“ f. 144ᵃ—145ᵃ.

Liber Isocrateus quindecim quaternionibus compositus totus ad nos pervenit, cum finis orationis „de permutatione“ in f. 133ᵃ exaratus in figuram quandam redactus sit. Quod confirmatur quaternionum numeris a librario ipso in inferiore foliorum margine adiectis, ex quibus adhuc leguntur: in f. 13 (i. e. in primo Isocratis quaternione) = α, f. 21 = β, f. 39 = δ, f. 47 = ε, f. 71 = η, f. 87 = δέκα, f. 126 = ιε, cum ceteri foliorum marginibus circumcisis perierint. Sed non omnes quaterniones sibi constant, cum duo (f. 21/29 et 30/38) novena folia (quorum postremum quodque agglutinatum est), unus (f. 95/101) septem folia comprehendant.

Folia singula numeris notata sunt, cum codex primum conglutinatus est. Sed numeri, qui in inferiore margine additi numero 2 incipiunt, ut titulum quendam excidisse putaverim, non satis diligenter adscripti sunt, cum inter folia numeris 38 et 39 atque numeris 111 et 112 notata singula folia numero careant. Quod ut corrigeretur, folia denuo in superiore angulo dextro numeris insignita sunt, qui tamen folium vacuum non tetigerunt; qua de causa post f. 38 numeri congruunt, qui consensus folio inter f. 111 et 112 praeterito iterum turbatus est.

Foliorum numeri, quos Buermannus exhibuit, neque ad priores neque ad recentiores plane quadrant, cum folio primo numerum 1 dederit, quare folio vacuo praetermisso eo pervenit, ut primum Isocratearum orationum folium numero 12 signaret.

Digna commemoratione scholia quoque sunt codicis Laurentiani, de quibus nullum adhuc verbum factum est, quae, quamvis pauca sint, ab oblivione vindico gravioribus exscriptis

f. 69ᵃ. XIII 12: *ποιητικὸν πρᾶγμα καλεῖ τὴν ῥητορικὴν πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν κδ στοιχείων, ἣν καλεῖ τεταγμένην τέχνην* (hac tenus etiam *Λ*) *ἀπὸ τοῦ τετάχθαι καὶ ὡσαύτως ἔχειν.* f. 85ᵃ. XII 46. *ἐντεῦθεν τὸ δημοσθενικὸν ταῦτα γὰρ ἆθλα τοῦ πολέμου κεῖται.* f. 85ᵇ. § 49. *πεντακοσίας μυριάδας τὸ σύμπαν, τὸ δὲ μάχιμον ἑβδομήκοντα μυριάδας.* f. 86ᵃ. *ἐκ τοῦδε τοῦ παναθηναικοῦ καὶ τοῦ πανηγυρικοῦ ὁ ἀριστείδης παναθηναικὸν ε* (?) *πλέον ἢ ὅσον ἐστὶν λαβεῖν ἄλλον ἀπ' ἄλλου ἐξυφανθεὶς ἐγνωρίσθη.* f. 86ᵇ. *ἐκ τούτου πάλιν τὸν οἰκεῖον παναθηναικὸν ὁ ἀριστείδης διαποικίλλει καὶ ταῖς λέξεσιν μᾶλλον ἢ τοῖς νοήμασιν ἐξαλάττεται.*

Denique ut codicis *Θ* in or. V lectiones, quas Buermannus in lucem edidit, suppleam, addo verba § 79 *ἄλλως θ' ὅταν* usque ad *καταφρονεῖν* propter homoeoteleuton omissa prima manu in margine adscripta exstare his quidem varietatibus illatis: *γε ὅταν* — *ἑαυτῷ συνίδῃς* — *μὴ* om.

Copiae Victorianae.

Buermannus postquam de codice Laur. *Θ* egit, haec addidit: „Nachkommen oder nähere Verwandte von *Θ* sind nicht vorhanden. Der Codex steht innerhalb der Vulgata als einziger Vertreter seines Zweiges da.“ Quam sententiam universam non nego, quoniam codicem cum *Θ* coniunctum non inveniri concedendum est. Sed cum codice *Θ* conferendae sunt copiae, quae dicuntur Victorianae, quas Baiterus in praef. ad Paneg. editionem p. XII/XV publici iuris fecit. Baiterus enim, qui ipse dubitaret, utrum ex uno an e pluribus codicibus a P. Victorio in exemplari suo editionis Aldinae margini adnotatae essent, nihilo setius eas „subsidium ne hoc quidem spernendum“ ad textum Isocratis constituendum habuit. Quaestio nunc in eam partem decerni potest, ut Victorium duobus codicibus usum esse contendamus, ex quibus alter e codice Vaticano *Λ* oriundus, alter ex codice Laur. *Θ* descriptus aut ipse codex *Θ* erat.

Codex *Θ* autem adhibitus est in Panegyrico, quem primum tracto collatione codicis *Θ* nisus, quam Buermanni

benevolentiae debeo. Consensus autem lectionum in §§ 51/99, in quas potissimum inquisivi, his locis invenitur.

Victorius = Θ:

IV 51. τοῖς προγόνοις ΘΓΘ^{α}Λ^{α}: τοὺς προγόνους Λ. 51. τὰ μέρη Θ: περὶ τὰ μέρη cett. 51. τούτοις Θ: τοῖς τοιούτοις cett. 52. τῶν ἑλλήνων Θ: τῶν ἄλλων cett. 53. ὄντως Θ: οὕτως cett. 54. ἡρακλέους Θ: ἡρακλέους παῖδες cett. 55. παρελέσθαι Θ: ἀνελέσθαι cett. 57. ἥττους — μείζω om. Θ. 57. τοὺς ἀξιοῦντας ΘΓ corr. 3 Θ^{α}Λ^{α} (τοὺς ἀξιοῦν Γ pr.): τῶν ἀξιούντων Λ. 59. τῶν ἔχθρων ἅπανθ' ΘΓΘ^{α}Λ^{α}: τῶν ἔχθρων κρατήσας ἅπανθ' Λ. 59. γενόμενος ΘΓΘ^{α}Λ^{α}: γεγονὼς Λ. 61. πόλιν τὴν ΘΓΘ^{α}Λ^{α}: πόλιν τῶν Λ. 63. συντομώτερον ΘΓΛ^{α}: συντομωτέρως ΛΘ^{α}. 64. οἱ τότε Θ: ὅτε ΓΛΛ^{α}, ὅτι Θ^{α}. 65. κρατήσαντες ΘΓ: νικήσαντες ΛΘ^{α}Λ^{α}. 66. περὶ δὲ τῶν Θ: ἐπὶ δὲ τῶν cett. 66. μικρῷ Θ: ὀλίγῳ cett. 68. ἦρχον Θ: ἐπῆρχον ΓΛΛ^{α} (ἐπέσχον Θ^{α}). 68. νομίσαντες Θ: νομίζοντες cett. 68. ἁπάντων Θ: ἁπασῶν cett. 69. δῆλον γὰρ Θ: δῆλον δὲ cett. 70. μὲν οὖν ἀμαζόνων Θ: οὖν om. cett. 70. ἐν τῷ om. Θ. 71. ταῦθ' Θ: τοιαῦθ' cett. 71. πολέμου συστάντος ἐκείνου ΘΓ: ἐκείνου πολέμου συστάντος Λ (ἐκείνου πολὺ συστάντος Θ^{α}, om. Λ^{α}). 72. τὴν ἀρχὴν τῆς θαλάττης ΘΓΘ^{α}Λ^{α}: τῆς θαλάττης τὴν ἀρχὴν Λ. 73. ὀλίγον Θ: ὀλίγῳ ΓΛ (μικρῷ Θ^{α}Λ^{α}). 74. χαλεπώτατον Θ: χαλεπὸν cett. 74. μέγιστ' αὐτῶν ΓΘ^{α}Λ^{α} = Θ, qui habet μέγιστα αὐτῶν: μέγιστα τούτων Λ. 75. ἐπιγενομένους Θ: ἐπιγι⟨γ⟩νομένους cett. 75. ἐπ' ἀρετὴν ΘΓΘ^{α}Λ^{α}: ἐπ' ἀρετῇ Λ. 76. καταλιπεῖν Θ: καταλείψειν cett. 77. οὐδὲ τὰς ΘΓ: οὐδὲ γὰρ τὰς Λ (οὐ γὰρ τὰς Θ^{α}Λ^{α}). 77. δεινότερον μὲν ΘΓΘ^{α}Λ^{α}: μὲν om. Λ. 77. πόλεως ἀποθνήσκειν ΘΓ: πατρίδος ἀποθνήσκειν Θ^{α}Λ^{α} (πατρίδος ἀποθανεῖν Λ). 78. οὕτω Θ: οὕτω τοὺς cett. 78. ὁμονοοῦσιν Θ: ὁμονοήσουσιν cett. 79. ὁπότεροι τοὺς ἑτέρους φθήσονται Θ: τοὺς ἑτέρους om. ΓΘ^{α}Λ^{α} (ὁπότεροι ὀφθήσονται Λ). 81. ἐπὶ ταῖς αὐτῶν δυναστείαις Θ: αὐτῶν om. cett. 82. τὰς et ἀρετὰς om. Θ. 82. περὶ δὲ ΘΓ: πρὸς δὲ ΛΘ^{α}Λ^{α}. 86. ἴδιον ΘΓΘ^{α}Λ^{α}: ἴδιον κίνδυνον Λ. 86. ὥσπερ Θ: ὅσηνπερ ΓΛΛ^{α} (οἱάνπερ Θ^{α}). 87. σφόδρως

Θ: *σφόδρ'* (*σφόδρα*) cett. 87. *φθῆναι* *ΘΓΘ*^{a}*Λ*^{a}: *ὀφθῆναι* *Λ*. 91. *περιγενομένην* *Θ*: *περιγιγνομένην* cett. (*π·ρ·γιγνομένην* *Λ*, ras. non expl.). 92. *ὁμοίαις* *ΘΓΘ*^{a}*Λ*^{a}: *ὁμοίως* *Λ*. 92. *φεύγειν* *Θ*: *φυγεῖν* cett. 92. *ἔτι πλέον* *ΘΓΛ*^{a} (*ἔτι πλεῖον* *Θ*^{a}): *ἐπὶ πλέον* *Λ*. 93. *γενομένων* *Θ*: *γεγενημένων* cett. 93. *εἰσβαλεῖν* *Θ* corr. 1 (*ἐμβαλεῖν* *Θ* pr. *Λ*^{a}): *εἰσβάλλειν* *ΓΛΘ*^{a}. 93. *ὑποφαινομένης* *ΘΓΘ*^{a}*Λ*^{a}: *ὑπολειπομένης* *Λ*. 93. *γενόμενοι* *Θ*: *γεγενημένοι* cett. 94. *λαμβάνειν* *Θ*: *λαβεῖν* cett. 95. *διαφυγεῖν* *ΘΘ*^{a} (*καὶ διαφυγεῖν* *Λ*^{a}): *διαφεύγειν* *ΓΛ*. 97. *οὐκ οἶδ' ὅτι* *ΘΓΘ*^{a}*Λ*^{a}: *οὐκ ὅτι* *Λ* pr., *οὐχ ὅτι* corr. 2. 99. *δεινότατα* *ΘΓ* corr. 4: *δεινὰ* *Γ* pr. *ΛΘ*^{a}*Λ*^{a}.

Pauci tamen exstant loci, quibus copiae Victorianae a codice *Θ* discrepant, ex quibus quattuor, ut opinor, calami lapsui vel correctioni debentur:

IV 59. *ὅσον ἐδεδείχεσαν* *Θ*: *ὅσν ἐδεδείχεισαν* Vict. (*ὅσων ἐδεήθη* cett.). 59. *βεβιάσθαι* *Θ*: *βεβιᾶσθαι* Vict. (*βιάσασθαι* cett.). 62. *γεγονόσι* *ΘΓΘ*^{a}*Λ*^{a}: *γεγονῶσι* Vict. (*γενομένοις* *Λ*). 73. *ταῖν πόλοιν τούτοιν* *Θ*: *ταῖν πολέοιν τούτοιν* Vict. *Θ*^{a} (*τοῖν πολέοιν* *Γ* pr., *ταύταιν* add. 4; *ταῖν πολέοιν ταύταιν* *ΛΛ*^{a}).

Restant differentiae tres: 71. *ἐκ τοιούτων* codd.: *ἐκ τῶν τοιούτων* Vict. 87. *πρὶν ἐλθεῖν* codd.: *πρὶν* om. Vict. 96. *ἐτόλμησαν* *ΓΘΛ*: *ἔτλησαν* *Θ*^{a}*Λ*^{a} Vict., addita nota *γρ.* [i. e. *γραπτέον*, non *γράφεται*. Bait.].

Quas ita explicamus, ut Victorium in §§ 71 et 87 quidem neglegenter suo munere functum esse credamus, cum lectio § 96 aut ex antidosi petita aut coniectura sit; quare ipsum codicem *Θ* Victorio praesto fuisse verisimile est, sed cautius iudicium feramus, si Victorium ex codice cum *Θ* artissime coniuncto hausisse censemus.

Aliud exemplar a Victorio in oratione „ad Nicoclem“ et in „Philippo“ usurpatum est, quod ex codice *Λ* originem duxisse congruentia lectionum probatur. Varietates enim, quae ad orationem II adscriptae sunt, omnes in codice *Λ* leguntur duabus exceptis, quarum hanc § 22 *ἀφικνουμένων* codd.: *ἀφικνούντων* Vict. in codice nullo inveni, cum altera § 47

εὐχομένους codd.: εὐωχουμένους Vict. etiam in codice Z exhibeatur.

De Philippo quoque res paucis absolvi potest, cum Buermanni collationes ad hanc orationem in promptu habeamus. Eas igitur lectiones conferre sufficiat, quae Victorio cum uno Δ communes sunt:

V 6. ἡμῖν codd.: ἡμῖν τε Vict. Δ. 7. ἤλπισαν codd.: ἔγνωσαν Vict. Δ. 23. μετέπεσον codd.: κατέπεσον Vict. Δ. 25. ἐργολαβίαν codd.: ἐργολαβείαν Vict. Δ. 34. οὐδὲ codd.: οὐδὲ ἂν Vict. Δ. 35. ἄξια codd.: ἄξιον Vict. Δ. 36. μηδὲν δ' ἧττον αὐτὸν ἢ 'κείνας ὠφελεῖν codd.: μηδὲν ἧττον σεαυτῷ ἢ ἐκείναις συμφέρειν Vict. Δ corr. 2. (?) 65. ἀλόγως codd.: καὶ ἀλόγως Vict. Δ. 68. χρῶο codd.: χρῶ Vict. Δ. 69. βουλεύῃ codd.: βουλεύσησθε Vict. Δ. 85. ὅτι ἂν ὑποπέσῃ καὶ συμφέρῃ codd.: ὅτι ἂν θ' ὕπεστί μοι καὶ συμφέρει Vict. Δ. 98. ἑτέρους codd.: ἕτερον Vict. Δ. 105. κατὰ πόλεμον codd.: κατὰ τὸν πόλεμον Vict. Δ. 152. ἐπιθυμήσῃς codd.: ἐπιθυμήσεις Vict. Δ.

Addo eas lectiones, quae codicis Δ correctiones reddunt: 78. σαυτῷ Δ pr., σοι corr. 2 (?) = Vict. 102. συμφόρως Δ pr., συμμάχους corr. 3 = συμμάχως Vict. 110. ἐξ αὐτῶν om. Δ pr., ἐκλεξάμενος corr. 4 = Vict. 138. καὶ Δ pr., τὰ add. 2 (?) = Vict.

Inepta paragraphi 6 interpolatio: ἐν χεῤῥονήσῳ κατοικοῦντάς τε καὶ γεωργοῦντας pro ἐν χεῤῥονήσῳ γεωργοῦντας ad verba antecedentia τοὺς ἐνταῦθα κατοικοῦντας referenda est; lectio § 54. ἐκείνους, quae cum solo Urbinate conspirat, fortasse correctorem indicat.

Singulas lectiones Victorius etiam orationibus „ad Demonicum", „ad Nicoclem", „Busiridi" adscripsit, quas utrum codicis cuiusdam varietates existimemus necne, dubium est, cum varietates ad Busiridem notatae cum codice Urbinate consentiant. Quas potius coniecturas duxerim, quae haud difficulter inveniri potuerint. Omnibus autem computatis copiis Victorianis quaevis auctoritas abiudicanda est.

PARS II.

Quomodo codicum Isocrateorum memoria ad nos pervenerit.

Quoniam priore dissertationis parte Buermannum secuti codices Isocrateos, qui aetatem tulerunt, tractavimus gravioresque selegimus, nunc ad eam disputationis partem adeamus, qua codicum necessitudinem examinemus, qua absoluta ad eam quoque quaestionem respondere licebit, quanti codices ad Isocratis verba constituenda aestimandi sint.

Atque primus diligentius in hanc rem inquisivit B. Keilius, qui in „analectis Isocrateis" p. 73/88 communem codicum archetypum evincere studuit, e quo codicem Urbinatem vulgatamque memoriam et Dionysiani quod vocatur exemplaris recensionem littera y significatam pendere putat, cui medium, ut ita dicam, locum inter Urbinatis vulgatamque memoriam addicit. Quam sententiam Keilius commendavit orationum delectu et ordine, quo in Urbinate exstant, qui grammatico cuidam paulo ante Dionysium Halicarnassensem auctoritate pollenti deberentur, atque praeterea litteris marginalibus adhibitis, quae in Urbinate traditae ad versuum libri cuiusdam antiquissimi ambitum redeunt, denique ipsa codicis Urbinatis propria virtute in censum vocata. Buermannus autem, quem harum rerum peritissimum esse non est qui nesciat, Keilii librum recensens [1]) hanc opinionem universam quidem amplexus est, sed ita immutavit, ut duas tantum Isocrateae memoriae recensiones statueret, quacum sententia Albrechtius [2]) convenit. Ad hoc Buermannus quid valeant ea, quae Keilius singulis locis Isocrateis nisus

1) Wochenschrift f. klass. Philologie II p. 621/25.

2) Jahresbericht des Berliner philolol. Vereins XVI.

de lacunis archetypi iudicavit (p. 83/86), uno loco V 135 accuratius tractato demonstravit. Addo denique sententiam viri doctissimi Zycha[1]), qui grammatici Dionysio antiquioris ullas esse partes negavit, propterea quod a Caecilii Dionysiique curis profectus grammaticus Hermogeni fere aequalis vel aetate paulo minor orationes genuinas ad eum, qui in codicibus est, numerum redigere potuit.

At mihi sententia Keilii nullo modo probatur, cum primum quidem tempus Isocratei corporis coacti ex verbis a Prisciano atque in Bekkeri anecdotis allatis deductum dubitationem moveat. Apud Priscianum enim decem tantum orationes nominantur, in Bekkeri anecdotis undecim laudantur, quae quomodo ad orationum viginti unius corpus referri possint ignoro. Neque magis viginti orationibus ab aliis scriptoribus citatis (vide Keilii „analecta" p. 13/71) — orationis „in Lochiten" enim atque complurium epistularum apud Photium solum mentio fit, de quo paulo post agam — idem hoc unius et viginti orationum corpus comprobatur, cum nihil impediat, quominus eas ad corpus viginti quinque (Dionysii) vel viginti octo orationum (Caecilii) redire censeamus. Ex ordine autem orationum in Urbinate servato — si quidem auctoritas in eo inest — nihil aliud colligere licet quam grammaticum quendam hanc orationum seriem constituisse, quo nihil lucramur. Nam cum codex $\mathcal{A}$ orationum ordinem in Urbinate traditum valde confundat, duabus insuper additis orationibus, coniectura tantum idem orationum corpus sumitur. Sed haec Keilii coniectura ea de causa veritatis caret specie, quod corpus unius et viginti orationum a grammatico ignoto, sive ante Dionysii tempora sive postea vixit, constitutum Dionysii Caeciliique delectus vicisse fingit adeo, „ut etiam ex recensionis ς et y libris eae tantum orationes exscriberentur, quas resensor Γ selegerat." (cf. p. 88). Atque verbis additis: „sed libri Urbinati consimiles postea non tam saepe adhibiti esse videntur, quam vulgatae textus: etenim sescenti nobis servati sunt codices infimae

1) Berliner philol. Wochenschrift V p. 842/46.

notae, unus Urbinas, quem propius Ambrosianus (*E*) attingit" omnino nugari videtur.

Quamobrem Keilium linquamus atque id primum quaeramus, quid certum de codicum necessitudine adhuc cognoverimus. Duas autem codicum Isocrateorum esse familias, iam Bekkerus docuit. Quarum altera cum solum Urbinatem superstitem habeat, altera codices *ΘΛΠ* complectitur, quos ita inter se cohaerere, ut codices *ΛΠ* codicum *ΘΛ* familiis iam separatis inter se discesserint, a Buermanno (cf. I p. 10) certiores facti sumus. Etenim codex *Θ* saepius cum *Γ* contra *Λ* consentit, cum aliis locis neque paucis librariorum erroribus corruptus contra genuinas codicum *ΓΛ* lectiones faciat. Codicum vero memoriam ad tempus procul remotum persequi licet, cum codex Urbinas saeculo decimo (vel undecimo ex Keilii sententia) [1]) e codice quodam antiquo litteris quadratis exarato [2]) diligenter descriptus sit, codex *Λ* autem anno 1063 a Theodori librarii manu profectus vel lacunis archetypi accurate redditis ipsius fontis vetustatem comprobet. Codex *Θ* denique tertii decimi quidem saeculi non omnes Isocratis orationes continet; sed ad eandem recensionem exemplar Photii probabiliter referamus, quod Isocratis orationes praeter decimam sextam casu fortasse omissam hoc ordine complectebatur: I. II. III. VIII. IV. VII. XIV. VI. XIII. XI. X. IX. V. XII. XV. XVIII. XIX. XXI. XVII XX. [3]) Quarum medias tantum ab or. IV. usque ad XV. codex *Θ* exhibet orationum ordine non variato, nisi quod orationes XI. X. IX. ipsae quidem transpositae (X. IX. XI.) principalem locum obtinuerunt. Photii autem temporibus ordo orationum in codice *Λ* servatus iam constabat; nam orationes duodecim [„ad Demonicum" usque ad „Archidamum", Panegyrico eiecto] in codice *Π* traditae, qui Photii circiter aetate a codice *Λ* discessisse videtur, eundem, quem codex *Λ* ordinem sequuntur. Praeterea codex

1) Wochenschrift für klass. Philologie III p. 1351/52.

2) cf. Martinum: Le manuscrit d'Isocrate Urbinas CXI de la Vaticane. p. 25 et Buermannum II p. 4.

3) cf. Blassium quoque: Att. Bereds. II² p. 102 not.

ab Urbinatis correctore 4 collatus, quem ex codicis Θ familia fuisse Buermannus (II p. 18) docuit, cum Photii libro congruit oratione de bigis omissa.

Quare cum Photii exemplar pro codice Θ substituerimus, diversum orationum ordinem comparantibus mirus quidam consensus efficitur, qui fortuito factus esse nequit. Nempe cum idem orationum I. II. III. ordo servetur, orationes X. XI. XIII. IX. etsi commutatas separari non posse intellegimus, quod propter orationem XIII. additam premo; neque orationum VI. VII. XIV. VIII. V. XII. IV. dispositio, quam praebet Urbinas, a ceteris codicibus ita aliena est, cum codex Λ easdem orationes ordine quidem variato comprehendat, excepto Panegyrico, qui teste codice Π perperam inter Nicoclem et Helenam insertus est. Apud Photium autem orationes eaedem componuntur, nisi quod orationes V. et XII., quae in Urbinate quoque coniunctae exhibentur, orationibus XIII. XI. X. IX. interpositis a ceteris remotae sunt. Orationum demum iudicialium ordinem turbatum esse non est, quod miremur, cum orationes XVIII. et XXI. in codice Γ, orationem XVI. in Photii libro deperditas videamus. Quae principalis orationum dispositio fuerit, disceptari vix poterit, quamvis propter codicis Urbinatis virtutem probabile sit, ipsius ordinem esse amplectendum. Iam ordinis diversis codicibus traditi similitudinem constituisse sufficiat, quae cum per Isocratei corporis redactorem non explicetur, ad communem codicum fontem viginti orationes et unam ex grammatici cuiusdam curis complexum nos revocat, quem accuratius nunc tractemus.

Ut communem orationum Demosthenicarum archetypum ex communi orationis contra Zenothemin lacuna constare notissimum est, ita nos eadem ratione viaque Isocratem aggrediamur. Atque quattuor Isocratis orationes mancae ad nos pervenerunt, ex quibus oratio „in Euthynum“ in censum venire non potest, cum in codice Λ solo servata nihil ad eundem codicum fontem comprobandum valeat. Fortasse in archetypo, quem nunc quidem sumo, non exstitit, sed postea in librum codicibus ΘΛ antecedentem recepta, fortasse casu in Γ amissa est, quod

idem de oratione „in Callimachum“ dictum velim. Quamobrem ad orationes „de bigis“ et „in Lochiten“ transeamus, quarum prooemia et argumentationes desiderantur. Quod in Urbinate praeterea orationis XVI. initium deest, nullius est momenti, cum defectus hic pariter atque finis orationis „de permutatione“ mutilus uno Urbinatis archetypi folio amisso probabiliter explicetur (cf. Buermannum: II p. 5). Sed etiam duabus illis orationibus quominus utamur, eo prohibemur, quod viri quidam docti non sine veritatis specie Isocratem nil nisi partes orationum codicibus servatas publici iuris fecisse existimant [1]) parum scilicet curantes, quod Zycha [2]) miro quodam modo utriusque orationis integritatem comprobare conatus est.

Restat oratio „contra sophistas“, quae et in omnibus codicibus (scil. ΓΘΔΠ) legitur et ex consensu omnium — praeter eundem virum doctum Zycha [3]), qui tamen de orationis integritate nemini persuasit — in fine manca est. Quod cum ad Isocratem ipsum referri nequeat, casu factum esse oportet, quo codices in hac quidem oratione ad unum exemplar redire demonstratum est. Sed ut in ceteris quoque orationibus eundem archetypum codicibus servatis subesse credamus, eo facilius commovemur, quod orationem „contra sophistas“ iam brevi tempore post Isocratis mortem ita mutilatam esse ut finis deperditus restitui non posset, propter auctoritatem orationis verisimile non est, neque variae lectiones huius orationis ceterarum orationum differentias numero superant.

Accedit argumentum ex orationum partibus in antidosi allatis petitum. Quas ab Isocrate plenas exscriptas esse iam pridem ex orationis compositione effectum est [4]); quod non refellitur codicum memoria, cum codex Γ, qui partes quidem ex orationibus IV. VIII. II. depromptas primis tantum ultimisque verbis designet, orationis „contra sophistas“ verba

1) cf. Blassium: Att. Bereds. II² p. 219 et 225.

2) „Ist die XVI. und XX. Rede des Isocrates verstümmelt überliefert?“ Wiener Studien VI p. 23/29.

3) Progr. gymnas. Leopoldst. Vindob. 1880. p. 27 sequ.

4) cf. Blassium: Att. Bereds. II² p. 311 not. 5.

reddat integra, quod in codicibus *ΘΔ* ubique factum videmus exceptis videlicet partibus orationis „de permutatione“ in codice *Δ* omnino amissis, quo orationum II. XIII. III. quoque loci interciderunt. Sed cum antidosis memoria in codicibus *ΓΘΔ* plane conveniat, eundem archetypum sumere cogimur, praesertim cum antidosis loci longe et a vera Isocratis manu et ab orationum textu codicibus servato distent. Contra cum papyrorum recensione conferri possunt, qua de causa propriam auctoritatem ad textum Isocrateum constituendum iis adiudicemus, quod ut comprobemus videamus accuratiora!

Verba orationis „contra sophistas“ in codicibus *Γ*^{α} et *Θ*^{α} solis tradita concentum codicum *Γ*^{α}*Θ*^{α} cum Urbinate contra vulgatam quae dicitur memoriam, scilicet contra codices *ΘΔΠ*, his locis efficiunt:

XIII 15. *γὰρ νῦν Γ*^{α}*Θ*^{α}*Γ*: *γὰρ καὶ νῦν ΘΔΠ*. 15. *ταῦτ᾽ Γ*^{α}*Θ*^{α}*Γ*: *ταῦτα ΘΔΠ*. 15. *αὐτοὺς ἐδίδαξεν* (*ἐδίδαξε Θ*^{α}) *Γ*^{α}*Θ*^{α}*Γ*: *αὐτοὺς* om. *ΘΔΠ*. 16. *εἰς τοῦτο Γ*^{α}*Θ*^{α}*Γ* pr.: *ἐνταῦθα ΘΔΠ, Γ* in mg. litt. unc. corr. pr. 16. *ἔτι δὲ τῶν Γ*^{α}*Θ*^{α}*Γ*: *ἔτι δὲ καὶ τῶν* (dittographia verbi q. e. *καιρῶν*?) *ΘΔΠ*. 18. *μιμήσασθαι Γ*^{α}*Θ*^{α}*Γ*: *μιμεῖσθαι ΘΔΠ*. 18. *ἁπάντων Γ*^{α}*Θ*^{α}*Γ*: *πάντων ΘΔΠ*. 18. *τελέως Γ*^{α}, *τελείωσιν Θ*^{α} = *τελείως Γ* pr.: *τὸ τέλειον ΘΔΠ, Γ* in mg. corr. 1^{b}. 18. *ελλειφθει Γ*^{α} pr., *ελλειφθῇ* corr. 2, spir. add. 3 = *ἐλλειφθῆι Θ*^{α}*Γ*: *ἐλλείπῃ ΘΔ, ἐλλίπῃ Π*. 18. *χεῖρον διακεῖσθαι Γ*^{α}*Θ*^{α}*Γ* pr. (qui habet *χεῖρον δικεῖσθαι*), *χείρους διακεῖσθαι* corr. 4: *χείρους εἶναι ΘΔΠ*.

Raro etiam consensus codicum *Γ*^{α}*Θ*^{α}*Γ* firmatur codicis *Θ* lectione, cum codices *ΔΠ* differant:

XIII 15. *προαγάγοι Γ*^{α}*Θ*^{α}*Θ* Bl., ex quo corruptum *προάγοι Γ* (cf. *ποιήσειεν*): *προαγάγοιτο ΔΠ*. 16. *προελέσθαι Γ*^{α}*Θ*^{α}*ΓΘ* (ci. Cor.): *προδιελέσθαι ΔΠ*. 16. *τάξασθαι Γ*^{α}*Θ*^{α}*ΓΘ*, propter *προελέσθαι* et *μίξασθαι*, quod in omnibus codicibus (*ΓΘΔΠΓ*^{α}*Θ*^{α}) legitur: *τάξαι ΔΠ*. 17. *δεῖσθαι Γ*^{α}*Θ*^{α}*ΓΘ*: *δεῖται ΔΠ*.

Atque codex *Π* bis a parte codicum *Γ*^{α}*Θ*^{α}*Γ* stat, quod tamen fortuito factum esse puto: 14. *κατηγορεῖν Γ*^{α}*Θ*^{α}*ΓΠ*:

κατηγορῆσαι ΘΛ, propter δηλῶσαι. 16. μὴ Γ^{a}Θ^{a}ΓΠ: μὴ om. ΘΛ pr., s. v. add. corr. 1.

Addo locum § 15, quo corrector quartus codicis Γ^a cum Λ congruit: ζητεῖν Γ^a pr. Θ^{a}ΓΘΠ: ζῆν Γ^a corr. 4 Λ.

Duobus contra locis Γ^{a}Θ^a cum vulgata (ΘΛΠ) contra Γ faciunt: 16. τὴν ἐπιστήμην Γ Bk.: ἐπιστήμην Γ^{a}Θ^{a}ΘΛΠ, quod recipiendum est, cum scientia haec non acrius definita, sed in universum tantum significata sit. 18. δυναμένους Γ Bk.: δυνηθέντας Γ^{a}Θ^{a}ΘΛΠ, quod ex verbo ἐκτυπωθέντας fluxisse verisimile est.

Accedit una lectio, qua Γ^{a}Θ^a contra codices omnes coniuncti sunt: 16. ἐφ᾽ ἑκάστῃ τῶν πράξεων Γ^{a}Θ^a: ἐφ᾽ ἑκάστῳ τῶν πραγμάτων ΓΛΠ, τὸ δὲ τούτων ἐφ᾽ ἑκάστῳ τῶν πραγμάτων om. Θ propter homoeoteleuton.

Neque eae lectiones, quibus Γ^a a Θ^a discedit, congruentiam hanc infringere possunt, cum omnibus fere locis corruptelae postmodo illatae codicem Θ^a refutent:

XIII 15. ἐντυγχάνουσιν Γ^a, ἐντυγχάνουσι ΓΘΛΠ: τυγχάνουσι Θ^a, cf. ν ῦ ν ἐ ν τυγχάνουσι. 15. ἀποτελέσειεν Γ^a codd.: ἀποτελέσειαν Θ^a, cf. ποιήσειεν. 15. φρονιμωτέρως Γ pr. ΘΠ = φρονιμώτερον ΛΘ^a: χρησιμωτέρως Γ in mg. litt. unc. corr. pr. = χρησιμωτέροις Γ^a, quod in Θ^a codicum lectione interpolata loco motum videtur esse. 16. δ᾽ ἐπειδὴ Γ^a codd.: ἐπειδὴ Θ^a, quod hiatum efficit. 16. διαμαρτεῖν Γ^a codd.: διαμαρτάνειν Θ^a, cf. καταποικῖλαι. 16. πρεπόντως ὅλον τὸν λόγον Γ^{a}ΓΛΠ (cf. τοῖς ὀνόμασιν εὐρύθμως), ὅλον τὸν λόγον πρεπόντως Θ: τοῖς πρεπωδεστέροις ὅλον τὸν λόγον Θ^a. 17. εἶναι καὶ δεῖν Γ^{a}Γ, εἶναι καὶ δεῖ ΘΛ pr., ἐστι καὶ δεῖ Λ corr. 1 Π: εἶναι διελθεῖν καὶ δεῖ Θ^a, interpolatum ex εἶναι διελθεῖν ὥστε. 17. εἴδη τὰ Γ^{a}Γ: εἴδη Θ^{a}ΘΛΠ; casune factum? 17. παραλείπειν Γ^a pr. Γ pr., παραλιπεῖν utroque loco corr. 1 = Θ^{a}ΘΛΠ (cf. παρασχεῖν). 18. συμπεσόντων Γ^a codd.: συνδραμόντων Θ^a.

Levioris momenti est locus ex oratione III in antidosi laudatus, quo Γ^{a}Θ^a cum Γ contra Λ congruunt his verbis:

III 5. πολλῶν Γ^{a}Θ^{a}Γ: πολλῷ Λ. 6. ᾠκίσαμεν Γ^{a}Θ^{a}Γ:

ᾠκήσαμεν Δ. 7. γὰρ περὶ $\Gamma^a\Theta^a\Gamma$: γὰρ καὶ περὶ Δ. 8. αὐταῖς ταύταις βουλευόμενοι $\Theta^a\Gamma$; ταύταις om. Γ^a pr., αὐταῖς τ ante αὐταῖς add. 2: αὐταῖς ταύταις καὶ περὶ τῶν ἄλλων βουλευόμενοι Δ.

In eadem paragrapho antidosis memoriam cum vulgata consentientem deprehendimus: 8. δυναμένους λέγειν Γ: λέγειν δυναμένους $\Delta\Gamma^a\Theta^a$, quod cum Benselero et Blassio recipiendum esse censeo.

Varietates autem codicum Γ^a et Θ^a in censum non veniunt, cum codicem Θ^a saepius iam corruptelarum convicerimus:

III 5. ὃ Γ^a codd.: ἃ Θ^a. 5. πάντων τῶν ἐνόντων $\Gamma^a\Gamma$. πάντων τῶν ὄντων Δ: πάντων ὄντων Θ^a. 5. οὐδὲν Γ^a codd.: οὐδενὶ Θ^a. 6. τῇ ῥώμῃ Γ^a codd.: ταῖς ῥώμαις Θ^a. 6. ἐγγενομένου Γ^a codd.: ἐγγενομένοις Θ^a. 6. ἅπαντα Γ^a codd.: πάντα Θ^a. 6. λόγος Γ^a codd.: ὁ λόγος Θ^a. 6. ἡμῖν ἐστὶν Γ^a codd.: ἐστὶν ἡμῖν Θ^a. 7. οὕτως Γ^a pr., οὕτως corr. 3, οὗτος corr. 4: οὗτος $\Theta^a\Gamma\Delta$. 7. ἀγαθῆς καὶ πιστῆς Γ^a codd.: ἀγαθῆς Θ^a. 8. τοὺς ἄλλους Γ^a codd.: τοὺς ἀλλήλους Θ^a.

Sed duobus locis Blassius codicis Γ^a solius memoriam praetulit, scil. his: 5. τῶν ζῴων Γ^a Bs.: τῶν ἄλλων ζῴων $\Theta^a\Gamma\Delta$. 7. καὶ τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν Γ^a: καὶ τῶν αἰσχρῶν καὶ τῶν καλῶν $\Theta^a\Gamma\Delta$, quorum priorem quidem ex codd. $\Gamma\Delta\Theta^a$ restituo coll. or.

V 116. ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν ἄλλων ζῴων ἁπάντων εὐδοκιμούσας, et

XV 293. ἡ φύσις ἡ τῶν ἀνθρώπων τῶν ἄλλων ζῴων scil. διαφέρει.

Necessitudinem vero codicum Γ^aet Θ^a, quam in orationibus XIII et III statuimus, in iis quoque verbis persequi licet, quae quamvis pauca codex Γ^a e ceteris orationibus in antidosi servavit. Nam cum in or. II 38 codex Γ^a quoque verba: χρῶ τοῖς εἰρημένοις ἢ ζήτει βελτίω τούτων post λέγοντας ponat, codicem Γ^a cum Θ^a in verbis ex oratione secunda petitis contrahendis consensisse manifestum est. Atque praeter lectiones, quibus $\Gamma^a\Theta^a$ cum Γ contra vulgatam, imprimis contra codicem Δ congruunt:

II 14. σαυτοῦ $Γ^a Θ^a ΓΛ$: σεαυτοῦ Π. 14. φρονιμωτέροις $Γ^a Θ^a ΓΠ$: φρονίμοις Λ.

IV 51. τοῖς προγόνοις $Γ^a Θ^a Λ^a ΓΘ$: τοὺς προγόνους Λ.

VIII 25. βουλευσαμένους $Γ^a Θ^a Λ^a ΓΠ$: βουλευσομένους Λ. 25. ἄξομεν $Γ^a Θ^a Λ^a Γ$: ἄξωμεν ΛΠ, unum quidem locum invenimus, quo antidosis cum vulgata contra Γ solum facit:

VIII 56. πράγμασι(ν) γεγενημένας $Γ^a Θ^a Λ^a ΛΠ$: πράγμασιν ἐγγεγενημένας Γ.

Spectandae sunt etiam lectiones, quibus $Γ^a Θ^a Λ^a$ contra reliquorum codicum memoriam consentiunt, ut

VIII 132/133, quem locum s. fine tractabo, quocum confero:

II 39. περὶ μικρῶν ἀκριβῶς $Γ^a Θ^a$: ἀκριβῶς περὶ μικρῶν codd., cf. εὖ περὶ τῶν μεγίστων.

VIII 133. πόλεως πράγματα $Γ^a Θ^a Λ^a$: πράγματα om. ΓΛ.

Adicio locum or. VIII 56, quo $Γ^a Θ^a$ ἐπιχειρήσαιμεν cum papyro praebent, cum codicis $Λ^a$ formam: ἐπιχειροίην e codicum ΓΛΠ lectione interpolatam esse censeam. Quocum convenit or. VIII 133, ubi corruptionem gradatim procedentem observamus: ἐπανορθωσόμεθα $Γ^a$ (cf. γενήσεται), ἂν ἐπανορθωσαίμεθα $Θ^a$, ἂν ἐπανορθώσαιμεν $ΓΛ^a$, ἐπανορθώσαιμεν Λ; atque similiter in eadem paragrapho: ποιήσομεν $Γ^a$ pr. (cf. ἐπανορθωσόμεθα): ποιήσαιμεν $Γ^a$ corr. 4 $Θ^a Λ^a ΓΛ$.

Eodem loco duae reperiuntur lectiones, quae a Blassio ex codicis $Γ^a$ memoria receptae sunt:

VIII 133. νομίζοντες $Γ^a$ pr.: εἶναι νομίζοντες $ΓΘ^a Λ^a Γ^a$ corr. 4, νομίζοντες εἶναι Λ Pap. 133. καλούς τε κἀγαθοὺς $Γ^a$: καλοὺς κἀγαθοὺς cett. (καλους και αγαθους Pap.).

Sed καλούς τε κἀγαθοὺς apud Isocratem non legitur, nam et VI 35 codex Γ particulam τε omisit et ceteris omnibus locis, scilicet: III 43. IV 78. 95. VII 72. IX 51. 74. X 8. XI 32. XIII 6. XV 95. 100. 138. 220. 241. 243. 278. 280. 316. ep. VII 8. καλοὶ κἀγαθοὶ exstat. cf. Fuhr. mus. Rhen. XXXIII 334. Verbum autem q. e. εἶναι casu in $Γ^a$ intercidisse puto, cum consensu codicum $ΓΘ^a Λ^a Λ$ Pap. satis confirmetur, quamquam collocatio variata suspicionem movere potest.

Etiam in or. II 39 τῶν μεγάλων $Γ^a$: τῶν μεγίστων $ΓΛΠΘ^a$

Blassius cum Benselero codicis Γ^a solius lectionem probavit, cum μεγίστων revocandum sit propter articulum additum. cf. XV 173 ep. IX 15.

Sed cum his locis codicis Γ^a corruptelae manifestae sint, codicem Θ^a depravatum videmus hic:

II 14. μάλιστα δ' ἂν Γ^a codd.: μάλιστ' ἂν Θ^a.

IV 99. προταχθέντες ὑπὲρ ἁπάντων $\Gamma^a\varLambda^a$ codd.: ὑπὲρ om. Θ^a.

Supersunt paucae lectiones, quibus Γ^a cum Γ consentit, cum $\Theta^a\varLambda^a$ a parte vulgatae stent; sed auctoritas in iis non inest:

IV 51. ἐκ τῶν κινδύνων $\Gamma^a\Gamma$: ἐκ τῶν περὶ τὸν πόλεμον κινδύνων $\Theta^a\varLambda^a$ (ex XV 58) = ἐκ τῶν κινδύνων τῶν πρὸς τὸν πόλεμον $\Theta\varLambda$. 99. ἀναγκασθεῖμεν $\Gamma^a\Gamma$ pr.: ἀναγκασθείημεν $\Theta^a\varLambda^a\Theta\varLambda\Gamma$ corr. 3.

VIII 25. ἡμᾶς $\Gamma^a\Gamma$: ὑμᾶς $\Theta^a\varLambda^a\varLambda\Pi$.

Postquam codices Γ^a et Θ^a consimiles esse docuimus, codices $\Gamma^a\Theta^a\varLambda^a$ inter se consentire demonstratum erit, si codicem $\varLambda^a$ cum Θ^a congruere probaverimus. Codices $\varLambda^a$ et Θ^a autem contra ceteros codices coniunctos esse firmatur vel iis locis, quibus cum codice Γ contra vulgatam faciunt memoriam, cuius generis in oratione „de pace" haec exempla inveni.

$\Theta^a\varLambda^a$ cum Γ contra $\varLambda$ (Π):

VIII 25. ἄξομεν Γ (Γ^a): ἄξωμεν $\varLambda\Pi$. 28. ἔχειν Γ: ἔχουσιν $\varLambda\Pi$. 29. μεγάλαι Γ: πολλαὶ $\varLambda\Pi$. 32. τηλικαύτην δύναμιν Γ: τηλικαύτη ($\varLambda\Pi$) δύναμις (Π). 32. ὅσην Γ: ὅσονπερ $\varLambda\Pi$. 32. καὶ τὰς ἄλλας ὠφελείας Γ: ἄλλας om. $\varLambda\Pi$. 32. ἀμελοῦντες Γ: ὀλιγωροῦντες $\varLambda\Pi$. 32. βέλτιον πράττειν Θ^a, πράττειν βέλτιον $\varLambda^a\Gamma$: βέλτιον τῶν ἄλλων πράττειν $\varLambda\Pi$. 33. ἐν τούτοις Γ: ἐπὶ τούτοις $\varLambda\Pi$. 34. ὁρῶ γὰρ Γ: ὁρῶ μὲν γὰρ $\varLambda\Pi$. 35. προῃρημένων Γ: προαιρουμένων $\varLambda\Pi$. 35. ὥσθ' ὁπόταν Γ: ὥσθ' ὅταν $\varLambda\Pi$. 37. γίγνεσθαι Γ (γίνεσθαι Θ^a): γεγενῆσθαι $\varLambda\Pi$. 38. πρὸ τούτων γενομένοις Γ: πρὸ αὐτῶν γεγενημένοις $\varLambda\Pi$. 38. οὐ πάντων Γ: οὐχ ἁπάντων $\varLambda\Pi$. 38. δοκεῖ μὲν Γ: μὲν om. $\varLambda\Pi$. 39. τὸν μὲν περὶ

Γ: *μὲν* om. *ΛΠ*. 39. *ἀγνοούσαις Γ*: *νοσούσαις Λ*, *νουσούσαις Π*. 41. *ἡμῖν Γ*: *ὑμῖν ΛΠ*. 41. *ἡμᾶς Γ*: *ὑμᾶς ΛΠ*. 43. *τιμὴν ἐκείνοις Γ*: *ἐκείνοις τιμὴν ΛΠ*. 43. *τῶν ἄλλων Γ*: *τῶν ἑλλήνων ΛΠ*. 44. *τις διδῷ πλείω* (*πλείονα* $Λ^α$) *μισθὸν Γ*: *τις πλείονα μισθὸν διδῷ ΛΠ*. 45. *παρανομίας Γ*: *πλεονεξίας ΛΠ*. 45. *διαπεπραγμένους Γ*: *διαπραττομένους ΛΠ*. 46. *τῶν καθ' ἡμέραν ἐσμὲν Γ*: *ἐσμὲν τῶν καθ' ἡμέραν ΛΠ*. 46. *ἁπάντων ἀνθρώπων Γ*: *ἀνθρώπων* om. *ΛΠ*, cf. p. 101. 49. *διοικούμενα περὶ Γ*: *διοικούμενα καὶ περὶ ΛΠ*. 50. *ῥάδιον Γ*: *ῥᾷον ΛΠ* edit. recte: cf. Bait. ad Paneg. p. VIII. 50. *τῆς δυσγενείας Γ* pr., *αὐτῶν* s. v. add. 4: *τῆς αὐτῶν δυσγενείας ΛΠ* cf. p. 98. 51. *ποιοῦντας Γ*: *ἐμποιοῦντας ΛΠ*. 52. *διαλιπόντες Γ*: *διαλείποντες ΛΠ*. 52. *ἐνθάδε Γ*: *ἐνταῦθα ΛΠ*. 52. *χρώμεθα συμβούλοις Γ*: *συμβούλοις χρώμεθα ΛΠ*. 54. *προστάτας τε Γ*: *τε* om. *ΛΠ*. 54. *γενόμενον Γ*: *δυνάμενον ΛΠ*. 133. *εἶναι νομίζοντες Γ*: *νομίζοντες εἶναι Λ* (*νομίζοντες* $Γ^α$ pr., *εἶναι* add. 4, cf. p. 68). 134. *δεύτερον δ' ἦν Γ*: *δεύτερον ἦν Λ*. 135. *τρίτον ἦν Γ*: *τρίτον δ' ἦν Λ*. 135. *τὰς δυναστείας καὶ τὰς ἡγεμονίας διδόασιν* (*παραδιδόασιν* $Λ^α$) *Γ*: *τὰς ἡγεμονίας καὶ σφᾶς αὐτοὺς ἐνδιδόασιν Λ* corr. 2. 136. *τοὺς ἄλλους ἕλληνας Γ*: *τοὺς ἕλληνας Λ*, cf. p. 98. 137. *τό γ(ε) Γ*: *τό θ' = Λ*. 138. *ἀπέχεσθαι τῶν Γ*: *ἀπέχεσθαι τούτων τῶν Λ*. 138. *καταφεύξονται Γ*: *καταφεύξωνται Λ*. 139. *ἀπορήσομεν Γ*: *ἀπορήσωμεν Λ*. 139. *καὶ προθύμως Γ*: om. *Λ*. 139. *γὰρ πόλις Γ*: *γὰρ ἡ πόλις Λ*. 140. *τοιαύτης εὐνοίας ἡμῖν Γ*: *τῆς τοιαύτης εὐνοίας Λ*. 140. *εἰς τὴν πόλιν εἰσρυήσεσθαι Γ*: *εἰσρυήσεσθαι καὶ εἰς τὴν πόλιν Λ*. 141. *ἐπ' ἀρετῇ Γ*: *ἐν ἀρετῇ Λ*. 141. *δόξαν τὴν τῶν Γ*: *τὴν* om. *Λ*. 142. *τούτων Γ*: *πάντων Λ*. 142. *τῇ πόλει Γ*: om. *Λ*. 142. *ἀναλογισαμένους Γ*: *ἀναλογιζόμενος Λ* pr., *ἀναλογιζομένους* corr. 2. 142. *ἐξ αὐτῶν Γ*: *ἀπ' αὐτῶν Λ*. 142. *τὰς ἐν λακεδαίμονι* (*λακεδαιμονίᾳ* $Λ^α$) *βασιλείας Γ*: *τὴν λακεδαιμονίων βασιλείαν Λ*. 143. *τοσούτῳ δὲ Γ*: *τοσοῦτο δὲ Λ*. 143. *καὶ τὰς ἀσπίδας Γ*: *τὰς* om. *Λ*. 144. *τοῖς πράγμασιν ἡμῶν* (*ἡμῶν* om. $Θ^α$) *Γ*: *τοῖς τοιούτοις πράγμασιν ἡμᾶς Λ*. 144. *τῆς τιμῆς*

ταύτης Γ: *τῆς τοιαύτης τιμῆς Δ*. 144. *αἰτίαν αὐτοῖς Γ*: *αὐτοῖς αἰτίαν Δ*. 144. *ἔσεσθαι Γ*: *γενέσθαι Δ*. 145. *καλῶν Γ*: *παντοδαπῶν Δ*. 145. *μῆκος — πλῆθος Γ*: *πλῆθος — μῆκος Δ*. 145. *τοιαῦτα καὶ Γ*: *καὶ* om. *Δ*. 145. *πολὺ βελτίω Γ*: *πολλῷ βελτίω Δ*.

Accedunt paucae lectiones, quibus consensus codicum $\Theta^a \varDelta^a \Gamma$ codicis Π memoria firmatur:

VIII 25. *βουλευσαμένους* $\Theta^a \varDelta^a \Gamma \Pi$ (Γ^a): *βουλευσομένους Δ*. **26.** *εἰπεῖν ἐν ὑμῖν* $\Theta^a \varDelta^a \Gamma \Pi$: *εἰπεῖν ὑμῖν Δ*. **26.** *οἷς νῦν τυγχάνομεν* $\Theta^a \varDelta^a \Gamma \Pi$: *οἷς ἐτυγχάνομεν Δ*. **35.** *θεοφιλέστερον* $\Theta^a \varDelta^a \Gamma \Pi$: *θεοφιλέστατον Δ*, **cf.** *κάλλιον*. **38.** *περὶ ὧν* $\Theta^a \varDelta^a \Gamma \Pi$ = *Δ* **pr.,** *καὶ* **s. v. add. 2. 41.** *ἀλλὰ πᾶν* (*ἀλλ' ἅπαν* $\varDelta^a$) $\Theta^a \varDelta^a \Gamma \Pi$: *πᾶν* **om.** *Δ*. **50.** *ἀλῷ* $\Theta^a \varDelta^a \Gamma \Pi$: *ἀλλῷ Δ*. **54.** *συμβουλεῦσαι* $\Theta^a \varDelta^a \Gamma \Pi$: *συμβουλεύσασθαι Δ*.

Quibuscum conferri possunt eae lectiones, quae concentum codicum $\Theta^a \varDelta^a$ cum $\Gamma \varDelta$ contra Π servant, cum iis quoque librariorum neglegentia patefiat.

$\Theta^a \varDelta^a$ cum $\Gamma \varDelta$ contra Π:

Narratur enim his capitibus, quae res Romanis anno 256/498 gestae sint, inter quas maximi est momenti dictatura instituta (inde a cap. 63). Quae qua de causa inventa sit explicaturus Dionysius refert imminente cum foederatis Latinorum civitatibus bello, cum exercitus conscriberetur, omnes fere pauperes, eos imprimis, qui aes alienum solvere non possent, eamque ob rem nexu oppressi essent (*οἱ . . . ἐνδεεῖς βίου καὶ μάλιστα οἱ τὰ χρέα τοῖς συμβαλοῦσι διαλῦσαι οὐ δυνάμενοι*), nomina non dedisse, neque prius se daturos iactasse, quam senatus consulto debita sibi remissa essent; quin etiam secessionem iam minatos esse. Id ipsum iam non iniuria popularem quendam fontem resipere suspiceris comparato alio quodam Dionysii loco (VI 22, 1 sq.) [2]), quo plebei non solvendo non fuisse, sed solvere se non posse simulasse dicuntur. Sed audiamus, quae sequuntur! Senatus multis de debitorum postulatis ver-

1) Virckio imprimis, cuius diss. 'Die Quellen des Livius und Dionysius f. d. älteste Geschichte d. röm. Republ.' p. 37—41 quaeso conferas.

2) *τῶν μὲν δημοτικῶν ἀδυνάτως ἔχειν σκηπτομένων* (de notione verbi *σκήπτεσθαι* cf. Dion. ant. III 3, 2; 23, 17; 26, 2; 29, 1; 37, 3; 39, 4; 73, 3; V 6, 2; VII 50): *διαλύειν τὰ χρέα* et infra (VI 22, 2): *οὔτε τῶν χρεωφειλετῶν ποιεῖν οὐδὲν δίκαιον* (sc. *ἀξιούντων*).

bis factis diversissimisque sententiis dictis (cap. 63—69) decrevit, ut senatus consultum de ea re differretur, dum bellum confectum esset, interea vero ne ullae pecuniae a debitoribus exigerentur, neve ullus magistratus iudicia exerceret, nisi militaria (69, 2). Sed etiamsi aliquantulum hoc consulto ad populum edito tumultus repressus esset, tamen erant, qui fore ut his dilationibus plebs deciperetur praemonerent; sine fuco et fallaciis potius aut petentibus sibi obsequendum fuisse aut aperte negandum; aliam enim esse mentem hominum angustiis circumventorum auxilium petentium, aliam postea, cum optata eis contigissent (69, 3).

Sed ad eas res potissimum velim animum attendas, quae deinceps enarrantur: apertissime enim fontem arbitror eas quasi demonstrare, ex quo haustae sint. Namque senatui curanti ac circumspicienti, quo modo seditio iamiam eruptura reprimatur, novum magistratum, dictaturam nimirum, instituere placet. Plebs autem, si Dionysium audimus, hoc instituto turpiter et fraudulenter iure suo destituta est. Nam lex de provocatione a P. Valerio Publicola lata dissoluta est, novum nobilitatis praesidium positum, quo facilius plebs, quae tum ne suspicabatur quidem patriciorum insidias, servitute premi posset. Sed ipsius Dionysii verba adferam, ut me ea non nimis premere cognoscas; leguntur autem V 70, 4 haec: *προβούλευμα, δι' οὗ παρακρουσαμένη* (sc. *ἡ βουλή*) *τοὺς πένητας καὶ τὸν βεβαιοῦντα τόν ἐλευθερίαν αὐτοῖς νόμον ἀνελοῦσα ἔλαθεν.* Praeterea cf. qu. 70, 3 et 5; et Virckii diss. p. 39.

Sed ut iam omnis dubitatio evanescat eluceatque neminem nisi Sullae aequalem eumque inimicissimum memoriae, quae apud Dionysium exstat, auctorem esse, i. e. Licinium Macrum, legas quaeso cap. 77. Vides acerrimo cum Sullae odio inter se opponi primam, T. Larcii, dictaturam et dictaturam, quae dicebatur, L. Cornelii Sullae, qui primus ac solus huius magistratus potestate crudeliter abusus sit, cum tot penes homines tamque periculosis temporibus dictatura a tyrannica dominatione et superbia libera mansisset. Sed

dixerit quispiam nondum demonstratum esse Dionysium, quae hic profert, iam in fonte suo invenisse. Quod si quis dubitaverit, concedam sane aliqua ex parte illa, quae de dictaturae historia et usu exponuntur, esse ipsius Dionysii, huius ipsius iudicio et doctrina permixtis, totamque ipsi attribuerim imprimis paragraphum 6 (inde ab εἰ μὲν οὖν ἀναγκαίως etc.). Sua tamen sponte eum Sullae dictaturam in comparationem vocasse et acerbissima damnatione affecisse, meo iure negaverim, praesertim cum cap. exeunte ipse dubitet, num tali iudicio re vera Sulla dignus fuerit. Patet enim casu fieri non potuisse, ut primus dictator T. Larcius, quamvis ipse quoque minus popularis fuisse diceretur, quam Cloelius collega, benevolentissima laude efferretur, confestim deinceps Sulla, dictator novissimus, inimicissimis obrueretur opprobriis. Immo de industria Licinius Macer T. Larcii laudes auxit, quo clarius elucere aequalibus Sullae superbia, iniuria, crudelitas.

Atque ut hic Sulla ipse inducitur, sic alias Sullanae aetatis si non res ipsae, tamen velut imagines speculo repercussae cernuntur aut, ut ita dicam, praeter res ante oculos propositas umbrae quasi temporum Sullanorum ascendunt. Ut cap. 60, 2 eiusdem T. Larcii modestia iniussu senatus suo arbitrio quidquam statuere nolentis aequalibus imitandum exemplum proponitur; 60, 4 quam potuerit, mitissime in Fidenates, qui a populo Romano defecerant, victos consuluisse Larcius narratur: paucos tantum defectionis auctores inspectantibus omnibus in Fidenatium foro caedi iussit. At quanta crudelitate Sulla in socios Italicos, Praenestinos, Neapolitanos, Samnitium imprimis civitates saevierat! [1]) Talia profecto aequalibus Licinii annales legentibus in mentem venire et collata cum pristina modestia ac clementia vel foediora et indigniora videri paene necesse erat.

Sed ne hoc quidem praetermittendum arbitror ei, qui auctoris narrationis indolem cognoscere cupiat, cap. 59, 1 Larcii collegam, Q. Cloelium Siculum, gratia plebis et miti ingenio

1) Cf. Ihne 'Röm. Gesch.' V 387 sqq.

insignem describi. Nimirum idem, ne dictator dicatur, deinde a senatu, qui eius erga plebem favorem metuebat, fraude quadam impeditur. Vides annalium scriptorem popularium partium studio hic in angustias quasi inductum esse, cum premere vellet et consulem civili laude digniorem dictatura prohibitum et alterum, cum dictator dictus esset, tamen ipsum quoque summa modestia — si quis cum Sulla conferret — usum esse.

Ideo quoniam tam certa vestigia aetatis, qua ille annalium scriptor fuerit, invenimus tamque perspicue ipsius studium atque iram cernimus, de fonte non iam poterit dubitari.

Sed illud sane adhuc incertum est, num omnia, quae Dionysius illa in parte antiquitatum narrat, Licinio debeat. Cui sententiae primum repugnare videtur locus quidam orationis, quam Valerium in senatu pro plebis causa habuisse Dionysius tradit. Cap. enim 64, 2 Valerius vereri se dicit, ne plebei aere alieno oppressi Tarquiniorum blandimentis inducti arma contra patricios caperent et regnum restituerent. Quod a Licinio excogitatum esse non crediderim. Sed cum in oratione (quamvis non ipsius oratoris verbis reddita) ista occurrant, in promptu est suspicio ipsi Dionysio ea esse ascribenda. Constat enim — Flierlii imprimis dissertatione [1]) — orationes antiquitatibus insertas magnam ad partem ex ipsius Dionysii officina ita prodisse, ut et quae apud Romanos scriptores invenit, arriperet et ipse amplificaret, adiceret, fingeret Graeca saepissime exempla secutus.[2]) Facillime autem fieri potuit, ut hic recordaretur, quae in cap. 53—57 de plebeiorum quorundam et servorum coniuratione ad Tarquinium restituendum facta — incertum adhuc, quo auctore adhibito — enarraverat.

1) Flierle, 'Ueber Nachahmungen des Demosth., Thucyd. u. Xenoph. in den Reden d. Röm. Archäol. des Dion. v. Hal.' Cf. etiam: Ranke, 'Weltgesch.' III 2, 136; Virck, l. l. p. 82.

2) Etiam in hac oratione inesse, quae ut scriptor Romanus componeret, fieri non poterat, cognosces ex 65, 1, ubi de Solonis σεισαχθείᾳ sermo fit. Tamen ne hic quidem desunt, quae iam ex Romano fonte fluxerint necesse est, ut pacis cum Porsenna rege ictae condiciones, de quibus v. infra caput V.

Hanc igitur orationem cur **totam** a Licinio abiudicem, non habeo.[1])

At unam sane partem reperies his in capitibus, quam equidem neque a Licinio neque ab ullo Romanorum scriptore talem saltem, qualem Dionysius reddit, exhibitam existimaverim, quippe quae nequaquam Romana et satis inepta sit: dico narrationem de dolis, quibus senatus assecutus sit, ut non Cloelius, sed Larcius, collega eius, dictator diceretur (inde a V 71). Ipse audias velim rem paucis comprehensam: convenit inter senatores Larcium dicendum esse, pudore autem quodam et metu impediuntur, ne repudiantes Cloelium laedant vel etiam incitent, ut plebis partes apertius fortiusque capiat. Tum maximus natu et auctoritate excellentissimus inter consulares — attendas quaeso nomen nullum adferri — orationem in senatu consulibus nimirum praesentibus habens nihildum decretum esse simulat suadetque, ut alter consulum aut sorte aut collega cedente eligatur. Omnes nempe hanc sententiam collaudant. Surgit vero alius — ne huius quidem nomen adfertur — et censere se dicit alteri consulum esse mandandum, ut collegam dictatorem dicat; sic enim aequo — id quod sane difficile est intellectu — honore ac gaudio utrumque fruiturum esse. Hoc quoque cum placuerit, ratum fit, ut ipsis consulibus inter se conveniat, uter utri dicendus sit. At quid iam fit? *Θαυμαστόν τι καὶ παρὰ πάσας τὰς ἀνθρωπίνας ὑπολήψεις πρᾶγμα ἐποίουν:* alter alterum verecundia ac modestia praecurrentes magnam senatui difficultatem adferunt, quomodo res absolvenda sit. Denique cum diu Larcius frustra clam a senatoribus maxime auctoritate valentibus rogatus sit, ut tandem se a collega dici sineret, Cloelius coram senatu eo dicto consulatu se abdicat.

Quas ineptias non Romanas esse plus uno indicio cognoscitur. Ac primum quidem, id quod iam Mommsenus [2]) monuit, haudquaquam credibile est, Romanum ullum scriptorem tam

1) Notandum est a Virckio (l. l. p. 54) totam hanc orationem Valerio Antiati tribui — iniuria, ut equidem putaverim. Sed vide infra caput V.
2) 'Röm. Staatsr.' II 155.

fuisse Romani instituti quamvis tum sublati imperitum, ut dictatore dicto consules abdicantes faceret, ut Dion. V 72, 3; 71, 2; 70, 4. Qui error quoniam apud Graecos scriptores saepius occurrit [1]), Mommsenus non sine veritatis specie coniecit Dionysium a Polybio optime ei cognito inductum esse. — Porro id mihi insigne Dionysii indicium videtur esse, quod hic, cum ceteroquin oratorum nomina adferre vel adamaverit, illarum sententiarum auctores qui fuerint, tacet. Videtur talibus in rebus amor eius veritatis, quem initio antiquitatum tanto cum spiritu de se praedicavit, cum studio illo pugnasse, quod item non semel confessus est, accurate explicandi et enarrandi, quanam ratione omnia acta essent, quae in senatu dicta, quibus causis ac rationibus homines commoti essent. Quae ut effusius referret, non satis materiae auctores Romani saepe ei suppeditabant.

Attamen fundamentum, ex quo opus suum exstruere posset Dionysius, hoc quoque loco iam a Licinio fortasse iactum fuit. Quid enim veri est similius, quam hunc ut alias sic hic quoque Larcium quam dissimillimum Sullae, pristinos illos homines quam dissimillimos aequalium suorum descripisse? Sulla, si verum dicendum erat, se ipse dictatorem fecit; contra T. Larcius quamvis omnium precibus petitus tamen commoveri vix potuit, ut amplum illum magistratum acciperet. Quo modo autem Licinius rem narraverit, quamquam ad amussim statui non potest, tamen aliqua ex parte puto adhuc cognosci posse. Nam duas illas rationes, quibus constitui posset, uter consulum dictatorem diceret, aut sorte decernente aut consulibus sua sponte rem inter se discernentibus, sollemnes fuisse etiam posterioribus quoniam accepimus, consentaneum est ne a Licinio quidem, cum dictaturae institutionem referret, illas neglectas esse. Id quoque iam a Licinio traditum fuisse facile crediderim senatum, qui posterioribus temporibus ipse dictatorem consulibus designare solebat, tum veritum consulum alterum alteri posthabere, ne hic plebis gratia elatus novarum rerum

1) Polyb. III 87, 8; Appian. Hann. 12; Plut. Anton. 8.

studeret, non aperte, sed fraude ac dolo id, quod vellet, perfecisse. At certe Licinius haec et brevius et minus inepte narraverat.

Sed iamdudum vereor, ne nimis longus videar in hac antiquitatum parte Macro adiudicanda, i. e. in re omnibus fere probata. Sed respicias quaeso me iudice hac una in parte Licinii vestigia, quae quidem totius narrationis natura atque indole prodantur, prorsus perspicua esse.

At obstant virorum doctorum sententiae, quibus toti hi libri antiquitatum maxima saltem ex parte Licinio tribuuntur. Ac ne ego quidem nego permulta praeter eam, quam modo perlustravimus, partem eodem ex fonte Dionysium hausisse: demonstravisse quemquam certas quasdam partes praeter hanc Licinianas esse nego. Quas enim huius opinionis viri docti protulerunt causas, eae ad gradus quosdam compositionis historiarum enucleandos suffecerint, ad ipsos auctores non sufficiunt. Ut si quae res apud Dionysium occurrunt, quae post Gracchos demum inventae esse possint vel Marianae vel Sullanae aetatis facta et mores redoleant, etiamtum de compluribus auctoribus cogitari potest, praesertim cum nos non ita certo sciamus, quibus annis vixerint nedum scripserint singuli annalium scriptores. Ita fit, ut quae nullis aliis indiciis accedentibus Licinium Macrum indicare putantur, etiam Valerii Antiatis, Aelii Tuberonis, vel etiam Gellii [1]) esse possint. Sic igitur censeo iudicandum esse de senatus auctoritate nimis iam imminuta, de iuribus iam illa pristina aetate, falso nimirum, tribunis plebis et plebi vindicatis, de tumultuosis senatus, populi, plebis conciliis, de militum nimia intemperantia, aliis similibus. Qualia etiam Virckius ut premeret ea fortasse ratiocinatione adductus est, ut concluderet: quoniam omnia, quae Dionysius narrat, uno tenore ac stilo [2]) composita essent, nempe eo, quem Graeci πραγματικόν vocant,

1) De Gellii aetate tam incerta habemus, ut Kiesslingius, de Dion. Hal. auct. lat. p. 31 etiam Licinio eum minorem esse censeat vel saltem aequalem.

2) Cf. Virckii diss. pp. 23. 29. 36.

una autem in parte Licinius, recentioris aetatis auctor, aperte cognitus esset et talibus, qualia modo enumeravi, indiciis certi quidam eique inferiores memoriae gradus et aetates auctorum significarentur, propterea illis iam Licinium ipsum prodi. At primum non solum Macer, sed etiam alii rerum scriptores non simpliciter eventa rettulerunt, sed sagacitatem illam, quam putabant, et diligentiam appetiverunt, ut quibus de causis res gestae essent, quibus rationibus homines commoti, quomodo singula cohaererent, demonstrarent; id quod ipse Virckius (p. 27) de Valerio Antiate exponit. Tum autem, cum mos fuerit annalium scriptorum Romanorum eos, qui antea scripserant, in suum usum vocare, quae illi tradiderant, exscribere, immutare, amplificare, sine dubio fieri potuit, ut duo vel plures fontes eiusmodi in universum consentientes Dionysio se offerrent, quibus promiscue uti posset nec continuationem rerum delens neque ordinem narrationis nimis perturbans. Quod re vera Dionysium fecisse, quamquam e rei natura sequitur ut raro perspiciamus, tamen e discrepantiis interdum aut inconstantia quadam cognoscimus, et ipse Virckius hac ratione adhibita praeter Licinium Valerium Antiatem a Dionysio exscriptum esse comprobavit, nec non ego exemplum unum alterumque adlaturus sum.

Restat, ut profitear me neque alia quaedam indicia, quae Virckius perlustratis V. et VI. Dionysii libris et cum aliis auctoribus collatis reperta ad Licinianam memoriam agnoscendam adhiberi posse arbitratur, pro satis certis habere, quae denuo disceptationem instituturus sequar: ut pugnarum varie et effuse exornandarum studium, familiae Larciae favorem. Unum tamen fundamentum, in quo bona fide nova quaedam erigere possimus, iam iactum esse, aliud quoddam praeterea iaci posse confido.

Sed priusquam ad haec consideranda adgrediamur, paucis, quae adhuc disputavimus, complecti liceat. Probatum igitur esse censeo libri V. finem (capp. 59—77) aut totum aut longe maximam partem Dionysium ex Licinii annalibus recepisse, quamquam non plane

integra, quae invenisset, redderet, sed, ut verbis Graecis utar, ῥητορικῶς et πραγματικῶς amplificata et exornata. Contra reliquis in partibus antiquitatum etsi quin Licinium saepius assumpserit, propter nomen eius saepius laudatum dubitari non potest, tamen per latiorem, ut ita dicam, campum certa eius vestigia adhuc nondum esse demonstrata arbitror.

CAPUT II.

Sequitur, ut, id quod modo promisi, de alia quadam inquirendi in Dionysii auctores ratione dicam, iamdudum viris doctis cognita nec non adhibita:

De Plutarchi P. Valerii Publicolae vita.

Quam primus, quantum video, Kiesslingius[1]) ex Valerii Antiatis annalibus haustam esse contendit. Ac cum plerique[2]) ei assensissent, Ad. Schmidtius suspicatus est et nuper Korber[3]) argumentis probare studuit Plutarchum sua non ipsi Antiati, sed Iubae regi debere, sed ne hi quidem negant primarium fontem fuisse Antiatis annales.[4]) Nec quisquam id iure potest negare. Nam certissimis ex indiciis Plutarchi narratio Valeriana esse perspicitur.

Quae ut paucis repetam, summum imprimis enitet familiae Valerianae studium, id quod maxime perspicuum fit Livii et Dionysii de eisdem rebus narrationes comparanti. Is enim cognoscet non solum Valerios summis laudibus ornatos, sed etiam plus semel rebus aperte fictis gloriam Valerianam esse auctam. Accedit quod numeri in ingens aucti aut subtiliter computati, quos Valerium Antiatem adamasse a Livio acce-

---

1) De Dion. Hal. auctoribus latinis p. 20 sqq.

2) Inter quos etiam H. Peter, 'Die Quellen Plutarchs in den Biographieen der Römer' p. 45 sqq. — Cf. praeterea Münzer, de gente Valeria p. 55 sq.

3) M. Korber, de fontibus Plutarchi in vitis Romanorum. Commentat. I. Berol. 1885.

4) l. l. p. 21.

pimus, in Plutarchi vita non desunt: cf. capp. 9 (11300 Etruscorum, 11299 Romanorum occisi); 20 (11300 Sabinorum, ne unus quidem Romanus); 16; 17. Adde, quod fragmenta nonnulla Valerii Antiatis, quorum in uno ipse Valerius laudatur, cetera magna cum specie veritatis ei a Kiesslingio et Petero [1]) tribuuntur, cum Plutarchi locis consentiunt (Ascon. in Pison. p. 13 Orelli = Plut. Publ. 20; Plin. nat. hist. 28, 4, 16 = Plut. Publ. 13; Gell. noct. Att. 7, 1 = Plut. Publ. 8).

Hic sane praetermittere nolo Korberum [2]) suo iure alteram partem primi fragmenti, quam H. Peter cum loco capitis 10. Plut. Publ. congruere dicit, a Valerio Antiate omnino abiudicare. At ea re sententia, qua Valerium Antiatem Plutarcho materiam vitae subministrasse putamus, non infringitur, ut Korber censet, sed firmatur. Nam in posteriore illius fragmenti parte, quam Hygino intercedente e Varrone desumptam esse Münzer [3]) docet, una saltem res exstat, quae et cum Plutarchi narratione pugnet et ad Antiatem nequaquam quadret:

Ascon. in Pis. 13	Plut. c. 10
Publ. Valerio Volusi filio Publicolae aedium de (*re* codd.) pub⟨lico lo⟩cum (*pul* .... *cum* codd.) sub Velia ubi nunc aedis Victoriae est, populum ex lege, quam ipse tulerat, concessisse tradunt.	ἐδέχοντο γὰρ οἱ φίλοι τὸν Οὐαλέριον ἄχρις οὗ τόπον ἔδωκεν ὁ δῆμος αὐτῷ καὶ κατεσκεύασεν οἰκίαν ἐκείνης μετριωτέραν, ὅπου νῦν ἱερόν ἐστιν Οὐίκας πότας ὀνομαζόμενον.

Vides eam memoriam, quam Asconius exhibet, Valerio Publicolae multo minus favere, quam Plutarchum, quo auctore non solum non Publicola legem rogante, sed sua sponte locum ad domum aedificandam populus donavit, verum etiam ipsam domum aedificavit.

---

1) l. l. p. 46 sq.

2) l. l. p. 19.

3) l. l. p. 19 idem minus probabiliter Varronem ex Antiate dependere conicit.

Constat igitur, quae Plutarchus enarrat, ex Valerii annalibus originem traxisse. Id tamen nuper in dubitationem vocatum est, ut iam commemoravi, num re vera Plutarchus ipse Valerium adierit.[1]) Quam dubitationem non solum nullo iure motam esse dissertatiuncula commentationibus in honorem Lipsii nuper editis inserta[2]) demonstrasse mihi videor, sed etiam spero multis me persuasisse reapse Plutarchi Publicolae vitam nullo alio auctore intercedente ex Valerii annalibus fluxisse.

Sed liceat mihi hic alias quaestiunculas quasdam de nonnullis locis Plut. Publ. inserere, quae tametsi ad Dionysii fontes perscrutandos minoris sunt momenti, tamen non ita a re quam agimus alienae videntur, utpote quae scientiae nostrae annalium scriptorum Romanorum rationisque, qua alter alterum respexerit quique paulatim fabulae creverint et excultae sint, aliquantulum adiciant. Tum autem semper cum aliqua voluptate nec sine fructu puto in Plutarchi auctores exscribendi rationem et varia frustula coniungendi inquiri. Quaeritur enim, utrum in eis locis 'Publicolae', ubi et ex sermone Plutarcho usitato et ex narrationum natura atque indole diversas diversorum auctorum memorias contextas esse colligere malis, re vera fontem Plutarchus mutarit, an interdum iam apud auctorem suum varias relationes coniunctas vel diversas impugnatas invenerit.

Qua in re miror, quod Münzer l. l. p. 10 dicit Valerium Antiatem, 'gravissimum Plutarchi auctorem esse ita, ut ei etiam

1) Reussins, 'de Iubae regis historia Romana a Plutarcho expressa' comprobare studet Plutarchum non ex ipso Valerio, sed ex Iubae historia omnem Valerianam rerum Romanarum memoriam una cum Valerii Antiatis nomine desumpsisse. Laudatur enim Antias a Plutarcho Romul. 14. Num. 22 Flamin. 18 de fort. Rom. 10; aliis indiciis agnoscitur Romul. 10. Num. 15.

Ad. Schmidt, 'Perikl. Zeitalter' II 52. A. confidenter negat omnino Plutarcho cognitos fuisse Valerii annales, id quod Korber l. l. per singulas Romanorum vitas etiam argumentis probare conatur.

2) 'Griechische Studien, Herm. Lipsius zum 60. Geburtstag dargebracht'. 1894 p. 169 sqq.

debeantur, quaecunque ex aliis fontibus adferantur'. Mitto Plut. Publ. 9 Anaximenem rhetorem, cap. 17 Athenodorum quendam laudari, cap. 15 historiam templi Iovis Capitolini usque ad Domitiani tempora referri, quales nimirum loci Münzero verba laudata conscribenti non erant in animo. Mitto adnotationes de vocis peculii origine et nominibus nonnullis propriis Romanorum (cap. 11 ex.) Plutarchi prodere usum, quippe qui in deliciis habuerit talia adnectere. Sed ne id quidem spero eis dubium futurum esse, qui dissertatiunculam meam supra laudatam legerint, quin fabula illa de Cloelia ceterisque obsidibus Romanis (cap. 19) ab ipso Plutarcho ex diversis fontibus (tribus minimum) congesta sit.

Contra H. Petero non minus astipulandum est ea, quae in fine cap. 8 (Sint. ed. min. 197, 20 sqq.) inde a verbis, quae sunt *ἔνιοι δὲ τοῦτο συμπεσεῖν ἱστοροῦσιν κτλ.*, et quibus fontem mutatum esse oritur suspicio, leguntur, Valeriana esse asserenti collatis Gell. VII 7 (= Val. Ant. fr. 1).

Varium est virorum doctorum iudicium de cap. 14 Plut. Publ. dedicationem templi Iovis continente. Quam narrationem totam ex annalibus Valerii Antiatis fluxisse cum Münzero placeat, H. Peter, nec non O. Gilbertius (philol. Anz. IX 289), ut videtur, e variis fontibus ab ipso Plutarcho congestam esse iudicant ita quidem, ut verba fere, quae sunt: *Ἔνιοι δὲ κλήρῳ τῶν ὑπάτων λαχεῖν ἐκεῖνον ἐπὶ τὴν στρατείαν ἄκοντα, τοῦτον δὲ ἐπὶ καθιέρωσιν* (Sint. p. 204, 4—6) alteri auctori tribuantur, ea autem, quae sequuntur: *Ἔξεστι δὲ περὶ τούτων ὡς ἔσχεν εἰκάζειν τοῖς πραχθεῖσι περὶ τὴν καθιέρωσιν* ipsius Plutarchi efficiant iudicium. Et Münzer et Gilbertius Virckii sententiam, qui opinatur alteram narrationis partem, dolum Valeriorum continentem, ab Antiate demum fictam esse, reiciunt.

Ut vero, quae ipse de hac re sentiam, exponam, ex integro quaestionem tractare liceat. Ac primum quidem initium capitis 14 usque ad *ἔνιοι δέ φασιν* (Sint. 203, 21—204, 4) cur a Valerio Antiate abiudicemus, non est; immo etiam certa

Antiatis vestigia cernuntur. Nam cum ceteroquin eadem referantur, quae a Dionysio Hal. V 35, 3, Plutarchus e a i n r e ab hoc dissentit, quod Horatium non sua sponte, sed incitantibus Publicolae inimicis honorem templi dedicandi appetivisse, auctoribus eisdem dedicationem arripuisse dicit: vides Antiatem gentilis sui laudatorem (cf. 203, 28: *Ἐφθόνουν δὲ πολλοὶ τῶν δυνατῶν κτλ.* et 204, 2: *ψηφισάμενοι τὸν Ὡράτιον καθιεροῦν*).

Quam narrationem cum Dionysiana fere consentientem si solam Antias in fontibus suis invenisset, ut Dionysius solam rettulit, quomodo fieri potuisse credes, ut talem fabulam de suo adnecteret, qualem altera in parte capitis 14 'Publicolae' legis? Audimus enim M. Valerium, ut fratri Publicolae honorem sua quidem sententia inique ereptum quoquo modo recuperaret, M. Horatio iam ipsam precationem sollemnem pronuntianti fictum nuntium misisse filium eius mortuum esse, eo quidem consilio, ut ille dedicationem perficere non posset; Horatium vero nihil turbatum, ut corpus mortui efferretur imperasse. Tantum profecto abest, ut talia ipsum Valerium finxisse Virckio concedamus, ut etiam prona sit suspicio eum ista omnino non rettulisse. Sed ne haec quidem sententia stare potest, cum etiam hac in parte narrationis Plutarcheae uno quodam indicio prodatur auctor Valerius Antias. Animum enim quaeso advertas a Plutarcho non ut a Livio eandem rem narrante necessarios nominibus neglectis, sed fratrem Publicolae nominatim induci, qui fraudem illam atque insidias Horatio intulerit. Quod fortuito accidisse cave putes. Nam apparebit Publicolae vitam a Plutarcho enarratam cum reliquorum scriptorum memoria comparanti, imprimis cum Dionysii alioquin simillima narratione, nemini nisi Valerio Antiati in deliciis fuisse, scientiam familiae Valerii Publicolae quam accuratissimam iactare; saepius enim ille non solum, quae Valerius ipse fecisset, sed etiam quomodo frater, quomodo coniunx eum adiuvissent, memoriae tradidit.[1] Mea igitur

---

1) Cf. Plut. Publ. 5 (194, 1—7 et 19) cum Dion. V 7, 4 sq.

sententia iam Valerius Antias illum dolum contra Horatium commissum non sane totum finxit, verum alium quendam auctorem secutus reddidit.

Quam sententiam confirmari credo hac deliberatione. Fac rem non ita se habere, sed in Antiatis annalibus tantum ea relata fuisse, quae Plutarchus capitis 14 initio enarrat: Valerio Publicola absente Horatium mandante senatu templum Iovis dedicasse; alteram vero fabulae formam, qua inter Valerium et Horatium sorte convenisse ferebatur, ex alio nescio quo scriptore esse depromptam; praeterea Plutarchum apud eundem — non Antiatem — machinationem illam Valeriorum invenisse. Haec enim duo ab uno eodemque scriptore re vera enarrata fuisse testis est Livius, qui II 8, 6 sqq. plane eadem exhibet. Haec igitur si posueris, existimandus erit Plutarchus verbis, quae sunt: 'Ἔξεστι δὲ περὶ τούτων ὡς ἔσχεν εἰκάζειν τοῖς πραχθεῖσι περὶ τὴν καθιέρωσιν' priorem alterius memoriae (quam Livianam vocare liceat) partem suo Marte refutasse eiusdem memoriae parte posteriore, cum hac vero ita coniunxisse alteram sc. Antiatis relationem, ut plane nova fabulae memoria evaderet. Nescio an hoc sit nimiae libertatis fabulas traditas et expendendi et variandi quam ut Plutarchum talia ausum esse credamus. Porro aliam quoque ob rem, nisi fallor, Plutarchus, etiamsi duos fontes inspexisset, illam de M. Valerii fraude fabellam in utroque traditam invenisse putandus esset. Dicuntur enim ea, quae M. Valerius contra Horatium susceperit, a Plutarcho simpliciter 'τὰ πραχθέντα', ex quibus quae vera sint inter ceteras res relatas, quae non, colligi possit; Plutarcho igitur illa 'τὰ πραχθέντα' re vera facta esse auctores sui videntur persuasisse. Vix autem tali elocutione et ratiocinatione usus esset, si rem ab altero scriptore enarratam invenisset, ab altero omissam. Quare, etiamsi ponamus (Petero concedentes verbis qu. s. Ἔξεστι δὲ κτλ. ipsius Plutarchi iudicium expressum esse) Plutarchum ipsum complures adhibuisse fontes, credere proclivius sit duas in promptu fuisse Plutarcho narrationes parte priore inter se dissentientes, posteriore — de

machinatione Valeriorum — in summa consentientes, alteram vero earum — quam diximus Livianam — ut minore fide dignam ab eo esse reiectam. Haec vero si tibi comprobavero, concedes et ab altero illo Plutarchi auctore et ab Antiate dolum illum Valeriorum traditum fuisse.

Ergo enarravit Antias, si me audis, et Plutarcho suppeditavit fabulam illam de Valeriorum contra Horatium fraude. Quod si verum est, valde hercle licet dubitare, num omnino alium praeter Antiatem Plutarchus assumpserit scriptorem, ut modo supra posuimus. Cognoscis enim tam manifestum familiae Valerianae studium ceteris in partibus narrationis Plutarcheae — ut supra iam adnotatum — ut vix credas, eundem Valerium Antiatem enarrasse M. Valerii contra Horatium conatum haud profecto honestum, nisi hac quoque re quodammodo in suum usum conversa. Quod re vera fecit, nisi iniuria ego totum cap. 14 Plut. Publ. Antiati ascribo de hac re prorsus ad Münzeri sententiam me applicans.[1]) Reddidit igitur, si haec recte sunt disputata, Antias, quae in fontibus exhaustis invenerat, fere omnia, neque tamen integra, sed partim immutans partim refutans. Legit in eisdem, ut videtur, annalibus, quos Livius secutus est, sortem inter consules iactam esse, uter templum dedicaret, tamen Valerios fraude parata operam dedisse, ut Publicolae honorem recuperarent. Cuius doli memoria cum maiore esset auctoritate, quam ut prorsus neglegere auderet, ex ea saltem argumentum repetivit, quo narrationem illam de sorte iacta traditam falsam esse demonstrare posset: nimirum ineptus fuisset M. Valerii conatus, si numine divino Horatius electus fuisset, qui templum dedicaret. Ipse igitur alteram relationem probavit, qua Publicola absente Horatius dedicationem arripuisse fertur. Quo id quoque assecutus est, ut minus improba viderentur, quae M. Valerius, non iam contra deorum decreta, sed adversus hominum invidiam conabatur. Nempe etiam in priore parte narrationis novavit, id quod ex memoria

1) Cf. Münzer l. l. p. 12.

Plutarchi cum Dionysii collata facile cognoscitur, ex qua quin illa, i. e. Valerii ipsius, deducta et transformata sit, mihi quidem non est dubium. Plutarcho enim vel potius Antiate auctore Horatius ab optimatibus incitatus est, ut dedicationem appeteret. Etiam hac mutatione effecit, ut turpitudo fraudis Valeriorum aliquantulum imminueretur, utpote qui iniuriam accéptam ulcisci studuissent.

Hic non alienum puto a re, huius de templo dedicato fabulae historiam inserere, quam dilucidiorem quam alias solemus perspicere ac distinguere possumus, si ea, quae varia ad nos pervenere, exempla ita inter se conferemus, ut alterum ex altero deducatur.

Ac primum quidem si originem totius fabulae quaeris, discrepantia quaedam annalium scriptoribus videtur offensioni fuisse, cum alia facta esse exspectarent, alia monumentis credo notata viderent. Nam M. Horatium re vera templum dedicasse, testis sine dubio etiamtum aderat ipsa templi inscriptio dedicatoria. Quod testimonium non sine admiratione videntur illi legisse, quoniam praeter hunc honorem acceptum et consulatum fortasse gestum nihil gloriose ab eo facti neque in annalibus, qui dicuntur, maximis relatum neque hominum memoria propagatum inveniebant. Contra, qui collega eius in consulatu erat, P. Valerii Publicolae tanta paulatim gloria et fama et fictionibus variis Valeriorum aucta creverat, ut iam per omnium ora res ab eo gestae vel non gestae ferrentur. Quare causas desiderabant historici illi, cur non etiam templi dedicatio Valerio potius quam Horatio delata esset. Quas videmus varias ab eis repertas esse, quarum unam tamen praeter ceteras et simplicitate et veritatis specie commendari et quasi sua sponte se offerre necesse erat. Nam cum antiquissimis certe temporibus nisi consulem aut imperatorem templum dedicare Livio teste [1]) fas non esset, quid promptius esse poterat, quod conicerent, quam tum, cum

1) Cf. Liv. IX 46, 7 '. . . cum more maiorum negaret nisi consulem aut imperatorem posse templum dedicare.'

templum dedicandum esset, Valerium afuisse, ut hostes defenderet? Quod si semel inventum erat, illud quoque facillime adici poterat, Horatium ipsum Valerio absente, ut dedicationis honorem praeoccuparet, egisse. Quibus ita constitutis iam tenes narrationem Dionysianam V 35, 2, quae ut simplicitate, quam exposuimus, ita compositionis brevitate priorem prodit aetatem. Dionysium autem, qui novissimos fere fontes videtur secutus esse, tam antiquam praebere formam cave ne mireris. Occurrunt enim saepius in ipsis partibus, quae seram clamant aetatem, pristinae memoriae vestigia, quae vix aliter interpretari possis, nisi ut Dionysii auctorem recentiora et antiquiora in novam conflavisse narrationem statuas. Quis hic fuerit auctor, quanquam nunc non curo, adnotandum tamen puto, Nitzschium et Virckium Licinio Macro has partes assignavisse.

Erat tamen praeter hanc altera quaedam via explicandi, quomodo fieri potuisset, ut non Valerius, sed Horatius templum dedicaret. Permultis enim in rebus magistratibus Romanis usitatissimum erat sorte iacta provincias distribuere. Sed, si quid video, minus in promptu erat haec ratio, quam altera, cum rarissime sorte, plerumque senatus consulto aut populi scito dedicationum honores videantur dispertiti esse.[1] Serius igitur, quam prior illa historiae forma constituta est, hanc, qua dedicatio ad Horatium sorte delata esse ferebatur, nescio quis videtur substituisse; quae quin re vera in annalibus Romanis fuerit, non dubito.

Ad nos sane non iam integra haec forma pervenit, sed cum novo commento coniuncta: cum fraude Valeriorum contra Horatium parata.[2] Cuius additamenti formam antiquissimam, quam quidem adhuc traditam habeamus, Cassius Dio, nisi fallor, exhibet.[3] Rectissime enim iam

---

1) Cf. Liv. II 27, 5.

2) Non reticendum Nitzschium 'Die römische Annalistik' p. 42 huic narrationis parti antiquissimam vindicare vetustatem.

3) fr. 13 ed. Melber.

Münzer[1]) docuit nonnullis Livii locis[2]) ad antiquiores auctores sine dubio revocandis vestigia quaedam invidiae aut saltem minoris erga Valerium Publicolam pietatis distingui, cum posterioribus temporibus semper magno cum amore et admiratione videatur descriptus esse. Atqui talia indicia etiam in Dionis narratione manifesta cernuntur. Nam cum Livio et Plutarcho auctoribus M. Valerius frater vel necessarii insidias in M. Horatium machinentur, secundum Dionis memoriam Publicola ipse et dolum invenit et falsum nuntium ad Horatium iamiam postes templi tenentem misit.

Iam age ascendamus ad quartum fabulae gradum, in quo ex duabus veterrimis formis unam novam contextam videmus. Etenim ut apud *Dionysium* legis, Valerius cum hostibus pugnaturus Roma copias eduxit, Horatius templum dedicat; ut *Cassius Dio* enarrat, sorte Horatio obtigit dedicatio; ex *Livii* vero narratione (II 8, 6 sqq.) ambae sorte provinciae dispertitae sunt, qua huic dedicatio illi bellum gerendum tribuebatur. Qua ipsa ex re aliam immutationem eius narrationis, quae apud Dionem est, trahi necesse erat. Nimirum cum Valerius Publicola absens Horatio fraudem inferre non iam posset, res gerenda saltem *necessariis* erat suscipienda itaque factum est, ut Publicola non iam inhonestas partes ageret. Livius vero etiam rationes rei excogitatas ad necessarios alia multa iam frustra molitos relegat.

Iam vero nominatim adferre possumus eum, qui proximam fabulae formam excoluit: Valerium dico Antiatem. Qui altera ex parte, quam modo adumbravimus, Livianam, altera antiquissimam memoriam, quam nos quidem apud Dionysium legimus, secutus est. Ex Liviana enim narratione fraudem Valeriorum excepit, nisi quod in necessariorum Valerii locum unum M. Valerium fratrem substituit; contra provinciarum distributionem sorte factam et repudiavit et refutavit, cuius in locum antiquissimam memoriam, aliquantulum

1) l. l. p. 11 sq.
2) Cf. Münzer l. l. 11 sq.

in Valeriorum gratiam auctam et excultam restituit. Animadvertas enim quaeso — id enim dignum est, quod ab eis, qui annalium scriptorum artem ac consuetudines cognoscere volent, animadvertatur — eum primum perspexisse sorte coniecta fraudem Valeriorum absonam esse, cum priores hanc discrepantiam plane non curasse putandi sint. Qua denique ratione etiam id simul Antiati contigerit, ut famae Publicolae et Valeriorum consuleret, supra iam mihi explicatum est.

Sed iam e deverticulo, quo huius fabulae historiam persecuti sumus, ad Plutarchum revertamur! Ut in cap. 14 sic in 9 (199, 1—4) sententiam a comprobata discrepantem, quam primo aspectu ex altero aliquo scriptore petitam esse suspiceris, iam in annalibus Valerii Antiatis significatam atque impugnatam fuisse putaverim, quamquam certis argumentis evinci non posse concedo. P. 199, 1—4 Sint. de triumpho, quem Valerius Publicola egit, leguntur haec: '*καὶ τὸ πρᾶγμα σεμνὴν καὶ μεγαλοπρεπῆ παρέσχεν ὄψιν, οὐκ ἐπίφθονον οὐδ' ἀνιάσασαν, ὥς ἔνιοι λέγουσιν, τοὺς ὁρῶντας*'. Etiam hic, nisi fallor, habemus Antiatem contra priores scriptores, qui nondum tanto erga Valerios studio et pietate ducebantur, pugnantem.

At nequaquam possum ad Münzeri illud placitum de Antiate Plutarchi auctore me applicare de cap. 17 Plut. Publ. iudicium prolaturus. Ubi de Mucio Scaevola narratio ab his verbis incipitur: '*Τὸ περὶ Μούκιον εἴρηται μὲν ὑπὸ πολλῶν καὶ διαφόρως, λεκτέον δὲ ᾗ μάλιστα πιστεύεται καὶ ἡμῖν*'. Vel ex hac praefatione colligere debemus Plutarcho praeter eam, quam Antias offerebat, narrationem alteram, si non complures alias fuisse cognitas. Nam quamquam minime diligenter auctores laudare solet, tamen nusquam simulandi studium deprehenditur. Sed accedunt alia quaedam indicia, quae Virckius detexit (l. l. p. 79 sq.). Tritam illam de dextra super igni iniecta fabulam et Cicero (pr. Sest 21, 48; parad. 1, 2, 12) et Dionysius (V 27 sqq.)[1]) videntur ignorasse, ut serioris aetatis suo iure eam iudicet Virckius)[2]; Valerio autem

1) Cf. Virck. p. 79.

2) Virckius p. 80: 'Es ist also sehr wohl möglich, dass diese Anec-

Antiati et Dionysii his in partibus auctori saepius unum eundemque fontem esse exhaustum idem Virckius docuit. Itaque suspicio oritur ne Antiatem quidem illam fabulam cognovisse, Plutarchum autem, quia narratiunculae de manu tosta aliunde sibi notae recordaretur, ab Antiate hic recessisse et alium quem scriptorem adisse vel ex memoria eam addidisse. Antiatis vero de Mucio narrationem non vulgatissimam nec fide dignissimam sibi visam esse ipse Plutarchus verbis supra laudatis significavit. Prorsus igitur hac in re astipulor Virckio (p. 79 sq.), una tamen re excepta: minus enim crediderim Livium fuisse Plutarchi auctorem. Id sane non obstat, quod Livius multo fusius, Plutarchus brevius fabulam enarrat. Concedendum enim erit Plutarchum, quemcunque sibi proposuit auctorem, eius narrationem contraxisse, cuius rei certa vestigia facile reperies. At nihilo setius, si Livium secutus esset, unum saltem adiecisse putandus erat. Nam cum Plutarcho auctore Porsenna Mucio ab igni vi remoto gladium, admiratione captus, reddat (*καὶ τὸ ξίφος ἀποδιδοὺς ὤρεξεν ἀπὸ τοῦ βήματος*), Livius II 12, 13 sqq. de hac re tacet. At fortasse hic opposuerit quispiam haud ita raro maiore cum licentia Plutarchum auctorum narrationes exornavisse. Cui respondebo aliam rem apud Plutarchum esse, quae cum in narratione Liviana desideretur, in Dionysii (V 28, 1) redit. Apud Plutarchum enim scriptum legis Mucium, ne hostium castra ingressus Romanus esse cognosceretur, Etrusca veste indutum Etrusco sermone usum esse (Sint. 207, 23: *Τυρρηνίδα φορῶν ἐσθῆτα καὶ φωνῇ χρώμενος ὁμοίᾳ*); quam rem utramque frustra quaeris apud Livium II 12, 5; alteram saltem reperis in Dionysio V 28, 1, ubi item Mucius Etrusca lingua loquens inducitur. Si vero scriptor aliquis ab alio recedens cum alio consentit, id casu factum esse vix potest, immo paene certissimum est argumentum consentientes illos aliquo vinculo inter se esse conexos. Ergo hac in re Plutarchus non Livium,

dote von dem alten Mucier erst an die Scaevolae geknüpft ist, als diese eine grosse Rolle spielten und vielleicht erst mit oder kurz vor Livius die vulgata ward.'

sed alium nescio quem secutus est. Sed ne illa quidem ex Livio Plutarchus haurire poterat, quae leguntur ed. Sint. 208, 7—10: *ἐγὼ δὲ κλήρῳ λαχὼν καὶ προεπιχειρήσας οὐκ ἄχθομαι τῇ τύχῃ διαμαρτὼν ἀνδρὸς ἀγαθοῦ καὶ φίλου μᾶλλον ἢ πολεμίου Ῥωμαίοις εἶναι πρέποντος.* Similiter rursus in Dion. V 30, 2 si non Mucius, at Arruns filius Porsennae suadet, ut amicos Romanos ex hostibus faciat.

Neque si quis dicat fortasse Antiatem et Livium in Plutarcho commixtos esse, hoc facile concesserim, si quidem de dextra combusta nihil apud Atiatem erat, ut supra conieci. Namque prima, quam inter Livium et Plutarchum attulimus, discrepantia de gladio Mucio a Porsenna reddito quodammodo cum narratiuncula illa de manu igni consumpta cohaeret. Nempe secundum vetustiorem memoriam, cum fabula illa de dextra combusta nondum inserta esset, si quidem ex uno Dionysio colligere licet, Mucius adeo non tanta benevolentia et paene dixi amicitia a Porsenna tractatus videtur, ut non solum gladium non reciperet, sed etiam in vincula coniceretur (V 30, 1). Ac per se intellegitur sine illo praeclarissimo virtutis exemplo causam non fuisse, cur Porsenna clementius Mucium tractaret. Mea igitur sententia Plutarchus de Mucio Scaevola fabulam neque ex Antiate neque ex Livio hausit, sed ex scriptore aliquo aut ipse petivit aut per alios perlatam accepit Antiate certo, Cicerone facile posteriore, eam ob causam, quia narratiuncula de dextra combusta inferioris est aetatis.

Lubet his adnectere quaedam de Plut. Publ. cap. 19, de quo in commentationibus in honorem Lipsii editis exposui, et de variis narrationis de Cloelia formis gradibusque. Demonstravi duos ad minimum fontes a Plutarcho adhibitos esse praeter Antiatem subsidiarios. Quorum in altero fuit obsides omnes Tiberim transnatasse, unam Cloeliam equo vectam. Etiam haec narratio in altiore aliquo gradu memoriae ponenda est, quoniam facile ex duabus aliis conflata esse perspicitur. Simplicissima fabulae de Cloeliae fuga ea videtur forma, secundum quam illa sola fugisse fertur, aut trans

Tiberim suis viribus natans, (ut Serv. Aen. 8, 646 et schol. ad Iuvenal. 8, 265), aut equo arrepto (ut Valer. Max. 3, 2, 2; Flor. 1, 10, 7; (Aur. Vict.) de vir. ill. 13). Nam nullo alio consilio nec causa fabula inventa est, nisi ut Cloeliae statua equestris explicaretur. Iam vero — apud Livium — comites fugienti datae sunt item transnatantes, ipsi tamen ducis partes relictae (Liv. II 13, 6). Elucet in Plutarchi narratione Livianam et eam, quam apud Val. Max., Flor., Aur. Vict. legimus, esse coniunctas. Cognoscimus autem auctorem satis inscite varias memorias confundentem et commiscentem, utpote quem plane videatur effugisse Cloeliam inter ceteras suis viribus Tiberim transnatantes equo vectam non iam solam statua dignam esse, immo etiam maiores honores ceteras meritas esse.

Ea huius narrationis forma, quam Plutarchus significat verbis quae sunt, '*οἱ δ' οὔ φασιν, ἀλλὰ τιμῆσαι τὸ ἀνδρῶδες αὐτῆς τὸν Τυρρηνόν*' artiore cognatione videtur coniuncta fuisse cum Dionysii memoria (V 33 sq.). Cuius narratio ea in re cum Liviana congruit, quod omnes virgines flumen transnavisse dicuntur. Sed nova explicatio equestris illius statuae inde paratur, quod Cloelia a Porsenna equum bellicum accepisse narratur.

Cum in hac fabula versemur, exemplum adnectere placet, quo luculenter apparet, quomodo annalium scriptores alius alium exscripserint et quamvis variantes et immutantes tamen sententias ab auctoribus suis expressas reservarint vel aliis locis inseruerint. Conferenda sunt: Plut.: *τὸ ἀ ν δ ρ ῶ δ ε ς τιμῆσαι* et: Serv. Aen. 8, 646: 'Porsenna . . . . rogavit per litteras populum Romanum, ut ei (sc. Cloeliae) aliquid v i r i l e decerneretur'; et Dion. V 34, 3: *τὴν πόλιν μακαρίσας* (sc. Porsenna) *ἐπὶ τῷ . . . . . ἐκτρέφειν . . . . καὶ παρθένους ἀ ν-δ ρ ά σ ι ν ὁ μ ο ί α ς, δωρεῖται τὴν κόρην ἵππῳ.*

CAPUT III.

De Plutarchi C. Marcii Coriolani vita.

Restat, priusquam ad Dionysium nos convertamus, ut de fontibus alius Plutarchi libri disseramus. Ut enim olim viris doctis probatum est in vita Publicolae exponenda Valerium Antiatem a Plutarcho imprimis esse expressum, ita spero me tibi persuasurum esse, etiam Coriolani facta fataque non e Dionysio Halicarnassensi solo, sed praeter hunc ex annalibus Romanis esse petita.

Quod fortasse miraris, cum H. Peter, vir in Plutarcho versatissimus, inter omnes constare dicat Coriolani vitam paene totam ex Dionysio pendere. Sed ratione, quae inter Dionysium et Plutarchum intercedit, iam Heerenius inductus est, ut ex communi fonte et Dionysii et Plutarchi narrationes manasse contenderet.[1]) Quam sententiam quamquam, si summam eius spectas, suo iure H. Peter reicit, tamen non omnibus numeris falsam esse, sed prope iam Heerenium ad verum accessisse credo. Illud enim asserenti Petero astipulari non possum, tametsi nuper a Korbero paene idem repetitum est, Plutarchum rebus nonnullis in primis septem capitibus exceptis unaque in cap. 9 totum ad Dionysium se applicasse.

Hoc sane concedendum est hac in vita narrationem minus facile quam in 'Publicola' et alias interdum in diversas diversorum fontium partes dissecari posse. Quod, quantum video, et alia causa, quam mox apparituram spero, et eo efficitur,

1) De fontibus et auctoritate vitarum parall. Plut. comment. quatuor. Gött. 1820.

quod maiore libertate usus quam ex. gr. in 'Publicola' auctores suos in 'Coriolano' secutus est, eorum narrationem modo cogens, modo amplificans, modo rhetorice exornans, quin etiam simplici narratione relicta sic res exponens, quasi ante oculos agerentur, ipsis hominum sermonibus insertis. Ita fit, ut nequaquam ex quibuslibet dissensionibus, quae inter Dionysium et Plutarchum reperiuntur, colligere liceat alium ac Dionysium Plutarchi fuisse auctorem. Cuius rei luculentissimum totius libri exemplum H. Peter [1]) proposuit, cum Plut. Cor. c. 9 et 10 conferret cum Dion. VI 92, 6—94, 2.

Verum enim vero, ut ad ipsam rei disceptationem adgrediamur, Dionysium et revera a Plutarcho exscriptum neque parvi aestimatum esse ex hac una re cognoscitur, quod erroris cuiusdam correctio, quam Dionysius multis commendare studuit, a Plutarcho errore ipso et causis corrigendi omissis accepta est. In annalibus enim Romanis legebatur Dionysium tyrannum Syracusarum a. 262/492 Romanis fame oppressis frumentum dono misisse; Dionysius Halicarnassensis VII 1 ea aetate non Dionysium, sed Gelonem Syracusis regnasse probare studet; Plutarchus Coriol. c. 16 Gelonem misisse pro vero tradit. Qua ex re quoniam constat Plutarchum e Dionysio hausisse, eiusdem rei vestigium adferri potest etiam illud per se non satis certum argumentum, quod et a Dionysio et a Plutarcho (consentientibus de uno loco nonnullis Livii manuscriptis) Coriolanus appellatur Gaius Marcius, a ceteris omnibus Gnaeus. Sed hoc, etiamsi communi aliquo fonte Dionysii et Plutarchi usi essent, satis explicaretur: graviores mihi videntur esse verborum et elocutionum congruentiae, quae quamquam angustioribus finibus plerumque includuntur, tamen passim occurrentes a Petero [2]) non erant denegandae.

Sed alteram in partem disputanti primo obtutu sese offerunt nomina compluria aliter a Dionysio aliter a Plutarcho ex-

1) l. l. p. 10.
2) l. l. p. 13—16.

hibita. Volscorum duci apud Dionysium VIII 1 nomen est Tullo Attio, apud Plutarchum 22 Tullo Amphidio; Volumnia Plutarcho non uxor, sed mater Coriolani est, quae apud Dionysium (VIII 39) Veturia audit; contra quae apud Dionysium (VIII 40) Volumnia nominatur, uxor Coriolani, a Plutarcho Vergilia dicitur (cap. 33 Sint. 450. 25). Optimo iure Korber (l. l. 41) adnotat hanc rem Peterum non ita declaravisse, ut nihil dubitationis relinqueretur. Hic enim censet Plutarchum Dionysii libris diligenter perlectis plurima ex memoria litteris mandasse, nonnullis tantum schedis adiutum, in quas accuratius quaedam excerpserat. Concedes credo Korbero fortasse nomina exscribi solere. Quod vero hic ipse suspicatur: imprimis varias exstitisse de illis nominibus relationes, ex quibus eam, quae Volumniae et Vergiliae nomina praeberet, scribenti Plutarcho in mentem venisse, eo nequaquam difficultas expeditur. Attamen expediri eam posse censeo.

Reperiuntur enim accuratius perscrutanti discrepantiae quaedam inter Plutarchi et Dionysii narrationes, quibus sine ulla dubitatione alterum praeter Dionysium fontem a Plutarcho exhaustum esse demonstrabitur. Initio Plut. Cor. cap. 26 legimus Tullum Amphidium et Marcium Coriolanum clam cum Volscorum principibus in consilium ivisse operamque dedisse, ut eos ad bellum contra Romanos suscipiendum commonerent; sed illos foedus cum Romanis ictum frangere magnopere esse veritos. Prorsus aliter Dionysius VIII 2 rem gestam enarrat: Tullus Attius et Marcius Coriolanus soli inter se bellum contra Romanos gerere decernunt; ceterorum autem omnium Volscorum animi sua sponte videntur eo inclinare, ut bello se interponant; Plutarcheae vero memoriae quasi vestigium videtur illud remansisse, quod Attius, simulatque Coriolanus eum precibus adiit, promisit se omnium Volscorum amicitiam ei conciliaturum esse (VIII 2, 1). Ut tamen bellum differatur, id non Volscorum, sed Marci Coriolani ipsius culpa fit monentis, ut priusquam bellum incipiatur, iusta piaque belli causa quaeratur (VIII 2). Contra Plutarchus hac in re a Dionysio discrepans consentit

fere cum Livio (II 35, 8) et Cassio Dione (exscripto a Zonara VII 16), ipsis quoque de aliis rebus plane dissentientibus. Namque Livio et Zonara auctoribus plebs Volscorum magnopere a bello Romano abhorruit, eo tantum interposito discrimine, quod Zonaras addit optimates ad bellum pronos fuisse (*οἱ πρῶτοι καὶ οἱ ἐν τοῖς τέλεσιν αὐτῶν ὄντες ἔχαιρόν τε αὐτῷ καὶ αὖθις πρὸς πόλεμον ἡτοιμάζοντο*). Ut vero etiam plebs ad bellum incitetur, initio belli dilato fraudem illam parant, qua inter ludos instauratos decipiant Romanos atque adducant, ut Volscorum odium in se inflamment. Quae cum ita sint, nulla credo relinquitur dubitatio, quin Plutarchus, quoniam nec fortuito fieri potuit, ut ea in re cum Cassio Dione et Livio consentiret, in qua suo Marte a Dionysio recessisset, neque ulla cum probabilitate suspicari possumus Livium ceteroquin de Coriolani vita factisque plane discrepantem hanc unam narrationis particulam ei suppeditasse, alium quem auctorem praeter Dionysium assumpserit.

Neque deest hoc loco aliud quoddam alterius fontis indicium, quod, qui me hucusque audiverit, iam non audebit falsa interpretatione auferre. Sequuntur enim paulo infra verba illa Plutarcho fontes mutanti usitatissima: '*Ἔνιοι δέ φασιν*', quibus alterius illius scriptoris memoriae adiunxit Dionysianam.

Ac mihi quidem hoc uno loco persuasum est plus unum auctorem a Plutarcho adhibitum esse. Ut tamen et is, qui uno argumento rem diiudicari posse neget, dubitatione liberetur neque hac solum in parte, sed per totum Plutarchi librum alterius fontis vestigia cerni posse eluceat, multa eiusdem rei exempla proferre placet.

Plut. Cor. cap. 33 (Sint. 450, 32 sqq.) Valeria, Publicolae soror, Coriolani matrem uxoremque, ut ad illius iram placandam et pacem conciliandam in Volscorum castra eant, his fere verbis commovere studet: 'Obsecro vos, Marcium nobiscum adeatis et imploretis patriaeque exsistatis testes incorruptae

iustaeque eam multa passam adeo nihil tamen mali vobis intulisse, ut nunc vos etiam tradat, etiamsi periculum sit, ne non gratiam probam ab illo accipiat'. Similia sane etiam apud Dionysium (VIII 46,2), si non eodem loco, quo apud Plutarchum, at de eadem re occurrunt, scilicet in precibus, quas Veturia mater, iam Valeriae voluntati obsecuta, ad Marcium filium facit. Sed Veturia testimonium, quod Valeria apud Plutarchum de patria eam profiteri iubet, apud Dionysium matronis Romanis tribuit, quae dicuntur *οὐδὲν μὲν οὔτε μεῖζον οὔτ' ἔλαττον εἰς ἡμᾶς* (sc. Coriolani matrem, uxorem, liberos) *ἐξαμαρτοῦσαι, πολλὴν δὲ καὶ ὅτ' εὐτυχοῦμεν, εὔνοιαν ἔτι παρασχόμεναι, καὶ ὅτ' ἐπταίσαμεν, συμπάθειαν. Ἔχομεν γὰρ αὐταῖς μαρτυρεῖν . . . . . συνεχῶς τε παραγινομέναις πρὸς ἡμᾶς καὶ παραμυθουμέναις τὰς συμφορὰς ἡμῶν καὶ συναλγούσαις.* Quos Plutarchi et Dionysii locos aliquo modo inter se conexos esse ita, ut aut ex uno eodemque invento originem traxerint aut alter ex altero deductus sit, non negaverim; Plutarchum autem ex Dionysio sua sumpsisse nego, ea potissimum causa, quia quae apud Cassium Dionem (fr. 17, 7 Melber) de hac re leguntur, quamquam ex Plutarcho petita esse non possunt, multo tamen propius ad Plutarchi accedunt, quam ad Dionysii narrationem. Redit enim apud Dionem, quamquam ne apud hunc quidem eodem narrationis loco, quo apud Plutarchum, sed eo, quo apud Dionysium similia exstant, et eadem sententiae figura, qua patria tamquam persona inducitur, et similiter atque apud Plutarchum hoc premitur Coriolano necessarios tradi nulla fide data illum Romanis gratias relaturum esse. Ipse conferas quaeso fr. 17, 7: '*οὐκ ηὐτομολήκαμεν, ἀλλ' ἡμᾶς ἡ πατρὶς ἔπεμψέ σοι, εἰ μὲν πείθοιο, μητέρα καὶ γυναῖκα καὶ τέκνα, εἰ δὲ μή, λάφυρα κτλ.*'

Cap. 34 matronarum Romanarum cum liberis in Volscorum castra adventus depingitur. Quae cum per tentoria ad Marcium eant, *ἡ ὄψις αὐτῶν τότε οἰκτρὰν καὶ τοῖς πολεμίοις ἐνεποίησεν αἰδῶ καὶ σιωπήν*. Haec sane cogitari possunt exornandi causa ab ipso Plutarcho amplificata esse ex eis, quae Dionysius

(VIII 46, 1) brevius expressit. Quo auctore Veturia orationem illam ad Marcium filium iam habitura *πολὺν ἐκίνησεν ἐκ τῶν παρόντων ἔλεον.* Sed quae apud Plutarchum sequuntur, prorsus alium rerum ordinem conformationemque efficiunt, ac quam apud Dionysium reperimus (VIII 44). Hic enim tradit equites quosdam, simulac mulieres accedentes ex castris conspectae essent, missos esse, qui quaenam esset illa turba, explorarent. Re cognita eum temeritatem matronarum mirantem tamen matri suae paucis cum comitibus ex castris obviam ire decrevisse, lictoribus iussis fasces securibus nudas demittere. Ergo extra castra Coriolanus matrem convenit, si Dionysium audis, contra si Plutarchum (l. l. v. 23), mater ipsum in tribunali sedentem invenit: '*Ἔτυχε δ' ὁ Μάρκιος ἐπὶ βήματος καθεζόμενος μετὰ τῶν ἡγεμονικῶν.*' At idem sibi finxit Livius, id quod ex II 40, 3 et 5 ('ab sede sua') cognoscere licet. Contra, quod in Plutarchi narratione proximum est (v. 24 sqq.: '*ὡς οὖν εἶδε προσιούσας τὰς γυναῖκας, ἐθαύμασεν*'), cum a Livii memoria absit, a Dionysio narratur VIII 44, 2, cum dicit Coriolanum, cum matronas Romanas et matrem suam uxoremque advenire audivisset, primo miratum esse de mulierum audacia ('*πρῶτον μὲν ἐθαύμασε τῆς τόλμης τὰς γυναῖκας*'). Neque sine quadam probabilitate, quae apud Plutarchum iam subsequuntur (Coriolanum, cum matrem suam matronis praeeuntem vidisset, initio valde studuisse, ne pietate victus a decreto recederet) contenderit quispiam ex Dionysii narratione deducta esse VIII 45, 1 haec dicentis: '*ἦν ὁ Μάρκιος ἰδὼν ἄτεγκτος τέως καὶ στερρὸς . . . οὐδὲν ἔτι τῶν λελογισμένων φυλάττειν ἱκανὸς ἦν*'. Multo tamen similiora Livius praebet, ita fere ut medium quendam locum teneat inter Plutarchi et Dionysii memorias Liviana, qua (Liv. II 40, 3) Coriolanus, priusquam matrem agnovisset, multo, quam antea in viros, tum 'obstinatior adversus lacrimas muliebres' fuisse dicitur. In proximis vero Plutarchi narratio plane a Dionysii memoria recedit, quam proxime ad Livianam accedit:

Liv. II 40, 5.	Plut. 34 (Sint. 451, 28 sqq.)
Coriolanus prope ut amens	οὐκ ἔτλη καθεζομένῳ προσελ-

consternatus *ab sede sua* cum ferret matri obviae complexum etc.	θεῖν (sc. τὴν μητέρα) ἀλλὰ καταβὰς θᾶττον ἢ βάδην καὶ ἀπαντήσας, πρώτην μὲν ἠσπάσατο τὴν μητέρα κτλ.

Quam deinceps prolaturus sum inter Dionysii et Plutarchi narrationes discrepantiam, ea nescio an etiam maioris momenti sit, quippe ex qua appareat non hic illic Plutarchum singulas particulas illius alterius fontis inseruisse vel substituisse Dionysianae memoriae, verum etiam de toto rerum ordine Dionysio repudiato ad illum se applicavisse. Dionysius enim fabulam illam de somnio Latinii, quo adductus senatus Romanus ludos magnos, primum cum fierent non rite exactos, instaurari iussit, iam eo loco narravit, quo servata temporum ratione enarranda erat, sc. ineunte anno 264/490. Sed dubium esse non potest, quin huic loco narrationis sera demum opera illa fabula inserta sit, veteres autem scriptores non ante eam prodiderint, quam ubi opus erat, ut belli origo explicaretur. Etenim inter hos ludos instaurativos Coriolanus et Tullius dolo illo, quem supra iam diximus, efficiunt, ut Volsci Romanorum iniuria abalienati bellum iam cupiant. Atque hic rerum ordo servatus est et apud Livium (II 36) et apud Plutarchum (cap. 24. 25), qui prorsus a Dionysio dissentientes, postquam Coriolanum Antii a Tullio hospitio exceptum eorumque de bello Romano consilia rettulerunt, tum demum de somnio Latinii fabulam inserunt.

Atque ut hac discrepantia alium praeter Dionysium fontem adhibitum esse probatur, ita in singulis rebus eiusdem rei vestigia cernuntur. Velut secundum Plutarchi relationem illum servum, qui sub furca caesus per vias urbis actus erat, *ἡ πομπὴ κατὰ τύχην ἠκολουθήκει* (Sint. 441, 22). Contra ex Dionysii verbis puto ita rem interpretandam esse, ut ille dominus servum suum ante pompam circumagi iusserit: VII 69,1 *ἀνὴρ Ῥωμαῖος . . . . θεράποντα ἴδιον . . . παραδοὺς τοῖς ὁμοδούλοις ἄγειν . . . δι᾽ ἀγορᾶς αὐτὸν ἐκέλευσε μαστιγούμενον ἕλκειν καὶ εἴ τις ἄλλος ἦν τῆς πόλεως τόπος ἐπιφανὴς ἡγούμενον τῆς πομπῆς.* Item id, quod Plutarchus adnectit,

apud Dionysium desideratur: iam tum, cum impio illius servi supplicio ludi vitiarentur, multos eius domino maledixisse propter improbum factum. Neque laudes clementiae, qua pristinis temporibus servi a dominis tractari soliti essent, ab auctore illo altero Plutarchum accepisse incredibile est, quamquam ultro Plutarchum talia inserere de moribus Romanis adamasse non ignoro. Sed etiam annalium scriptoribus Romanis usitatum fuisse priscam simplicitatem ac virtutem laudare Calpurnii imprimis Pisonis nonnullis fragmentis discimus (cf. fr. 8 et 38).

Verum enim vero non magis est dubium, quin Plutarcho haec duo capita, in quibus certissima alius auctoris cuiusdam indicia modo demonstravi, conscribenti *etiam Dionysii libri usui fuerint*, sive antea compluries accurate perlecti sive in ipso scribendo iterum atque iterum consulti. Quod ut luculentissime pateat, hos quaeso locos Dionysii et Plutarchi inter se componas:

Dion. VII 68, 3:	Plut. 24 (441, 12):
Ἔπειθ᾽ ἧκέ τις ἐπὶ τὸ συνέδριον τῆς βουλῆς ἄρρωστος ἐπὶ κλινιδίου κομιζόμενος.	*Ταῦτα δ᾽ ἐν κλινιδίῳ φοράδην κομισθεὶς εἰς τὴν σύγκλητον ἀπήγγειλεν.*

Et somnium Latinii interpretaturus uterque ab eadem elocutione, iisdem fere verbis usus, incipit:

Dion. VII 69, 1:	Plut. 24 (441, 17):
Ἦν δὲ τοιόνδε·	*Ἦν δὲ τοιοῦτον·*

Nec minus in ipsis interpretationibus miram verborum consensionem invenimus:

Dion. VII 69, 1:	Plut. 24 (441):
ἀνὴρ Ῥωμαῖος .... θεράποντα ἴδιον ... παραδοὺς τοῖς ὁμοδούλοις ἄγειν .... δι᾽ ἀγορᾶς αὐτὸν ἐκέλευσε μαστιγούμενον ἕλκειν.	*οἰκέτην τις αὐτοῦ παραδοὺς οἰκέταις ἑτέροις ἐκέλευσεν ἐξάγειν δι᾽ ἀγορᾶς μαστιγοῦντας...*

Praeterea nescio an etiam id Dionysii auctoritati debeatur, quamquam etiam alia ratione haec res explicari potest, quod

homo ille plebeius, cui Iuppiter in somnio visus esse dicitur, a Plutarcho et Dionysio ʻΛατῖνοςʼ vocatur, cum a ceteris scriptoribus aut ʻLatiniusʼ ei aut aliud, quod in litteras ʻ—iusʼ desinat, nomen inditum sit. [1])

Restat, ut aliud quoddam argumentum, quo confirmatur, duos a Plutarcho fontes in unum rivum conductos esse, repetamus ex cap. 3 cum 15 coniuncto. Plut. Cor. cap. 3 de Coriolani primitiis militiae in pugna Regillensi meritis historiola refertur. Quam H. Peter (p. 17) eiusque iudicium quasi suum denuo proferens M. Korber (p. 38) neque in Dionysii antiquitatibus neque ab alio ullo rerum scriptore relatum reperiri adfirmant. At hoc ita est verum, ut maiore ex parte falsum sit. Namque fugisse videtur viros doctos easdem res gestas, quamvis certa quadam pugna non adlata, apud Dionysium VIII, 29 ab ipso Coriolano legatis senatus Romani respondente describi. Ac si quis utriusque de hac re relationes contulerit, non iam dubitabit, quin Plutarchus ad Dionysianae exemplar suam narrationem composuerit. Mira enim est similitudo:

Dion. VIII 29, 4:	Plut. (420, 6):
πρώτην ἐστρατευσάμην ἔξοδον κομιδῇ νέος ὤν, ὅτε . . .	*Ἐστρατεύσατο δὲ πρώτην στρατείαν ἔτι μειράκιον ὤν, ὅτε . . .*
ἐκ ταύτης τῆς μάχης ἀριστείοις ἀνεδούμην ὑπὸ τοῦ στρατηγοῦ στεφάνοις πολίτην ὑπερασπίσας (cf. infra p. 203) *καὶ πολέμιον ἀποκτείνας.*	v. 12: *Ἐν ταύτῃ τῇ μάχῃ . . . . Μάρκιος . . . ἄνδρα Ῥωμαῖον πεσόντα πλησίον ἰδὼν οὐκ ἠμέλησεν, ἀλλ' ἔστη πρὸ αὐτοῦ καὶ τὸν ἐπιφερόμενον τῶν πολεμίων ἀμυνόμενος ἀπέκτεινεν. ὡς οὖν ἐκράτησεν ὁ στρατηγός, ἐν πρώτοις ἐκεῖνον* ἐστεφάνωσε δρυὸς στεφάνῳ.

1) Liv. II, 36, 2: ʻTito Latinioʼ; Val. Max. 1, 7, 4: ʻT. Latinioʼ; Lactant. instit. div. 2, 7, 20: ʻAtinioʼ; Aurel. August. d. c. d. 4, 26: ʻT. Latinioʼ; Macrob. sat. 1, 11. 3: ʻAnnioʼ.

Omnia, quae ex Plutarcho descripta supra posuimus, ex Dionysio petita esse possunt, nisi quod ex eius narratione non cognoscitur quernea corona Marcium tum donatum esse. Sed cave putes hac de re alium auctorem Plutarcho aditum esse; nempe is propriam scientiam prioribus morum Romanorum studiis partam commode, nimirum qua tenuis memoria de Marcii adulescentia aliquantulo largius exornaretur, ostentari existimabat. Quod inde quoque licet cognoscas, quod statim id, quod ipse amplificans addidit, legibus Romanis quasi testibus productis defendere ac probare studet: 'τοῦτον γὰρ ὁ νόμος τῷ πολίτην ὑπερασπίσαντι τὸν στέφανον ἀποδέδωκεν'. Atque ut iam omnis evanescat dubitatio, quin exornatius enarraturus, qua ratione prima stipendia Coriolanus meruerit, nullum praeter Dionysium ante oculos habuerit auctorem, sed nihil nisi huius narrationem amplificaverit et verbosiore oratione dilataverit: in ipsa de corona quernea explicatione reperies verba ab eodem Dionysio Plutarcho subministrata: τῷ πολίτην ὑπερασπίσαντι (Cf. supra: Dion. VIII 29, 4: πολίτην ὑπερασπίσας). Nec mirum est, quod Plutarchus ad solum Dionysium hac in re se applicavit, qui, cum praesertim orationi hanc historiolam inseruerit, iam ipse, isque primus, videtur hanc rem fusius narravisse.

Sed tamen restat unus scrupulus: Plutarchus rem factam esse in pugna Regillensi tradit; Dionysius ad id tempus relegat, 'ὅτε τοὺς βασιλεῖς βίᾳ κατιόντας ἠγωνιζόμεθα'. Quibus verbis quamquam certo definitum tempus non significatur, tamen meliore iure de prioribus cum Tarquinio Superbo bellis cogitemus, (ac nescio, an optimo iure de pugna ad Arsiam silvam commissa), quam de novissimo Tarquiniorum conatu, quem 13 annis post susceptum esse accepimus (245/509 — 258/496). Nihilo tamen setius omnia, quae de pugna Regillensi Plutarchus profert, optime congruunt cum Dionysii narratione, quae in ant. libr. VI 2—17 de hac pugna exstat, nisi quod Plutarchus, utpote qui copiosam Dionysii narrationem in paucos versus cogat, minus accurate 'πολλοὶ δὲ καὶ τῶν ἄλλων Ἰταλιωτῶν (sc. praeter Latinos) συνεστράτευον καὶ συγκατῆ-

γον ἐπὶ τὴν Ῥώμην' dicit, unde eos etiam pugnae interfuisse colligas, cum secundum Dion. VI 3, 5; 14 Antiates illi quidem proelio interfuerint, Volsci autem et Hernici re iam gesta advenerint. Ceterum tantus emicat etiam verborum concentus, ut de auctore Plutarchi nemo possit dubitare. Cf. quaeso:

Dion. VI 13, 1:

Ἐν ταύτῃ λέγονται τῇ μάχῃ Ποστομίῳ τε τῷ δικτάτορι καὶ τοῖς περὶ αὐτὸν τεταγμένοις ἱππεῖς δύο φανῆναι .... καὶ μετὰ τὴν τροπὴν τῶν Λατίνων ... ἐν τῇ Ῥωμαίων ἀγορᾷ τὸν αὐτὸν τρόπον ὀφθῆναι δύο νεανίσκοι λέγονται .... (καὶ) τοὺς ἵππους ἱδρῶτι διαβρόχους ἐπαγόμενοι κτλ.

Plut. cap. 3 (420, 29):

Ἐν ἐκείνῃ δὲ τῇ μάχῃ καὶ τοὺς Διοσκόρους ἐπιφανῆναι λέγουσιν, καὶ μετὰ τὴν μάχην εὐθὺς ὀφθῆναι ῥεομένοις ἱδρῶτι τοῖς ἵπποις ἐν ἀγορᾷ κτλ.

Animadvertas imprimis utrumque eisdem locis verbis 'φανῆναι (ἐπιφανῆναι)' et 'ὀφθῆναι' uti!

Sed de tempore huius facinoris Coriolani ut a Dionysio Plutarchus discrepat, ita cum ipsius cap. 15 eius narratio pugnat. In quo legis Coriolanum anno 262/492 per septendecim iam annos militia functum consulatum petisse[1]: 'ἑπτακαίδεκα ἔτη συνεχῶς στρατευόμενος.' Contra quae hic habes, melius quadrant ad Dionysii locum supra laudatum (VIII 29, 4), ex quo Coriolani primum facinus militare ad pugnam ad silvam Arsiam factam a Dionysio revocari coniecimus 492 + 16 (17) = 508 (509). Attamen quominus ex hoc loco Plutarchum septendecim illos annos sibi computasse suspicemur, eo impedimur, quod is illud factum, Dionysii memoria reiecta, anno 258/496 demum (i. e. non septimo decimo, sed quinto anno ante Marcii de consulatu ambitionem) accidisse tradidit. Apparet igitur septendecim illos annos, utcumque ceterum res se habet, ex alio quo fonte esse petitos.

1) Repulsae Coriolani consulatum petentis Dionysius quoque VII 21 mentionem facit, nihil tamen de militia eius adnotans.

At nondum difficultas tota est expedita. Quaeritur enim, qui factum sit, ut Plutarchus aliis temporibus ac Dionysius primam Marcii militiam ascriberet. Patent duae, quantum video, viae, quibus progressi forsitan rem perspicere possimus. Ac primum quidem prona est coniectura eas res, quae quamquam non omnes apud utrumque scriptorem pari modo, sed partim apud Plutarchum, partim apud Dionysium traduntur, in unam tamen memoriam videntur conciliari posse, ex eodem haustas esse fonte. Quod si verum esset, ab eodem auctore Plutarchus septendecim illos annos a Dionysio non suppeditatos accepisset, quem secutus Dionysius primam Coriolani militiam ad primos vel primum reipublicae annum revocavisset. Sed quoniam, hoc si recte posuerimus, neque Dionysium neque alterum illum auctorem secutus Plutarchus primum Coriolani militare facinus pugnae Regillensi inseruisse potest, ad tertium aliquem fontem Plutarchi nobis esset profugiendum, nisi forte sumis Plutarchum Dionysii verba quae sunt 'ὅτε τοὺς βασιλεῖς κατιόντας' falso de pugna Regillensi interpretatum esse. At mihi quidem magis arridet haec explicandi ratio: suspicor in altero Plutarchi fonte praeclarum illud Coriolani facinus, quod a Dionysio primae Coriolani militiae attributum legimus, ad pugnam Regillensem fuisse revocatum. Quas duas relationes Plutarchus, utrumque auctorem secutus — congessit enim, ut priora historiae Marcianae tempora quam maxime expleret, quae hic illic repprererat — in unam fabulam videtur conexuisse (cap. 3). Iam cum eo processisset, ut Coriolani repulsa consulatus narranda esset, iterum alter ille auctor tradidit iam septendecim per annos usque ad illud tempus Marcium militia functum esse. Quod item, ut Dionysii narrationem suppleret, in cap. 15 prodidit ratione non habita cum primo illo Coriolani facinore militari in pugna Regillensi facto militiam septendecim annorum conciliari non posse.

Neque hic praetermittendum censeo cap. 15 etiam aliud indicium, quamvis per se haud satis grave ducas, inveniri, unde concludas alterum praeter Dionysium fontem adhibitum

esse. Dionysius enim cum VII 21, 2 Marcio consulatum petenti plebem obstitisse tradat, Plutarchus cum cap. 14 ineunte, tum cap. 15 ineunte plebem dicit Coriolani virtutum verecundia adfectam primo veritam esse, consulatum tanto viro denegare: quin etiam ‘λόγον ἀλλήλοις ἐδίδοσαν ὡς ἐκεῖνον ἀποδείξοντες’. Sed tamen causam, qua denique adducta plebs illum repulisset, Plutarchus (c. 15, Sint. 431, 21 sqq.), sive eam ex Dionysio (VII 21, 2 fin.) ipso petivit, sive in altero fonte, qui hac in re forte cum Dionysio congruebat, invenit, Dionysii certe elocutionem imitans et dilatans exposuit.

Alia eiusdem rei argumenta, nempe quibus appareat a Plutarcho ad vitam Marcii Coriolani describendam praeter Dionysium alterum quendam scriptorem esse adhibitum, facili opera petiveris ex Plut. Cor. capp. 14 et 15 ineuntibus collatis cum Cass. Dion. fr. 17, 5 et Dionys. VII 21; — ex Plut. Cor. capp. 16 (Sint. 432, 29) (‘περιχυθεὶς ὁ δῆμος ἔξωθεν ἐκαραδόκει τὸ τέλος’) et 17 (Sint. 433, 32) (‘Οἱ γὰρ δήμαρχοι . . . ἐξέδραμον εἰς τὸν ὄχλον μετὰ βοῆς’) collatis cum Liv. II 35, 2 (‘in exeuntem ex curia impetus factus esset, ni . . .’) et Dion. VII 21—26; — ex Plut. Cor. cap. 26 exeunte (Sint. 443, 18) (‘ὅτι συμμαχῶν ὠφελήσει, ὅσα πολεμῶν οὐκ ἔβλαψεν’) collato cum Cass. Dion. fr. 17, 5 (‘ἀντίπαλα ἢ καὶ μείζω δι’ αὐτὸν τοὺς Ῥωμαίους, ὧν ἔπαθον (sc. οἱ Οὐόλσκοι), δράσειν ἀντελπίσαντας’) et Dionys. VIII 1, 6 (‘ὑπισχνοῦμαι δέ σοι τοσαῦτ’ ἀγαθὰ ποιήσειν Οὐολούσκους φίλος τῷ ἔθνει γενόμενος, ὅσα κακὰ εἰργασάμην ἐχθρὸς ὤν’).

Sed spero eis, quae adhuc disputavi, rem satis demonstratam esse. Iam vero quaestio exoritur, num quid certius de altero illo fonte enucleari possit. Quam ut solvamus, accuratius priora Coriolani capita percensere opus erit. Ac maxime quidem in capp. V et VI alterius fontis indicia cernuntur, ut nemo adhuc haec aliunde petita esse negaverit. Hic enim Plutarchus summatim de illis inter patres et plebem seditionibus enarrat, quibus respublica Romana adeo implicata esse fertur, ut denique plebs secederet. In universum igitur

de plebis aere pressae angustiis et patriciorum in nexos iniuriis praefatus neglectis plane eis tumultibus et externis pugnis, quae Dionysius et Livius anno 259/495 facta esse tradunt, ex eis bellis, quae ante secessionem plebis cum finitimis gentibus narrantur gesta esse, novissimum tantum paucis tangit, quo cum Sabinis pugnatum sit (*ὧν τὴν τελευταίαν ἐδέξαντο πρὸς Σαβίνους*: Cor. c. 5, Sint. 422, 11). Quibuscum Livii et Dionysii narrationes comparanti apparebit tria, quae illi referunt, bella cum Volscis, Sabinis, Aequis anno 260/494 gesta Plutarchum in unum comprehendisse. Narrantur enim haec tria bella Sabinorum studio et opera conflata esse (Liv. II 27, 10; 30, 3; Dion. VI 34, 1). Itemque quadrat optime, quod *Μάρκιος* — Marcus an Manius scribendum sit, nondum curo — *Οὐαλέριος ὁ ἄρχων* (i. e. dictator) plebeis fide sua obligata promittit fore, ut plebis difficultatibus provideretur, simulac feliciter bellum confectum sit. Nam etiam Livio et Dionysio auctoribus Valerii dictatoris opera et gratia factum est, ut plebs, quae, cum Volsci, Aequi, Sabini una omnes in armis essent, militiam detrectasset, tamen denique nomina daret. Iam vero si accuratius Dionysium et Plutarchum inter se contulerimus, et alias et hic modo satis magnam et rerum et verborum similitudinem, modo discrepantiam videbimus. Quod enim legis dictum apud Dion. VI 41, 2 in oratione a Valerio dictatore ad plebem habita, '*ἐγγυῶμαι ὑμῖν τὴν βουλὴν ἐγώ*', habes fere idem, quamvis oratione ipsa non reddita, apud Plutarchum c. 5 v. 12: '*τῶν τε πλουσιωτάτων ἐπαγγειλαμένων μετριάσειν καὶ τῆς βουλῆς τὸν ἄρχοντα Μάρκιον Οὐαλέριον ἐγγυήσασθαι ψηφισαμένης*'. Sed ne discrepantia quidem, quam dixi, te fugerit: Plutarchus enim expressis verbis dicit senatus iussu (*ψηφισαμένης τῆς βουλῆς*) Valerium fidem dedisse, cum Dionysio auctore sua sponte Valerius videatur fecisse.

Neque vero quae proxime sequuntur: '*Ἐπεὶ δὲ κἀκείνην ἀγωνισαμένοις τὴν μάχην προθύμως καὶ κρατήσασι τῶν πολεμίων οὐδὲν ἐγίνετο παρὰ τῶν δανειστῶν ἐπιεικὲς οὐδ' ἡ βουλὴ προσεποιεῖτο μεμνῆσθαι τῶν ὡμολογημένων*', a Dio-

nysii narratione abhorrent; at rursus discrepant, quae haec excipiunt: senatum bello confecto non impedivisse, quominus denuo debitores vi abriperentur et necterentur (ἀγομένους πάλιν περιεώρα καὶ ῥυσιαζομένους) — quae desunt in Dionysii memoria; deinde, cum denuo tumultus in urbe erupissent, hostes fines Romanorum transgressos agros vastavisse — quas hostium incursiones post secessionem plebis factas esse Dionysius narrat (VI 50). At haec si leviora existimes, prorsus a Dionysio abhorret Plutarchus, cum tradit propter illas irruptiones hostium, rursus cum milites conscriberentur τῶν ἀρχόντων . . . καλούντων, i. e. nimirum a consulibus, neminem nomen dedisse. Ergo tum delectus habetur, cum iam Valerius dictatura se abdicavit, consules soli imperium tenent. Quem delectum et Livius et Dionysius plane tacent, neque omnino cum horum memoria conciliare potes. Immo Livius (II 32, 1) patres censuisse narrat milites sacramento etiam tum teneri; Dionysius (VI 45, 1) autem tradit dictatoris quattuor legionibus invito senatu dimissis consules, cum senatus eis interdixisset, ne ipsi quoque suas copias dimitterent, cum reliquis sex legionibus ex urbe egressos esse. At Plutarchus, quamquam rem ipsam praetermittit, tamen, ut ex brevi eius relatione concludere licet, auctorem quendam secutus est, qui totum exercitum a Valerio, priusquam dictatura abiret, dimissum esse prodiderat.

Quam ad coniecturam illud quoque optime quadrat, quod saepe brevi tempore senatus convocatur (Plut. cap. 6), ut quomodo seditio sedari possit, deliberetur: nimirum quoniam exercitus dimissus est, non iam sufficit consules, ut urbs tumultu liberetur, in hostem proficisci iubere, id quod Livio et Dionysio auctoribus factum est. Neque aliam ob causam, nisi quia exercitus educi iam non potest, Plutarchus non ut Dionysius VI 45, 2 (et Livius) ex castris extra urbem positis in Sacrum montem plebem secessisse refert, sed in ipsa urbe novo repente tumultu orto eam coisse et inde nihil opinantibus patriciis penates reliquisse.

Quibus gravissimis differentiis cum luce clarius fiat al-

terum illum fontem hic a Plutarcho exhaustum esse, etiam leviores quasdam discrepantias, si non ut argumenta, at vestigia eiusdem rei, liceat adferre. Secundum Plutarchi enim narrationem [1]) plebei, cum in Sacro monte versantur, in patricios frementes conqueruntur, quod non tunc demum, sed iam dudum ab illis in exilium expulsi sint, aequis nimirum civium iuribus destituti. Frustra quaeres locum Dionysii, ex quo haec sententia desumpta sit. Deinde Plut. c. 6 (423, 10 sqq.) Agr. Menenius oratione, quam apud plebem in Sacro monte habet, etiam senatum defendere studet; Dion. VI 83, 3 idem Menenius dicit non, ut id faceret, ad plebem se venisse. Notae illius fabulae, quam Menenius coram plebe de seditione inter membra corporis humani et ventrem exorta narrasse fertur, Plutarchus propriam quandam formam quamvis Livianae similiorem quam Dionysianae, tamen ne cum hac quidem plane convenientem exhibet. [2])

Sed ut iam haec leviora mittamus, ex eis, quas attuli, inter Plutarchum et Dionysium differentiis duas praecipue velim respicias, quibus perspici posse arbitror, cuinam auctori Plutarchi narratio debeatur. Ac primum quidem vidimus et apud Dionysium et apud Plutarchum M. Valerium dictatorem pro senatu plebi sponsionem facere; sed cum ex Dionysii narratione Valerius sua sponte id videatur fecisse, Plutarchus a senatu eum iussum esse expressis verbis addit. Atqui plebi fides tamen non servatur. Ergo Dionysii relatione fidei fractae culpa in ipsum Valerium videtur conici, eius autem auctoris, quem Plutarchus sequitur, commutatione a Valerio in senatum transfertur.

Tum accepimus a Dionysio Valerium, priusquam dictatura abiret, senatu invito quattuor suas legiones, i. e. totius exercitus partem minorem dimisisse, cum ex Plutarchi memoria necesse sit suspicemur totum exercitum, a Valerio ni-

1) Plut. Cor. c. 6 (423, 3 sqq.).

2) Quae modo protuli diversitates fieri potest, ut ad tertium quendam fontem revocandae sint, id quod infra accuratius exponam.

mirum, esse dimissum. Vides rerum scriptorem id, cum historiam immutat, agentem, ut Valerius, quam fieri possit, optimus et plebis amicissimus videatur.[1]

Quisnam fuerit hic Plutarchi auctor, non difficile fore credo ei persuadere, qui vitam Valerii Publicolae a Plutarcho tali auctori deberi reputaverit, scilicet Valerio Antiati. Quae cum ita sint, mea quidem sententia dubium non est, quin Plutarchus, ut Coriolani vitam describeret, praeter Dionysii antiquitates annales Valerii Antiatis exscripserit.

Quod cum nulla dubitatione relicta evici, totum Plutarchi de Coriolano libellum accuratius excutere et discerpere, ut quae Antiati, quae Dionysio, quae ipsi Plutarcho sint assignanda, appareat, nunc quidem supersedeo. Quem autem fructum hac ex re ad Dionysii fontes indagandos capere possimus, partim inferiore huius dissertationis loco explicabo, partim alia occasione oblata spero me esse expositurum.

Attamen priusquam Plutarchum relinquamus, ut quaestio instituta ad finem quendam perducatur, in universum, qua ratione Plutarchus duos fontes suos permiscuerit et congesserit, adumbrabo.

Ac primum quidem id mihi videtur observandum permultis locis, quibus Plutarchi dictio Dionysium valde resipit, singula tamen Antiatis vestigia cerni; ut, nisi fallor: Plut. Cor. c. 15. 17. 18. 20. (21.) 22. 24. 26. 29. 30. 36. 37. 39; quibus locis forsitan addendi sint hi: c. 3. (33. 34.). Contra Antiatis cum nulla agnoscantur vestigia, bono iure videntur tota ascribi Dionysio capita haec: 7.—12. 16. 19. (21. 23.) 25. (27.) 28. 35. — Porro puto premendum nonnullas narrationis particulas aperte ex Dionysio petitas Plutarchum aliis locis inseruisse, ac quibus Dionysius prodiderat; ut c. 3 (= Dion. VIII 29); c. 4 (= Dion. VIII 29); cap. 13 (= VII 19 et 64);[2]

1) Neque tamen censeo Plutarcheam historiae formam ex ea deductam esse, quam Dionysius praebet; immo equidem puto Dionysianam ex illa esse transformatam.

2) Iam M. Korber vidit, l. l. p. 38, adn. 2.

cap. 17 (= VII 26 et 35).[1] — Denique vidimus semel certe Plutarchum Dionysii rerum ordine relicto ad Romanum auctorem sese applicavisse: cap. 24 et 25 (= Dion. VIII 2 + VII 68—73). Cui loco nescio an addendus sit alter: cap. 13 (Dion. VII 13—19).

Quae omnia si tecum reputaveris, concedes veri non esse simile Plutarchum singula tantum frustula ex Antiatis annalibus excerpta Dionysianae narrationi inseruisse; sed propius nos ad verum accedere conicientes aut ipsos Antiatis libros Plutarcho Coriolani vitam componenti praesto fuisse aut epitomas, quas ex illis sibi fecisset, eas tamen, quibus omnes res ad Valerium Publicolam et Coriolanum eorumque tempora pertinentes comprehenderentur.

Ac postea demum Dionysii antiquitates eum cognovisse inde concludo, quod cum Publicolae vitam describeret, illas nondum in usum suum convertit.[2] In Dionysio autem simulatque res sibi enarrandas deprehendit, facere non potuit, quin etiam illius libros, ex quo ut fructum caperet, non Graecus tantum stilus ei suadebat, aut saepius antea perlectos aut, quod malim, in ipso conscribendo evolutos sequeretur. Quod ut commode facere posset, etiam ea re sine dubio effectum est, quod iam Dionysius et ipse Antiatis annales exscripserat et, nisi fallor, alio quodam auctore intercedente eius memoriam reddiderat. Inde enim veri fit simile satis magnam inter Dionysii et Antiatis intercessisse similitudinem. Ita factum est, ut tametsi Valerium Antiatem ducem Plutarchus relinquere nolebat, tamen passim etiam vestigia Dionysii, idque saepe invitus, premeret, res similibus elocutionibus eisdemque verbis exprimens, interdum de ipsis rebus vel Antiate neglecto ad Dionysium se applicans vel utroque audito diversa coniungens. Quod si spectaveris, non iam miraberis, quod tales elocutiones, quibus moti viri docti Plutarchi fontes perscrutantes diver-

1) Iam H. Peter vidit, l. l. p. 10.

2) Aliud neque id infirmius eiusdem sententiae adminiculum posui in Griechische Studien f. H. Lipsius' p. 172 sq.

sorum auctorum frustula discernere solent, in Coriolani vita desiderantur excepto uno loco (cap. 26. Sint. 443,3), qui tamen ita caret perspicuitate, ut adhuc a viris doctis spretus sit.[1]) Mea tamen sententia etiam hoc loco verbis quae sunt *ἔνιοι δέ φασιν* fidem esse restituendam iam supra dixi, alia fortasse occasione accuratius docebo.

---

1) Cf. H. Peter, l. l. p. 8.

CAPUT IV.

Comparantur inter se Plutarchi Valerii Publicolae vita et Dionysii Hal. ant. Rom. V 1—43.

Nunc tandem aliquando, cum fundamentum iecerimus, ad ipsam rem reversi videamus, quid novi firmique in illo exstrui possit. Praemoneo autem, ne quid magni exspectes; sunt enim tales fontium disquisitiones eius modi, ut magnis laboribus parva assecuti saepe acquiescamus necesse sit. Quod vero hac quidem dissertatione rem non totam absolvam, sed pars fundamenti quod ieci, opere imposito carebit, id quaeso ignoscas; alio tempore, quod nunc deest, me adicere posse spero.

Constat igitur, ut adhuc disputata repetamus, Dionysii ant. Rom. l. V 59—77 capitum auctorem vel solum vel principalem fuisse Licinium Macrum; Plutarchi vitam Valerii Publicolae paucis aliunde additis (vel substitutis) totam ceteroquin ex Valerii Antiatis fluxisse annalibus; in Plutarchi 'Coriolano' Antiatis et Dionysii narrationes miro modo contaminatas esse.

Ex quibus cum unum, scilicet quod docui Valerium Antiatem in Plutarchi Coriolani vita cognosci posse, plane sit novum, ex reliquis iam dudum viris doctis ad fontes Dionysii Halicarnassensis antiquitatum enucleandos maxime adhibitum est illud, quod medio loco posui: Plutarchi vitam Valerii Publicolae ex Valerii Antiatis annalibus esse desumptam. Tamen ne ego quidem potui facere, quin iterum rem retractarem ea potissimum re adductus, paene dixi coactus, quod duo viri doctissimi et sagacissimi, postquam primus Kiesslingius hac in

re versatus est, Plutarcho et Dionysio inter se collatis quaestionem ad exitum plane diversum perduxerunt. Nitzschius enim a Dionysii auctore — quem arbitratur esse Licinium Macrum — Valerii Antiatis fusam narrationem cum tenui memoria antiquissimi cuiusdam annalium scriptoris — Fabii Pictoris — continuo conglutinatam esse censet, ut nova memoria quam Valeriana etiam latior, quae minus tamen Valerianae genti faveret, exsisteret. Qua sententia reiecta Virckius, quod Dionysii et Plutarchi memoriae quamvis arte inter se attingant, saepe tamen singulari modo divergant, ita potius studet explicare, ut gloriam ac laudes Valeriorum non a Valerio Antiate demum inventas esse ponat, sed per complurium scriptorum, ut ita dicam, officinas perlatas magis magisque auctas esse, quare necesse non esse talia omnia ad ipsum Valerium Antiatem referri; cui sententiae, quo melius magna similitudo et singulares quaedam consensiones expediantur, id addit saepius Dionysium Licinio Macro relicto ad ipsum Valerium Antiatem sese convertisse.

Ac Nitzschius quidem propterea Valerium Antiatem ipsum a Dionysio esse exscriptum negavit, quod saepe Valerius Publicola eiusque gens apud Dionysium minoribus laudibus quam apud Plutarchum efferuntur. Quam rem, cum cetera pleraque, quae in Plutarchi 'Publicola' legis, in Dionysio quoque inveniantur, optime putat explanari, si coniciamus iam Licinium Macrum, Dionysii auctorem, Antiatis annales in usum suum convertisse, eo tamen consilio, ut Valeriorum gloriam ab Antiate praeter modum auctam aliquantulum imminueret. At Virckius non iniuria opponit consilium gloriae Valerianae detrectandae adeo non in Dionysii narratione cognosci, ut interdum etiam maiore quam Plutarchus laude Publicolam ornarit. Cuius rei exemplum ut luculentissimum adfert Dion. ant. Rom. V 48, ubi scriptor, postquam de morte Valerii rettulit, viri clarissimi indolem atque merita sub uno aspectu comprehensa oculis propositurus laudationem (quasi funebrem) de eo inserit. Ex qua quamquam talia non concludam, quia accurate Dionysii scribendi ratione considerata multa ab ipso Dionysio

inventa esse pro certo habeo, tamen libenter Virckio concedo nequaquam invidiam Valeriorum his in partibus Dionysii perspici.

Sed refutavit Virckius ratiocinatione sua Nitzschii ratiocinationem, non ipsam rem. Nam, si quid video, minime Nitzschio ad Licinii contra Valeriam gentem invidiam erat refugiendum. Aliis enim causis si re vera Valerii Antiatis memoriam cum antiquissima quadam a Licinio vel — si alius is fuit — ab auctore Dionysii contextam esse demonstrari potest, hac ipsa re satis explicatur, quomodo fieri potuerit, ut hic illic res immutarentur, interdum etiam, forte magis quam consilio, Valeriorum gloria imminueretur. Accedit — id, quod nunc quidem non appositis argumentis proferre mihi liceat — quod multa haud ita scite et eleganter Antias videtur excogitasse, ut auctori Dionysii, qui sagacitate quadam et elegantia res componere solebat, multa displicuisse consentaneum sit. Neque illud neglegendum est, etiamsi ab Licinio Antiatem et Pictorem coniunctos esse Nitzschio concedas, nihil tamen obstare, quominus Licinius etiam alios scriptores inspexerit. Quare meo quidem iudicio Nitzschii et Virckii argumentis Dionysii auctorem Valerii Antiatis annales exscripsisse neque probatum est neque refutatum.

Apparet autem, si res nobis esset cum scriptoribus nihil nisi compilantibus eos, qui antea de isdem rebus scripserunt, haud ita fore difficile duabus collatis memoriis discernere, utrum altera ex altera dependeat necne. Sed qui singularem illam annalium scriptorum Romanorum rationem componendae historiae perspexerit (scilicet eos non solum superiorum libros exscripsisse, sed etiam immutasse, amplificasse, suo Marte novasse; non modo unum vel plures auctores in vicem secutos esse, sed saepe complurium relationes diversas in unam novam, non sine vi, contexuisse; non solum veritatis, sed etiam partium studio esse ductos), ei profecto non minus apparebit satis esse difficilem talem disceptationem. Qua denuo quam accuratissime instituta ego quidem, ut hoc statim profitear, Virckium de Dion. ant. V 1—48 c., i. e. ea parte, qua eaedem res, quae

Plutarchi 'Publicola' continentur, rectius iudicavisse quam Nitzschium censeo. Sed cum sperem fore, ut hic illic aliquantulum novae lucis annalium quaestionibus adferatur, liceat mihi disquisitionem, si non fusius exponere, tamen adumbrare et, quae inveni, referre.

Visum est mihi quaestionem ingresso in partes quasdam totam materiem separatim comparandas dissecare. Ac primum quidem de Dion. V 1—13, coll. cum Plut. Publ. c. 1—8 dicendum erit. Quae hac parte a Dionysio enarrantur, ea ullo modo ex Valerii Antiatis memoria deducta esse, veri adeo est dissimile, ut vice versa plurima, in quibus Plutarchus a Dionysio discrepat, ex ea narratione, quam Dionysius secutus est, videantur certo consilio transformata esse. Velut ea legatio, quae Dion. V 3, 3 sqq. ad duas res petendas, ut si maior reiecta esset, minor saltem concederetur, a Tarquinio Romam missa esse dicitur, Plut. Publ. 2 in duas legationes dissoluta est, eo nimirum consilio, ut Valerius Publicola priorem re infecta domum dimittere posset, ne referri quidem in contione mandata passus. Porro Plut. Publ. 6 sq. (coll. c. Dion. V 9) idcirco Brutus filiis percussis a foro videtur decedere, ut pars laudis severi iudicii contra nimiam Tarquinii Collatini clementiam defensi Valerio quoque tribueretur, cuius apud Dionysium hac in re nulla fit mentio. Attendas autem, quo artificio ille annalium scriptor, nempe Valerius Antias, ne longius audaciusque a vulgata memoria recederet, in Dionysianam, quam appellare liceat, suam reflexerit narrationem: Valerius, cum magnus ortus sit tumultus, denique Brutum consulem rursus arcessit.

Praeterea leges complures, quae apud Livium et Dionysium vel Bruto et Tarquinio Collatino (Liv. II 1, 10), vel Bruto et Valerio (Dion. V 13), vel Valerio et Horatio consulibus latae esse narrantur, a Valerio Antiate ei tempori reservatae sunt, quo Valerius Publicola solus rei publicae praeesset (Plut. P. 10). Accedunt leves quaedam in singulis rebus discrepantiae, quae si Dionysii auctorem ab Antiate tradita mutasse sumis, omni videantur carere ratione, at narrationi acumen quoddam vel pecu-

liarem colorem addunt, si Valerius Antias ex eis fere profectus est, quae nos hodie apud Dionysium legimus.

Unde efficitur Valerii Antiatis annales non fuisse fontem eius auctoris, quem Dionysius secutus est. Hoc autem cognito cogimur putare et auctorem Dionysii et Valerium Antiatem unum eundemque adisse fontem. Nam auctorem Dionysii ab Antiate exscriptum esse ne coniciamus, eo impedimur, quod aliae inveniuntur diversitates, ex quibus Dionysii memoriam etiam longius a veterum simplicitate remotam esse appareat, quam Antiatis.[1]) Nam etiamsi de singulis plerumque Valerius Antias multo plus novavit quam Dionysii auctor, tamen hic in rebus aliis ex aliis ordine deducendis et arte inter se coniungendis causisque probabilibus fingendis plus et curae et artis sagacitatisque posuit, ut, si solum rerum ordinem spectes, Dionysianam memoriam ex Antiatis Valeriana prodisse facile iudices. Etenim secundum Livii narrationem iuvenum patriciorum a Tarquinio Superbo corruptorum coniuratio nullo vinculo cum Tarquinii Collatini abdicatione cohaeret. Cuius rei causa adeo non ex illa coniuratione repetitur, ut tum demum iuvenes coniurasse audiamus, postquam Collatinum ex urbe decessisse legimus (Liv. II 2, 3 sqq.; II 3—5). Plutarcho autem auctore cum ex coniuratis Aquillii et Vitellii cum Collatino affinitate coniuncti erant, tum Collatinus propter clementiam, qua in patriae illos proditores consulturus fuerat, civium invidiam sibi conflavit. Qua re, quo-

1) Hic minoris est momenti, quod nonnulla apud Dionysium legis, quae apud Plutarchum desunt; quibus ex rebus tamen duas auctorem popularium partium prodere cave putes: dico leges populares, quae Servius Tullius olim tulerat, restitutas (Dion. V 2, 2) et bona regum expulsorum publice civibus regumque agros pauperibus distributa (V 13, 2). Talia non necessario ad Licinium Macrum revocari, ex eo cognoscitur, quod prius illud ad vulgatam de Servio Tullio opinionem, quam iam vetustissimi auctores sibi finxerant, quadrat (cf. Liv. I 46, 1 quem locum ex antiquioribus annalibus fluxisse constat et Dion. V 20, quem Licinio Macro non deberi spero me tibi persuasurum esse), et quod attinet ad agrorum assignationes, item antiquissima memoria iam idem Servius Tullius agros pauperibus distribuisse ferebatur (cf. Liv. I 46, 1).

niam etiam odio Tarquinii nominis iamdudum premebatur, denique adductus est, ut sua sponte magistratu deposito urbem relinqueret. Sed tenendum est coniurationem iam antea oppressam esse (Plut. Publ. 3—6; 7). Dionysii vero auctor coniurationem et Collatini abdicationem ita conglutinavit, ut hanc quasi partem illi insereret: Brutus Collatino, quia is Vitellios et Aquillios severo supplicio levare studuit, consulatum abrogat; Collatinus se abdicat et urbem relinquit; Valerius consul suffectus creatur; tum demum Aquillii et Vitellii et damnantur et supplicio adficiuntur.[1]

Eadem fabula annalium scriptorum arte paulatim exculta auctaque eius rei praebet novum exemplum, quam Nitzschius recte in singulis perspectam iniuria, ut credo, in universum de Dionysii narratione professus est: memoriam serae aetatis (putat Antiatis) in illa coniunctam esse cum alia vetustissima. Cicero enim Brutum Collatino consulatum abrogavisse credebat.[2] Contra Livio auctore Collatinus precibus Bruti commotus sua sponte magistratum deposuit, ut populum Romanum nominis Tarquinii timore liberaret. Etiam Plutarchus Collatinum ultro decessisse narrat, quamquam permulta, quae iam ostendi, in narratione eius, si cum Liviana comparantur, novata esse cognoscuntur. At ab auctore Dionysii et nova servata et antiquissima memoria ita restituta est, ut Collatinus quamquam Brutus ei magistratum iam abrogavit, tamen Sp. Lucretii soceri precibus adductus etiam sua sponte abeat; quam ob rem denique a Bruto et laudatur et magna pecunia donatur.[3]

1) Virckius (l. l. p. 23) hanc fabulam sibi elegit, ut memoriam Livianam vetustiorem esse demonstraret, quam Plutarchi Dionysiique.

2) Cf. Cic. Brut. 14, 53 et de off. III 10, 40; Schwegler 'Röm. Gesch. II 82 A. 1; Virck. l. l. p. 24.

3) Virckius l. l. p. 37 suspicatur hanc fabulam de Collatini abdicatione compositam esse ad exemplar tribunatus abrogationis, qua Ti. Sempronius Gracchus Octavium pl. tribunum loco removit, eo tantum discrimine interposito, quod Octavio re vera magistratus abrogatur, Collatino, priusquam idem fiat (rectius dicerem: quamquam idem iam factum est) Lucretius persuadet, ut sua sponte abdicet. Ad illud Sempronii factum

Sequitur, ut Plutarchi et Dionysii de pugna ad silvam Arsiam facta narrationes inter se conferamus (Plut. Publ. c. 9 Dion. V 14—18). Initio pono eiusdem rei exemplum, de qua modo appendicis loco disserui. Secundum Livii (II 6, 6 sqq.) narrationem, antequam peditum exercitus advenerunt, equites concurrerunt, in quibus primi congressi duces, Brutus et Arruns, alter alterum transfixit; postea demum pedites proelium commiserunt. — Plutarchus de una tantum pugna narrat, quae ex certamine singulari inter Brutum et Arruntem facto initium ceperit. — Quas diversas traditiones auctor Dionysii in unum conglutinavit. Nam Dionysius V 14 sq. primum leve inter equites proelium commissum esse refert; quod cum fuisset dubium, totos et peditum et equitum exercitus concurrisse; priusquam autem ad manus ventum esset, Brutum ab Arrunte ad certamen singulare esse provocatum.

Ceterum facile perspicimus eandem rationem inter has Dionysii et Plutarchi partes intercedere, quam inter priores, nisi quod non tantum Antias recessit a communi fonte, quantum supra vidimus. Sed liceat hic ipsis argumentis praetermissis sententiam proferre: hac quoque de pugna Dionysii auctor non videtur Antiatis annales adisse, sed uterque fortasse eundem fontem.

Neque vero tacendum est me assentiri Virckio p. 56 asserenti unam quandam rem ex Valerii Antiatis annalibus petitam non Dionysii auctorem, at ipsum Dionysium alterius, quem sequebatur, auctoris narrationi inseruisse: nempe fabulam, ex qua Valerius Publicola primam orationem funebrem (de Bruto mortuo) habuisse fertur (Dion. V 17 coll. cum Plut. Publ. 9). Nam Dionysius cum hoc loco duos simul auctores inspiceret, factum est, ut errore, videtur, id cum Valerio Antiate omitteret, quod de matronis per annum Brutum lugentibus et Livius (II 7, 4) tradit et alterum illum Dionysii auctorem enarravisse ex Dion. V 48, 4 veri simile fit.

Dionysii auctorem spectasse, ut verioribus coloribus quasi rem exornaret, non negaverim. Sed diversus rei eventus sine dubio eo effectus est, quod ille auctor varias, quas descripsimus, memorias in unum consulto colligavit.

Tertia, de qua dicendum est, parte agitur (Plut. Publ. 10—12 = Dion. V 19) de Valerio Publicola sine collega per aliquod tempus consule, de legibus popularibus tum ab eo latis, de domo in Velia aedificata populique ob eam rem invidia. Hic vero neutiquam ille auctor, quem Dionysius secutus est, Antiati sua debuit. Nam pleraque, quae quo consilio Antias in hoc temporis spatium coartaverit, facile perspicis, apud Dionysium (et Livium) aut aliis locis dissipata occurrunt aut omnino desiderantur.[1]) Nec minus aliae quaedam discrepantiae, quas in fabula de domo Valerii[2]) potissimum invenies, gloriae Valerianae augendae studium produnt. Accedit quod plane alium rerum ordinem auctor Dionysii secutus est. Is enim Valerium Publicolam, ut primum populi invidiam cognovisset, ne diutius solus imperium teneret, statim Sp. Lucretium, eoque paulo post mortuo M. Horatium collegam creavisse tradit, ut leges populares, quae Plutarchi (et Livii II 8, 3) narratione soli Valerio ascribuntur, Dionysii e relatione ab utroque consule latae sint. Vides igitur et Valerium Antiatem et auctorem Dionysii quamvis diversa ratione utrumque tamen novas laudes Valerio Publicolae comparasse.

Hic non videtur memoratu indignum aliud quoddam exemplum illius, quam saepius iam invenimus, confusionis diversorum fontium, quod tamen non apud Dionysium, sed apud Plutarchum (i. e. Valerium Antiatem) occurrit. Livius II 7, 7 enim enarrat Publicolam, ut falso regni crimine liberaretur, summissis fascibus in contionem prodisse, Dionysius V 19, 3 securibus ademptis; utramque rem ab Antiate coniunctam cognosces apud Plutarchum et secures ademptas esse et fasces summissas referentem.

Sed venimus nunc ad quandam historiarum partem, in qua longe aliter res se habet, ut nesciam an hac sola spectata aliquis pari iure ad contrarium finem quaestionem, quam supra nobis proposuimus, perducere possit.

1) Cf. supra p. 216.

2) Cf. Münzer, de gente Valeria p. 11.

Sed priusquam ad Dionysii et Plutarchi relationes de bello cum rege Porsenna gesto (Plut. Publ. c. 16—19 et Dion. V 20—35) — hoc enim modo spectabam — comparandas adgrediamur, rursus liceat diversarum memoriarum conglutinationis exemplum praecipere. Livius (II 12, 5) antiquiores auctores secutus C. Mucium 'abdito intra vestem ferro' in castra Etruscorum profectum esse dicit; Plutarchus (Publ. 17) eum (Etrusca veste indutum et) Etrusca lingua usum in castra irrepsisse narrat. Quae cum tria sint, quibus Mucius ne Romanus agnosceretur providisse fertur, duo certe ex his ex diversis memoriis in unam congesta habes apud Dionysium V 28, 1 (nisi etiam tertium illud verbis, quae uncis inclusi, subesse concedes): (*παρακρουσάμενος τοὺς φυλάττοντας ὡς τῶν ὁμοεθνῶν τις) ὅπλον τ᾽ οὐδὲν φανερὸν ἔχων καὶ γλώττῃ Τυρρηνικῇ διαλεγόμενος.*

3) Sententia mea, qua in Livii fastis consulatum, quem nunc cum fastis Capitolinis tertium numerare solemus, ab initio defuisse conicio, eo optime stabilitur, quod Livius III 33, 1 fastorum Capitolinorum annum 303 (451) dicit 302 a. u. c. fuisse; quam rem etiam Holzapfelius adhibuit, ut suam sententiam commendaret.

de loco suo remota esset.[1]) Rem tamen ipsam non item atque ille factam esse animo mihi fingo. Ac primum quidem nescio quis illa inscriptione dedicatoria, quam in ipso templo servatam fuisse non ita est incredibile, commotus videtur esse, ut M. Horatium in altero consulatu templum dedicantem faceret. Sed cum Horatii nomen tum semel in fastis exstaret, alter ille consulatus erat fingendus. Et quoniam propter fabulam illam, quam de dolo Valeriorum in Horatium dedicantem parato iam tum in annalibus fuisse puto, P. Valerius Publicola collega ei addendus erat, maxime se offerebat, cui Horatii consulatus insereretur, alter liberae rei publicae annus; T. Lucretii autem consulis non iam usus erat. Sic factum est, ut bellum Etruscum, quod antea P. Valerio *T. Lucretio* coss. gestum esse ferebatur, ab hoc auctore in consulatu P. Valerii et *M. Horatii* narraretur, Horatii nomine pro Lucretii substituto. Quas diversas memorias alius quis cum conciliare vellet, ita confudit, ut bellum Porsennae per duos annos extenderet.[2])

1) Primo liberae reipublicae anno templum Iovis dedicatum esse tradiderunt *L. Cincius Alimentus* (auct. Liv. VII 3, 8); *Polybius* III 22; *Livius* II 8, 6—8; *Plutarchus* Publ. 14; tertio *Dionysius* III 69, IV 61, V 35; in altero M. Horatii consulatu *Tacitus* hist. III 72. Cf. Schwegler 'Röm. Gesch.' II 51.

2) Quam Valerius Antias Plutarcho teste exhibuit memoriam hoc in gradu ponendam, in ea P. Valerium T. Lucretium excipiunt P. Valerius M. Horatius. Sed apparet etiam facillime fieri potuisse, ut inverso ordine consulatus illi coniungerentur. Neque enim quidquam erat, quantum video, quo quis impediretur, quominus potius P. Valerii M. Horatii consulatum priore loco collocaret. Ac nescio an etiam huius memoriae vestigia inveniantur. Etenim si Valerio et Horatio prior, Valerio et Lucretio posterior annus datus erat, templi Capitolini dedicatio in altero liberae reipublicae anno erat ponenda. Atqui Tacitus in hist. III 72 inter templum a M. Horatio iterum consule dedicatum et L. Scipione C. Norbano consulibus incendio deletum 'quadringentorum quindecim annorum spatium interiectum' fuisse dicit. Qui numerus cum aperte depravatus sit, olim Lipsius 'CCCCXXV' lenissima coniectura scribendum proposuit. Quae si vera est Taciti scriptura, is hic auctorem aliquem secutus est, qui templum Capitolinum anno 246 a. u. c., i. e. altero rei publicae, dedicatum esse tradiderat, sed ne Valerii et Horatii quidem consulatum omiserat. Cf. tamen Holzapfelium l. l. p. 66,

Exstitit denique tertius aliquis — id quod ex Dionysii narratione colligitur — qui cum integriores illos fastos sequendos sibi proposuisset neque eo setius compositionem quam copiosissimam exornatissimamque appeteret, consulatu P. Valerii T. Lucretii omisso bellum Etruscum P. Valerio M. Horatio coss. et illatum et confectum tradidit, omnibus autem fere eis rebus, quibus alter ille annalium scriptor, exornavit et praeterea ipse quasdam adiecit.

Quae narrationis historia quo facilius perspiciatur, tabula illustrabo, quonam ordine memoriae de bello Porsennae sese exceperint. Antiquissima igitur traditione hoc bellum gestum ferebatur:

I.

P. Valerio T. Lucretio } coss. a. lib. rei p. { altero = 246(47)/507;

deinceps:

II.

P. Valerio M. Horatio } coss. a. lib. rei p. { altero = 246(47)/507;

quae memoriae (duplici ratione, ut videtur) in unam confusae effecerunt bellum gestum:

III, a.

Antiate auctore:

P. Valerio T. Lucretio
et P. Valerio M. Horatio } coss. a. lib. rei p. { altero = 246/508 et
tertio = 247/507;

(III, b.

ut *Taciti hist. III 72 auctor* tradidisse videtur:

P. Valerio M. Horatio
et P. Valerio T. Lucretio } coss. a. lib. rei p. { altero = 246/508 et
tertio = 247/507;)

denique *Dionysii ant. Rom. V 21—35 auctor* memoriae II. fastos et memoriae III, a. narrationem comprehendit bellumque gestum tradidit:

IV.

P. Valerio M. Horatio } coss. a. lib. rei p. { altero = 246(47)/507.

---

adn. 2 et Violetum 'Der Gebrauch der Zahlwörter in Zeitbestimmungen bei Tacitus' p. 190, qui mihi non persuasit.

CAPUT VI.

De fontibus Dionysii Halicarnassensis in ant. Rom. V 44—58 adhibitis.

Itaque quoniam de Dion. V 59—77 initio dissertationis, de V 1—43 modo satis multis disputavimus, restant capp. V 44—58, quibus anni a. u. c. 251—255/503—499 a. Chr. n. continentur.

Qua in parte unus ex eis locis occurrit, quibus ipse Licinius Macer auctor nominatim laudatur: V 47, 2. De quo loco iam initio iudicium feci: colligo inde Licinii annales a Dionysio esse adhibitos; sed quonam ambitu adhibiti sint, cognosci nequit. In ipsa autem narratione iam nihil invenitur, ex cuius indole Licinium auctorem fuisse aut suspicari aut negare possimus. Nam quod Kiesslingius[1]) numeris illis, qui 49, 1 (10300 occisi, 4000 capti) et 49, 2 (10000 iugera) occurrunt, Valerium Antiatem prodi putat, propterea incertius est, quia et Licinium ipsum numeros dedisse et Antiatis annales ab eo adhibitos esse demonstravi.

Verum in eis, quae de anno 253/501 Dionysius (V 50 et 51) exposuit, narratiunculam quandam deprehendimus, quam a Valerio Antiate fictam esse olim viri docti intellexerunt.[2]) Audimus enim V 50, 3 sqq. forte factum esse, ut M. Valerius a populo Romano legatus ad finitimos populos missus ducibus necopinantibus in communem Latinarum civitatum conventum veniret, qui tum belli contra

1) Kiesslingius, de Dion. Hal. auctoribus lat. p. 23.
2) Cf. Virckium l. l. p. 54.

Romanos deliberandi causa Ferentini habebatur. Sed M. Valerium dicendi venia bis petita, cum vehementer Latinorum duces iniuriae increparet causamque Romanam strenue defenderet, tantopere concilium perculisse, ut illo quidem die Romanorum adversarii nihil efficerent. At nihilo setius sequenti die Valerio consilio interesse a praesidibus prohibito, ut bellum Romanis indiceretur, Latinos omnes constituisse. — Vides illum M. Valerium quamvis multum oratione sua assecutum ipsum tamen rerum eventum non mutavisse. Hinc autem fabulam sero demum priorum auctorum narrationi illatum certissime agnoscimus. Quod vero simul Valerianae gentis homini tam praeclarae partes tribuuntur, ea re ab Antiate fabulam inventam esse discimus.

Sed quaeritur, num ab hoc ipso Dionysius eam petiverit. Quod hic reapse eum fecisse malim credere, quam in his quoque Antiatem a Licinio, Licinium a Dionysio exscriptum esse. Videtur enim ex T. Larcii nominibus sine cognomine in fastis editis (V 50, 1) concludi posse Dionysium hic non modo non narrationem, sed ne fastos quidem ex eo fonte hausisse, ex quo V 59—77 fluxerunt i. e. ex Licinii annalibus. Nam in Dion. V 59, 1 i. e. ea in parte, quam supra Licinio tribuimus, cognomine adiecto dicitur idem T. Larcius Flavus.[1])

Sequitur, ut de eis, quae ad annum 254/500 in Dionysio relata legimus, iudicium proferam (Dion. V 52—57). — Ex his coniurationem, quam a plebeis factam Dionysius V 53—57 tradit, a Licinio Macro enarratam fuisse mihi persuadere vix possum. Nam plebei pauperes et aere alieno oppressi Tarquiniorum pecunia corrupti adeo, ut etiam cum *δούλοις πονηροῖς* societatem inirent, coniurasse dicuntur, ut noctu caede facta et urbis castellis occupatis portae tyrannis aperirentur. Talia vero Licinium Macrum, hominem popularium rerum studio flagrantem, reddidisse, etiamsi in

1) Non neglegendum etiam ad annum a. u. c. 253 (= Dion. V 50, 1), cognomen exstare in fastis Idat. et chron. Pasch.: 'Flavo.' De qua re adeas Cichorium, de fastis consularibus antiquissimis p. 199 sqq.

superiorum libris scripta invenisset, nullo pacto credam. At, ut ex Plutarchi 'Publicolae' quodam loco colligere licet, tales de plebe illorum temporum opiniones animo sibi fingere — nisi hic quoque iam ab antecedentibus accepit — a Valerii Antiatis ratione ac consuetudine non fuit alienum. Namque Plut. Publ. cap. 2 in fine Valerius Publicola, Tarquinii legati re infecta ut dimitterentur, egisse dicitur, ne sineret *ἀνθρώποις πένησι καὶ βαρυνομένοις μᾶλλον τῆς τυραννίδος τὸν πόλεμον ἀρχὰς καὶ προφάσεις νεωτερισμῶν ἐγγενέσθαι.* Quare Valerium Antiatem hoc, de quo agimus, loco a Dionysio exscriptum esse, praesertim cum etiam in V 50sq., ut videtur, eum adhibuit, non sine aliqua probabilitate coniciamus. Tamen nihil pro certo adfirmare ausim, nisi, quae supra de coniuratione excerpsi, ex Licinii annalibus hausta non esse. Cetera enim, quae his in capitibus inveniuntur, indicia incertiora sunt, quam ut certa inde colligere possimus. Facile sane si Dionysium audiveris explicantem quomodo fieri potuerit, ut ad tale scelus plebei homines adlicerentur, Licinium ipsum loqui putaveris. Dicit enim haec Dionysius V 53, 2: *ἤδη δ' ὑπεκίνει τὸ πολὺ τοῦ δημοτικοῦ μέρος καὶ ἐνόσει, μάλιστα δὲ τὸ ἄπορον καὶ ὑπὸ δανείων ἠναγκασμένον μηκέτι τὰ κράτιστα τῷ κοινῷ φρονεῖν· ου γὰρ ἐμετρίαζον ἐν ταῖς ἐξουσίαις οἱ δανείζοντες, ἀλλ' εἰς δεσμοὺς τὰ τῶν ὑποχρέων ἀπῆγον σώματα καὶ ὥσπερ ἀργυρωνήτοις αὐτοῖς ἐχρῶντο.* Itaque nescio an aliquis iure quodam suspicetur Dionysium, quamquam hoc loco ad Antiatem magis se applicasset, tamen etiam a Licinio de origine ac causis intestinae discordiae disserente quosdam colores petivisse, quo ornatior et plenior compositio sua fieret. Sed ne illud quidem inepte contenderit quispiam Valerium Antiatem, tamquam Valerii Publicolae erga plebem amoris et clementiae heredem, in historia depingenda ipsum quoque plebeis adeo favisse, ut medium quendam locum inter optimates et populares tenens et excusare ac defendere plebem studeret neque tamen, quae illa peccasset, omnino taceret.

Sed contra in cap. 52 quaedam occurrunt, quae

dubito an meliore iure Licinio, quam Antiati ascribantur, quamquam ne id quidem dubitatione caret, num omnino alterutri debeantur. Legis enim Dionys. V 52, 2 et 4 in omnibus Latinorum civitatibus populares bellum cum Romanis gerendum recusavisse et foedera potius servanda censuisse, cum optimates eique potissimum, qui principatum adfectarent, bellum excitare summopere molirentur. Quorum simillima, quae etiam clarius popularem quasi stilum produnt, redeunt apud Dion. VI 2, 1. Talia autem ut a Valerio Antiate abiudicare malim, loco quodam Plut. Publ. 21 (211, 17 sqq.) adducor, ubi legimus Attium Clausum Sabinum eo, quod bellum Romanum confecisset, non solum Sabinorum principum, sed etiam plebis summam invidiam sibi conflasse et ea potissimum causa patria relicta Romam fugisse, quia illorum contra se accusationes videret βουλομένῳ τῷ πλήθει esse. De qua re cum et Livius II 16, 4 et Dionysius V 40, 4 sq. taceant, a Valerio Antiate ea inventa videtur esse. Hoc autem si verum est, suspicio oritur ne aliis quidem locis Antiatem sociorum vel hostium popularibus ita favisse, ut talia narraret, qualia exstant Dion. V 52, 2 et 4.

Varia igitur hac in parte elementa e diversis narrationibus petita et permixta esse opinor. At utrum ipse Dionysius illa confuderit, an a Romano aliquo auctore iam confusa acceperit, his saltem in capitibus discerni vix poterit. Neque hoc in haec tantum capita cadit, sed in universum de Dionysii antiquitatibus dicendum est. Qui quoniam nusquam fere excerpta nuda conseruit, sed plerumque magna cum diligentia exornavit, suis saepe commentis et sententiis permixta reddidit, haud raro molesta paene loquacitate exposuit, difficillimum plerumque est, quid huic, quid illi debeat, diiudicare, aliquanto facilius, quid ipse adiecerit, cognoscere. Vix enim ipse in historia suo Marte novavit, ut scriptores Romani, quippe qui compluries ab eorum memoria discrepans, quibus de causis ab eis recessisset, addiderit. Itaque quae nullis rebus prorsus mutatis ex diversis narrationibus petita in unum tantummodo

coniuncta sunt, ea et a Latinis auctoribus et a Dionysio iudicabimus posse conglutinata esse; quae vero ita sunt contaminata, ut plane nova evaserit memoria, altera narratione alterius gratia aut mutilata aut immutata, ea ab ipso Dionysio confusa esse negabimus. Saepe autem magis sentiri quam intellegi videtur, utrum res a Dionysio variis e fontibus congestae sint, an ab auctore Latino iam coniunctae fuerint, paucissimisque locis vere cognosci ac discerni potest.

Quare de loco illo, de quo nunc agimus, ne de re dubia, quae vix diiudicari poterit, videamur decernere velle, id tantum liceat addere: hanc Dionysii de coniuratione plebeiorum narrationem, maxime de coniuratis oppressis et supplicio adfectis, sine dubio ex auctore Sullae aut aequali aut certe non superiore esse desumptam. Nam hic quoque, ut in Liciniana parte, quam vocavi (V 59—77), ille scriptor tota coniurationis historia id maxime videtur agere, ut pristinorum hominum sapientiam, moderationem, clementiam quasi exemplum imitandum aequalibus proponat, praecipue autem summo fastidio abhorret a delatorum denuntiationibus.

Quod reliquum est, caput Dion. V 58 (de anno a. u. c. 255/499 a. Chr. n.) ansam non praebet, qua quis ad auctorem cognoscendum uti possit.

CAPUT VII.

De fontibus Dionysii Halicarnassensis in ant. Rom. VI 23 sqq. adhibitis.

Sed de Dionysii libro V hactenus: sequeretur, ut eadem fere ratione de sequentibus disputarem. Quare mihi venia erit petenda, si de VI libro disquisitione angustioribus finibus circumscripta ea tantum prolaturus sum, quae faciliore negotio in fundamentis a me iactis, quamvis pusilla in satis magnis, exstrui possint, ad libros VII et VIII autem percensendos omnino nondum sum adgressurus.

Id tamen facere non possum, quin de parte quadam antiquissimae historiae Romanae a multis varie temptata ipse quoque disseram: de secessione plebis dico. De eis partibus Livii et Dionysii, quibus horum annorum res enarratae sunt, inde a Nitzschio, quantum scio, hae expositae sunt sententiae:

Nitzschius [1]) Dionysii narrationem e Licinii Macri annalibus putat exscriptam, Livianae (II 22—31 incl.) alteram partem (II 22—28) ex Antiate, alteram ex Licinio pendere, ut Liv. II 29—31 et Dion. VI 34, 2 fin. — 45, 1 ex eodem fonte petita sint.

Quam sententiam primus impugnavit Clason [2]), qui vice versa Livii narrationis priorem partem ex Licinii, posteriorem ex Antiatis annalibus haustam esse existimat, sic tamen capitibus dispertitis, ut priori parti II 22—29, posteriori II 30 et 31 daret. Neque idem de Dionysii auctore cum Nitzschio

1) 'D. röm. Annal.' 1873, p. 61—66.

2) 'Römische Geschichte' II (Schwegl. V) 1876, p. 88—91.

consentit, sed Dion. VI 23—42, 1 ad Antiatis annales, VI 42, 1 fin. — 45 ad Licinii relegat, ut Liv. II 30, 1—7 fere et Dion. VI 39—42, 1 eidem Antiati ascribantur.

Ac ne Virckio[1]) quidem omni ex parte sententiam suam Nitzschius probavit: immo ille quamquam Nitzschio Dionysii narrationem e Licinii annalibus petitam esse concedit, Livii totam Valerianam esse vult. — Denique novissimus huius rei iudex exstitit Volkmar[2]), qui 'certissimum esse iudicat ipsum Dionysium Livio ipso usum esse'.

Qua sententia refutanda — facillima cura — tempus non teram. Ex eis autem, qui et Dionysio et Livio annales quosdam Romanos hac quoque in historia subesse putant, nescio an proxime ad verum accesserit Clason. Quae autem ex huius et ceterorum placitis videantur abicienda esse, quae retineri posse, ex ipsa disputatione apparebit. Neque tamen aeque atque illi fecerunt certas partes certis auctoribus assignabo, quod cum aliqua spe veritatis fieri posse omnino negem.

Proficiscamur igitur ex eis, quae de Plutarchi vitam Coriolani enarrantis fontibus supra[3]) cognovimus. Ubi demonstravi, in quibus Plutarchus a Dionysii narratione discrepat, ea ex Antiatis annalibus manasse. Quoniam autem Plutarchus de secessione plebis paucis referens (cap. 5 et 6) vel maxime a Dionysii memoria recedit[4]), inde patet Dionysium de eisdem rebus Antiatem certe non adisse, quamvis certa Antiatis vestigia hac ipsa in parte Dionysii cernere nobis videamur.[5])

---

1) Virck. l. l. p. 27—32.

2) Volkmar, de annal. Romanis quaestiones 1890, p. 54—65.

3) Cf. cap. III.

4) Cf. supra p. 206 sqq.

5) Cf. Dion. VI 43, 2: *ὁ Οὐαλέριος πολλὰ καὶ ὡς οὐ δίκαια πάσχοι διαβεβλημένος ὑπ' αὐτῶν πρὸς τὸν δῆμον ὀνειδίσας, τήν τε μέλλουσαν καταλήψεσθαι σφᾶς τύχην τοιαῦτα βουλευσαμένους ἀνακλαυσάμενος, καὶ οἷα εἰκὸς ἐν τοιούτῳ κακῷ τὰ μὲν ἐκ πάθους, τὰ δὲ ἀπὸ τοῦ πλεῖόν τι τῶν πολλῶν νοεῖν ἀποθεσπίσας, ᾤχετο ἀπιὼν ἐκ τοῦ βουλευτηρίου.* 44, 2 Valerius haec ad populum contionatur: *ὠνείδισται δέ μοι καὶ ἡ τῶν κληρούχων εἰς Οὐολούσκους ἐκπομπή, ὅτι γῆν πολλὴν καὶ*

Atque cetera quidem, quae inter utriusque narrationes intercedunt, discrimina nunc iterum exponere opus non est; unum autem ex eis, ex quo plus etiam videtur colligi posse, liceat repetere. Conclusi enim ex Plutarchi relatione quamvis concisa cum Dionysii narratione comparata Antiatem memoriam illorum annorum hunc in modum interpolasse, ut Valerium illum dictatorem anni 260/494 patriciis summo opere resistentibus plebis miseriae consulere frustra conatum, cum totum exercitum de signis dimisisset, tum demum dictatura se abdicasse narraret. Id quoque iam exposui Livio auctore totum exercitum tum sub imperio remansisse, Dionysio quattuor dictatoris legiones dimissas, sex illas consulum retentas esse. Quae cum tres sint relationes diversae, si quonam ordine alia ex alia facta in annalibus Romanis exstiterint, quaeris, per se intellegitur non bene quemquam coniecturum esse ex Liviana Dionysianam, ex Dionysiana Valerianam esse deductam. Immo sine dubio Valerius Antias, ut Valeriorum laudes populares augeret, ex ea fere memoria profectus, quam Livius (II 32) exercitum sub signis retentum esse narrans reddidit, primus milites dimissos esse finxit. Tum alius quis scriptor, cum in Antiatis annalibus exercitum dissolutum, in antiquioribus nescio quibus etiamtum milites sacramento obligatos fuisse scriptum invenisset, duabus his narrationibus confusis eam fere condidit, quam Dionysius exhibet. Ergo si haec bene sunt disputata, Dionysius non ipsum Valerium Antiatem, at tamen annalium quendam scriptorem, qui Antiatis annales adhibuerat, secutus est. Nam Dionysium ipsum tanta audacia usum Romanorum historiam immutasse prorsus incredibile est. Pertinet autem haec argumentatio ex Plutarchi 'Coriolano' repetita ad Dionysii capita VI 40—45, 1.

ἀγαθὴν οὐ τοῖς πατρικίοις οὐδὲ τοῖς ἱππεῦσιν ἐχαρισάμην, ἀλλὰ τοῖς ἀπόροις ὑμῶν διένειμα· καὶ ὃ μάλιστά μοι τὴν πλείστην ἀγανάκτησιν παρέσχεν, ὅτι πλείους ἢ τετρακόσιοι ἄνδρες ἐκ τοῦ δήμου τοῖς ἱππεῦσι προσκατελέγησαν ἐπὶ τῆς στρατολογίας βίων εὐπορήσαντες.

Sed nisi spes me fallit, alia ratiocinatione, quod modo explicavi, et adfirmare et latius id valere demonstrare possumus. Apud Dion. VI 12 (1 et 2) scriptum est M. Valerium, P. Publicolae fratrem, in pugna Regillensi, cui legati munere fungens interesset, hasta ictum cecidisse; a Publicolae autem filiis Publio et Marco defensum ab armigeris inspoliatum et adhuc spirantem[1]) e proelio asportatum esse; illos autem, Publium et Marcum, summa cum audacia in medios hostes sese coniecisse et multis acceptis vulneribus conferta manu hostium cinctos una occisos esse. Neque vero Livius, cum M. Valerium temere in exulum aciem invectum et transfixum esse ipse quoque enarret, de P. et M. Valeriis patruum protegentibus scriptum quidquam exhibet. Unde apparet duos illos Valerios adulescentes posterioris demum scriptoris annalium inventione historiae pugnae Regillensis illatos esse.

Iam quaeritur, quis is fuerit scriptor, tum quanam ratione adductus memoriam vulgatam immutaverit. Atque illud quidem facile perspicitur: neque enim dubito, quin hic quoque Antiatem summam gloriam maiorum suorum appetentem deprehenderimus. Nam quamquam etiam ab aliis auctoribus Valeriorum laudes magis magisque augebantur, tamen is, qui pro *uno* vel *tres* Valerios eximia virtute praestantes induxit, nemo fuit, nisi Antias. Imprimis enim, ubicunque non solum novae laudes in Valerium aliquem historicis iam cognitum coacervatae sunt, sed nulla re cogente novae stirpes huic genti insertae vel rebus, in quibus nullae antea Valeriorum partes erant, aut auctores aut adiutores sera demum memoria ei exstiterunt, eis locis Valerium Antiatem novasse non iniusta, credo, mihi oritur suspicio. Velut in pugna Regillensi M. Valerium occidi si alius quis scriptor noluisset, is pro M. Valerio alium Valerium substituisse satis habuisset; Antias vero hoc non contentus occasione arrepta uni illi duos simul addidit. Quibus expositis etiam, quare Antias hac in re novasse mihi videatur, iam tetigi. Nempe M. Valerium iam

1) 'μικρὸν ἔτι ἐμπνέοντα.'

tum diem supremum obire cum nollet, gravissimo vulnere accepto tamen Publio et Marco adulescentibus defendentibus servatum esse finxit.[1])

Neque id sine causa fecit. Erat enim quaedam memoria, qua idem M. Valerius, quem plerique in pugna Regillensi 258/496 necatum esse tradebant, tertio anno post 260/494 dictatura functus esse ferebatur.[2]) Ad quam cum Antias se applicaturus esset, M. Valerius in pugna Regillensi anima privandus ei non erat. Itaque cum aliam causam, cur tantopere memoriam a prioribus acceptam mutarit, nullam ego videam, pro certo habeo Antiatem dictatorem anni 260/494 non *Manium* sed *Marcum* Valerium vocavisse.[3]) Quapropter in Plutarchi quoque contextu (Coriol. c. 5) pro *Μάρκιον* quin *Μάρκον* (non *Μάνιον*) scribendum sit, non dubito.

Hic autem non abs re esse videtur, ut supra in aliis et rebus et personis compluries conatus sum, etiam M. et M.' Valeriorum non historiam, sed quasi historiae historiam constituere, praesertim cum hac perlustrata magis etiam sententiam meam, qua Antiate auctore Marcum Valerium anni 260/494 dictatorem fuisse posui, te probaturum esse sperem.

Varias igitur memorias, quae de M. et M.' Valeriis ad nos pervenerunt, si percensuerimus, ex una discrepantia omnes originem duxisse intellegemus. Cognoscimus enim in antiquis-

---

1) Hic mihi fortasse aliquis opponet, ex Dionysii narratione M. Valerius quamquam vivus e proelio asportatus esset, tamen quin mortuus sit dubitari non posse, quoniam Dionysius VI 12, 1 ut morituri eius facta repetat: *Μάρκος Οὐλέριος, ὁ τὸν κατὰ Σαβίνων πρῶτος καταγαγὼν θρίαμβον καὶ τὸ φρόνημα τῆς πόλεως τεταπεινωμένον ἐκ τοῦ Τυρρηνικοῦ πταίσματος ἀναστήσας, δόρατι πληγεὶς πίπτει.* Sed hoc nihil contra nos facit. Namque aut Dionysium ipsum Antiate non bene intellecto hoc addidisse, aut — neque scio an hoc veri sit similius, — Dionysii auctorem Antiatis narrationem cum vulgata iam confudisse statui potest.

2) Cf. Liv. II 30, 5 (secundum codices optimos); Cic. Brut. 14, 54; Oros. II 5; Zonar. VII 14; item Plut. Cor. 5, ubi pro '*Μάρκιον*' scribendum est est '*Μάρκον*'.

3) Quae ex his de 'elogio' Valerii sequi videantur, explicabo in append. II.

simis certe annalibus traditum fuisse aliis M. Valerium anno 258/496 in pugna Regillensi occisum esse, aliis M. Valerium anno 260/494 dictatura functum esse. Atque num iam tum nescio quis exstiterit, qui satis neglegens has duas res neutra mutata coniungeret, ut diversos auctores secutus Livius fecit, non quaero. Illud autem video duo remedia, quibus haec discrepantia exstingueretur, adhibita esse. Inter quae et simplicitate et ex annalium scriptorum consuetudine — nam etiam alias similes difficultates simillima ratione illi expediebant — maxime in promptu fuisse cognoscitur alterum, quo in *M.* Valerii dictatoris loco *Manius* frater, etiamsi de hoc nusquam quidquam traditum esset, substitutus est.

Sed etiam alia re sic primum traditam memoriam immutatam esse probatur. Is enim, qui deinceps novo commento historiam exornavit, Valerius Antias videtur fuisse. Scriptum ille nimirum invenit in aliis libris anno 264/494 Marcum Valerium, in aliis Manium dictatorem dictum esse. Ex duobus autem his dictatoribus Valeria gente natis cum neutrum dimittere vellet, anno 260/494 Marcum Valerium restituit dictatorem, Manium autem, ut oblatam occasionem Valeriorum gloriae augendae teneret, primum liberae rei publicae dictatorem fuisse satis impudenter mentitus est.[1]) Atque simul hunc non Publicolae fratrem, sed patruelem, Marci filium, Volesi nepotem fuisse docuit.[2]) Ut autem Marco dictatura anni 260/494 reddi posset, anno 258/496 in pugna Regillensi idem servandus erat. Ecce nova occasio Valerios extollendi, qua arrepta Antias illos adulescentes Publium et Marcum eximia fortitudine pugnantes proelio Regillensi inculcavit.


Iam vero hanc Antiatis memoriam ex diversis confusam iterum cum antiquiore quadam narratione, qua Manius anni 260/494 dictator fuisse ferebatur, i. e. cum eadem fortasse, quam Antias reiecerat, confudisse videtur auctor Dionysii.[3]) Nam quoniam Antiatem Marco

1) Cf. Liv. II 18, 6; Fest. p. 198.
2) De qua re vide append. I.
3) Cf. VI 23, 3; 39, 2; 57, 2; 69, 3; 71, 1; 77, 1.

Valerio anni 260/494 dictaturam tribuisse intelleximus, Dionysius autem **Manii** praenomen huic dictatori dedit, de nomine saltem Dionysium ab Antiatis annalibus recessisse apertum est.[1])

Sed tamen in eius expositione vestigia Antiatis cerni negari nequit. Inter quae illud non hercle minimi facio, quod Dion. VI 23, 3 Servilius consul ex sententia M.' Valerii, popularissimi senatoris censuisse apertis verbis dicitur; tale enim Antiatis historiam interpolantis indicium inter certissima habendum esse supra (p. 257) exposui. Haec sane Valeriana Dionysium ipsum ab ipso Antiate accepta alius cuiusdam narrationi inseruisse non posse, certis argumentis demonstrari non poterit. Sed cum eum auctorem, quem Dionysius VI 40—45, 1 secutus est, ipsum quoque Antiatis inventa in usum suum convertisse supra viderimus, constetque omnino in VI 23—77, quamvis ibi

1) Tabula appicta rursus memoriarum series dilucidior fiat:



Antiatis vestigia spectentur, tamen alium certe auctorem de dictatoris nomine saltem auditum esse, hunc et illum crediderim eundem esse, eum videlicet, qui Antiatis narrationem cum vetustiore quadam colligavit. Hoc vero si recte vidi, suspicio oritur Dionysium etiam hac in parte elementa illa Valeriana narrationis, pleraque certe, non ab ipso Antiate petivisse, sed ab altero illo auctore accepisse.

Atque quae hucusque disputavi, ea si tibi comprobavero, concedes Clasonem refutatum esse censentem Dion. VI 23—42, 1 ex Antiatis annalibus esse desumpta. Neque si mea vera sunt, Virckii sententia stare potest, qua Licinium Macrum, quem ex Antiatis annalibus hausisse neget, huius partis auctorem fuisse putat.

At nondum reiecta est Nitzschii sententia, qui hanc Dionysii narrationem a Licinio Macro adhibitis et auctis immutatisque Antiatis annalibus compositam esse censet. Quin facile aliquis, qui hucusque mihi se dederit, suspicetur, quoniam ipse quoque Licinium ab Antiate revera exscriptum esse docuissem, me ad Nitzschii sententiam me applicaturum esse. Sed plus unum est, quo Licinio hanc Dionysii partem assignare vetemur. Atque primum iam supra me dubitare significavi, num Dionysius Licinium secutus id rettulerit, quod VI 22, 1 (i. e. novissimo capite ante hanc, de qua agimus, partem) scriptum legis: sc. plebeios tum simulasse se solvendo non esse.[2] Quo etiam magis a Licinii ingenio popularissimo mihi videtur abhorrere, quod cap. 26, 2 narrat Dionysius: neminem patriciorum, cum nexi undique catenis vincti et pauperes plebei in forum magno tumultu concurrerent, eos retinere ausum esse; quin si quis patricius eos tantummodo attigisset, statim velut belli iure eum discerptum esse (*ἐν χειρῶν*

1) Cf. Virck. l. l. p. 69 sqq.

2) Cf. etiam, quae VI 22, 2 leguntur: *ἀξιούντων δ' οὔτε τῶν δανειστῶν οὐδὲν μέτριον ὑπομένειν οὔτε τῶν χρεωφειλετῶν ποιεῖν οὐδὲν δίκαιον, ἀλλὰ τῶν μὲν οὐδὲ τοὺς τόκους ἀφιέναι, τῶν δὲ μηδὲ αὐτὰ τὰ συναλλάγματα διαλύειν* (sc. *ἀξιούντων*!).

νόμῳ διασπαραττομένου vel *διαπραττομένου*). Quod ne Licinio tribuam, etiam magis adducor collata Livii de eisdem rebus narratione: Liv. II 23, 9: 'Magno cum periculo suo, qui forte patrum in foro erant, in eam turbam inciderunt; nec temperatum manibus foret, ni propere consules, P. Servilius et Ap. Claudius, ad comprimendam seditionem intervenissent.'

Tum vero non hunc solum locum, sed in universum Livii de his annis narrationem auctorem multo populariorem prodere, quam Dionysianam Clasoni[1]) concedere debemus. Quare si ex duabus his relationibus altera utique, aut Liviana aut Dionysiana, Licinio Macro vindicanda erat, Clasoni libentissime assentirer Livium e Licinio sua (II 22—29) petivisse censenti. Sed malim in re difficillima diiudicatu certo iudicio abstinere. Etenim quamquam diligentissime varias illorum annorum memorias perscrutatus sum et inter se comparavi, tamen, etiamsi pauca quaedam de ratione, quae inter Livianam et Dionysianam intercedat, satis certo cognosci possint, ea non sufficiunt ad ipsos fontes investigandos.

Itaque his praetermissis id tantum exponere liceat, quod ex eis, quae de Valeriana horum annorum memoria supra cognovimus, de Livii II 23—31 auctore videatur colligi posse. Commemoravi enim supra Nitzschium Liv. II 22—28, Clasonem II 30—31, Virckium vero omnia (II 22—31) Valerio Antiati assignavisse. Atque cum hoc annalium scriptore certe Livius congruisse putandus est de dictatoris praenomine. Nam sine dubio in cap. 30, 5 cum melioribus codicibus scribendum est: '*M.* Valerium'. Sed hoc, etiamsi Livium hac in parte ad seriorem memoriam se applicasse apertum sit, non sufficit, ex quo concludamus Valerium Antiatem ab eo exscriptum esse. Nam etsi hic pro Manio Marcum Valerium restituit, tamen proptera non iam constat neminem alium fuisse, qui idem alia ratione efficiens ipse quoque Marcum Manio praeferret. Et quamquam illum M. Valerium Liv. II 31, 1—3 tanta laude extolli tantisque honoribus or-

1) l. l. p. 89.

nari concedo, ut facile legentibus Antiatis auctoris in mentem veniat, tamen Virckio[1]) assentiri non possum Antiatem hunc locum Livio subministrasse pro certissimo habenti. Nam quaecunque et ex Plutarchi brevi relatione et ex Dionysii fusa narratione in Antiatis libris fuisse cognovimus vel suspicati sumus, eorum apud Livium nec vola nec vestigium apparet.[2]) Quare Livius, si modo II 31, 1—3 revera Valeriana sunt, et quae antecedunt et quae sequuntur omnia fere tamen ex aliis fontibus hausisse putandus est. Ac profecto complurium fontium indicia et Nitzschius et Clason et Volkmar apud Livium reperisse sibi visi sunt et apud Dionysium quoque videntur cognosci posse.[3]) Quae quamquam neque omnia probo neque omnia non credo, tamen nunc has res obscuriores, ut videtur, quam ut certi aliquid enucleari possit, mittere liceat.

Ut autem, quod certius de hac Dionysii parte cognovisse mihi videor, repetam, censeo auctorem quendam imprimis subesse, qui, etsi non Licinius fuit Macer, Valerium Antiatem certe ipse quoque exscripsit.

Ac vereor ne de ceteris quoque libri sexti partibus viri docti adhuc simplicius iudicium quam verius fecerint, non solum Nitzschius omnia e Licinii Macri annalibus petita esse

1) l. l. p. 39. 'So gewiss nun aber jene Angaben des Plutarch' (de M. Valerio et Publicola in Plutarchi vita Publicolae; cf. imprimis cap. 20) 'auf Antias zurückgehen, so gewiss müssen auch diese jenen so ähnliche(n) auf ihn zurückgeführt werden'.

2) Cf. Dion. VI 23, 3 cum Liv. II 23, 15; Dion. VI 43, 1 et 2 et 44, 2 cum Liv. II 31, 7—11, ad quae cf. h. dissert. pp. 255, 260 sq.

3) Cf. Nitzschium, l. l. p. 63 sq. Clasonem, l. l. p. 91. Volkmarum, l. l. p. 60, 65. Quibus hoc addere liceat. Dionysius, postquam bella anno 259/495 gesta enarravit, statim (c. 44) sequentem annum ingreditur, cum Livius, antequam ad hunc annum sese convertit, toto cap. 27 seditiones civiles iterum excitatas, quia senatus Servilii promissa non solvisset, interponat. Eadem vero etiam in Dionysii narratione necessario exspectes, praesertim coll. VI 34, 2 et 76, 2. Oritur igitur suspicio Dionysium complures fontes una inspicientem erravisse. Nihilo tamen setius in universum eum uni prae ceteris auctori sese dedisse crediderim.

censens, sed etiam Virckius Licinium principalem fuisse Dionysii auctorem ratus, quaedam tamen ex Antiatis narratione repetita hic illic esse immixta. Neque vero minus vereor, ne de certis quibusdam fontibus indagandis omnino sit desperandum. Accedit, quod ansae, quas modo ad Dionysii capita VI 23—45 perscrutanda adhibuimus, posteriorem huius libri partem ingressuros iam deficiunt. Livius enim inde a II 32 ad vetustiorem auctorem suum revertitur, quo fit, ut nullum omnino ex huius relatione cum Dionysii comparata capere possimus fructum. Plutarchus vero, qui septimum 'Coriolani' caput ipsi Dionysio videtur debere, dubito an iam in sexti capitis parte posteriore conscribenda Antiatem reliquerit. Iure enim conieceris hunc de consularium legatione ad plebem in Sacrum montem missa enarrantem praestantissimas partes M. Valerio gentili suo dedisse (cf. Dion. VI 71 sqq.). Sed Plutarcho auctore, qui M. Valerium hac in re ne commemorat quidem, solus, ut videtur, Agrippa Menenius item atque antiquissima memoria ferebatur 'προηγόρει'. Quare veri est simile Plutarchum 'notam illam de membris humanis adversus ventrem discordantibus fabulam' ex tertio quodam fonte hausisse, praesertim cum reputaveris similiter eundem Plutarchum fabulam illam de Mucii Scaevolae facinore ex subsidiario nescio quo fonte Antiate duce relicto petivisse. [1])

His igitur disceptationis adiumentis subtractis, ne difficili labore pusilla quaedam neque satis perspicua elucubrem, paucissimis liceat de sexto Dionysii libro perorare.

Ac concedes, puto, veri simile esse hac quoque in parte, quippe quae est de eiusdem anni eventis, eundem auctorem prae ceteris aditum esse, quem in VI 23—45, i. e. neque Antiatem neque Licinium, sed alium quendam, qui Valerii certe Antiatis annales adhibuerit. Num praeter hunc alios quoque auctores assumpserit Dionysius, certis indiciis disceptari vix poterit. Sed id eum fecisse ut ipsa eius consuetudine, ita loco quodam (VI 83, 2) commen-

1) Cf. huius diss. p. 190 sqq.

datur, ex quo multos auctores illum inspexisse concludendum est. Denique hoc pro certo dicere possumus Licinium Dionysio non suppeditasse hos locos, utpote qui a populari illius ingenio ac tribuniciae praecipue potestatis amore valde abhorreant: VI 46, 3; 47, 2; (49, 2); 70, 1; 70, 2; 81, 3 sq.; 82, 1. Talem profecto cum pristinae plebis tum primorum tribunorum imaginem Licinium aequalibus non proposuisse certissimum indico.

Sed iam finem imponam dissertationi meae tametsi confessus rem nondum absolutam esse. Quodsi tibi non satisfecero, quippe qui has de fontibus Dionysii quaestiones in ipsis fontibus enucleandis fructuosiores exspectaveris, respicias non mea solum culpa id factum esse, sed non minus rei difficultate. Illud tamen maxime spero te concessurum esse Romanorum annalium scriptorum artem variis exemplis satis recte me illustrasse nec sine fructu diversarum de eisdem rebus memoriarum series me persecutum esse. Etiam ad ipsius Dionysii rationem, qua in fontibus adhibendis usus sit, cognoscendam nonnulla contulisse mihi videor. Ex singulis autem, quae docui, haec imprimis comprobata volo: Valerii Antiatis annales a Plutarcho in 'Coriolano' componendo exscriptos esse; ex eisdem iam Licinium Macrum hausisse; in Dionysii narratione praeter Antiatem et Macrum haud raro tertium quendam auctorem cognosci, qui interdum saltem ipse quoque Valerii Antiatis annales in usum suum converterit.

suspicor Livium avi nomine inductum errasse, illum autem M.' Valerium M. filium Vol. nepotem rectius pro fratre patrueli P. Valerii Publicolae quam pro fratris filio haberi. Apparet enim ex Plut. Publ. 1 et Dion. II 46; V 12 1) Valerium Antiatem familiae Valerianae memoriam ex temporibus Romuli et T. Tatii repetivisse, neque aliter interpretandum est, quod Dionysius semper Publicolam non Volesi filium ut Livius, sed *Οὐολούσσου ἀπόγονον* dicit. Itaque crediderim, si coniectura augurari licet, tale fere familiae stemma Antiatem sibi finxisse:

Volusus (s. Volesus), qui fuisset Romuli aequalis;
⋮
*
⋮
*
⋮
Volesus

Volesus — Marcus

P. Valerius Vol. f. Vol. n. Publicola. — M.' Valerius M. f. Vol. n. (= Liv. II 18, 6 et Dion. V 64, 1 et Fest. p. 198).

Quae si recte sunt divinata, efficitur, ut, ne idem quod Livio etiam Dionysio crimini demus, in codicum lectione nondum acquiescendum sit. Adde quod verbum *ἀδελφοῦ* quamquam, ut sanus aliquis sensus eliciatur, simpliciter reici non debet, tamen quoniam ab optimis codicibus non exhibetur, aperte coniectura in nonnullis deterioribus additum est. Quae cum ita sint, nescio an non nimis confidenter audeam: '*Μάνιος Οὐαλέριος, υἱὸς Μάρκου Οὐαλερίου, ⟨ἀνεψιὸς⟩ ἑνὸς τῶν καταλυσάντων τὴν τυραννίδα* (*Ποπλίου*, quod dubito an rectius cum cod. Urbinati omittatur) *τοῦ κληθέντος διὰ τὴν εἰς τὸ δημοτικὸν εὔνοιαν Ποπλικόλα.*' Attendas quoque facillime fieri potuisse, ut *ΑΝΕΨΙΟΣ* inter *ΟΥΑΛΕΡΙΟΣ* et *ΕΝΟΣ* intercideret.

1) Cf. Münzerum d. gente Val. p. 9.

APPENDIX II.

De elogio M.' Valerii Maximi.

Supra p. 258 in annalibus Valerii Antiatis Valerio dictatori anni 260/494 non Manio, sed Marco praenomen fuisse docui. Quam sententiam si probaveris, etiam illud concedas necesse erit elogium, quod dicitur, de M.' Valerio Maximo servatum (C. I. L. I² 189) ex Antiatis annalibus non fluxisse, cum ibi Valerius dictator Manius (ꟿ) appelletur. De hoc igitur elogio ab Antiate abiudicando facio cum Mommseno, qui nuper iterum C. I. L. I², 191 hanc sententiam professus est, Hirschfeldii[1]) coniectura (Phil. 34, 85), quae Huelseno probatur (C. I. L. I² p. 190), reiecta. Neque tamen Mommsenus mihi id persuasit 'ex annalibus antiquis et optimis' res illas, quae elogio traduntur, petitas esse. Immo cum alia tum Valeriorum gloria in maius etiam elata quam in reliquis, quae de eisdem rebus ad nos pervenerunt, narrationibus seram mihi prae se ferre videntur originem. Sed quaeritur, cuinam Valerianus ille elogii color debeatur, si non ipsi Antiati. Qua de re cum deliberarem, Cichorius, praeceptor summe mihi venerandus, suspicionem mihi iniecit, num a M. Valerio Messalla Rufo fortasse elogii argumentum petitum esset. Atque haec sententia, quo magis eam examinabam, eo magis mihi arridebat. Etenim hunc Valerium Messallam 'oratoris' Messallae Corvini patruum, quem a. 701/53 consulem fuisse[2]) et per 55 annos augurale sacerdotium habuisse[3]) accepimus, eundem esse Messallam 'senem' (Rufum), qui Plinio teste[4]) libros 'de familiis' condidit, H. Peter

---

1) Virckius quoque idem iam senserat l. l. p. 30.

2) Cf. Cic. ad Qu. fr. 2, 15; ad Att. 4, 15. 7.

3) Macr. Sat. 1. 9. 14.

4) N. h. 35, 8, cf. 34, 137.

in Fleckeis. annal. 125, p. 107 sq. (cf. H. Peter hist. rom. fr. p. 265) omnibus, credo[1]) probavit. In his autem, quos 'de familiis' scripsit, libris, quamquam ea, quae Plinius ex eis excerpsit, tantum ad Cornelios Scipiones, Pomponios, Servilios pertinent, de sua ipsius familia quoque Valerium egisse veri est simillimum, ne dicam certum. Itaque eum, qui a Caesare Augusto iussus elogia composuit, 'quadratarium potius quam antiquarium', ut Mommseni verbis utar, librum adisse, in quo, quippe qui 'de familiis' conscriptus esset, omnia singulorum virorum facta et honores in unum iam congesta erant, haec coniectura magis mihi placet, quam illum e prolixa Antiatis narratione, ubi multis locis dissipata colligenda erant, magna cum opera nomina ac res excussisse.

1) Cf. Schäfer-Nissen 'Quellenkunde' p. 105; Teuffel 'Gesch. d. röm. Lit.' [5], § 199, 2.

INDEX RERUM.

TABULA ARGUMENTI.

CORRIGENDA.

P. 167 v. 3 lege *rei publicae* pro *republicae*.

p. 181 v. 16 pro eis, quae sunt *Münzer docet,* scribendum: *ipse Asconius dicit* (*cf. Münzerum l. l. p. 19 sq.*).

ibid. v. 19 pro *Ascon. in Pis. 13* scribendum: *Ascon. in Pis. ed Kiessl.-Schoell. 12, 7—9* (*= Orell. 13, 11—14*).

ibid. v. 26 dele verbum, quod est *tradunt.*

p. 192 v. 10 lege *Antiatem* pro *Atiatem.*

p. 196 v. 12 lege *imprimis* pro *fortasse.*

ibid. v. 13 lege *fortasse* pro *imprimis.*

Druck von J. B. Hirschfeld in Leipzig.

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

O. RIBBECK H. LIPSIUS C. WACHSMUTH

SIEBZEHNTER BAND.

LEIPZIG
VERLAG VON S. HIRZEL
1896.

LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

O. RIBBECK H. LIPSIUS C. WACHSMUTH

SIEBZEHNTER BAND

Zweites Heft.

LEIPZIG
VERLAG VON S. HIRZEL
1896.

INHALT.

Vitruvius libri X. capitibus XIII—XV (p. 272—79 ed. Rose et Mueller-Struebing) de oppugnatoriis rebus docet. De quibus postquam nonnullos locos Schneiderus in commentario ad Vitruvium conscripto (editionis vol. III. p. 361 sqq.) cum Athenaei περὶ μηχανημάτων libro composuit, Haasius in eis, quae de Philone Byzantio in Erschi et Gruberi encycl. (p. 429 adn. XI) disseruit, totam illam expositionem ex Athenaei libro sumptam esse contendit. Cui sententiae, cum diu omnibus esset probata, nuper Dielesius exstitit adversarius, qui de Stratone physico disputans ('Sitzgsber. d. Berl. Akad.' 1893 IX. p. 11 adn. I) obiter adnotavit Athenaeum propter dicendi genus sibi videri altero p. Chr. n. saeculo fuisse, quae autem inter Vitruvium et Athenaeum essent similitudines, eas ex communi fonte fluxisse. Videtur igitur operae pretium esse iam accuratius examinare, quid de ratione, quae inter Vitruvium et Athenaeum intercedit, iudicandum sit.

Atque hoc quidem vel festinantius utrumque legenti apparebit solum licere quaerere, *utrum Vitruvius Athenaeum secutus sit, an uterque ad eundem fontem redeat.* Nam Athenaeum non ex Vitruvio hausisse adeo est perspicuum, ut satis habeam obiter duo argumenta attingere: *primum* Vitruvii descriptionem ad Graecum aliquem scriptorem redire planum est (interdum etiam Graeca verba servavit; cf. p. 274, 19 κριοδόκη. 275, 23 ἐσχάρα. 276, 3 ἁμαξόποδες. 275, 13 ὄρυγες), Athenaeum autem, Latino auctore usum esse cum per se minus veri est simile, tum quo hoc colligatur, omne deest vestigium. *Deinde* vero accedit, quod Athenaeus multa exhibet, quae apud Vitruvium plane desiderantur (infra ea afferam; cf. p. 293 sqq.).

Iam non minus apertum est Vitruvium singularum machinarum descriptiones non diversis fontibus debere, quamvis hoc simulet: postquam enim de ariete exposuit, de quo quem secutus sit auctorem celat — 'aries', inquit p. 272, 23, 'sic inventus memoratur esse' —, his verbis (p. 273, 19), tamquam alium fontem adhibeat, pergit 'itaque Diades scriptis suis ostendit'; ac paulo infra (p. 275, 18) profitetur 'quae sunt ab Diade de machinis scripta .... exposui, nunc quemadmodum a praeceptoribus accepi et utilia mihi videntur exponam'. Omnia autem eodem ordine servato apud Athenaeum legimus neque fieri potuit, ut uterque eadem pluribus eisdem auctoribus debita eodem ordine referret. Atque etiam magis Vitruvii commentum perspicitur, cum p. 275, 12, quasi ipse Diadis libros inspexerit, narret 'de corace nihil putavit scribendum, de accessu quae *ἐπιβάθρα* graece dicitur et de marinis machinationibus ... tantum pollicitum esse vehementer animadverti neque rationes earum eum explicavisse'; apud Athenaeum autem (poliorcétique des Grecs par C. Wescher. Paris 1867. p. 15, 5 sqq.) simillima legimus haec '*τὸν δὲ κόρακα οὔ φημι εἶναι ἄξιον κατασκευῆς, τὴν δ' ἐπιβάθραν ὃν τρόπον δεῖ γενέσθαι προειπὼν ἐν ἀρχῇ δηλώσειν, οὐδὲν διεσαφήνισεν. οὐδ' ὑπὲρ τῶν κατὰ θάλασσαν δὲ αὐτῷ* (†) *προσαγομένων ἔργων δεδήλωται. ἀλλὰ καὶ ταῦτα παρεῖται, καίτοι σφόδρα ἐπαγγελτικῶς καὶ μεγάλως ποιησαμένου τοὺς λόγους*'. Nequaquam igitur plures Vitruvium fontes adisse licet cogitare et erravisse constat, qui hoc voluerunt, Marinium (ed. v. II p. 34, 1 adn. 2 et p. 345, adn. 4) et Rochasium d' Aiglun, qui in Athenaei Franco-Gallicae versionis praefatione (mélanges Graux p. 781 sqq.) p. 782 'Athénée', inquit, 'se trouverait ainsi le contemporain de Vitruve, qui a puisé aux mêmes sources que lui pour composer son livre X'. 1)

1) Consentire videtur cum illis Droysenus (K. Fr. Hermann 'gr. Antt.' II, 2 p. 206) cum dicit 'speciell über die Construction der Belagerungsmaschinen handeln die Schriften des Athenaeus ...., ein Auszug aus den Schriften Früherer, bes. des Diades und des Agesistratus, und aus derselben Quelle

Sed anquiramus nunc, quod propositum est, utrum Vitruvius sua ex Athenaeo repetiverit an utrique idem fons subsit. Athenaei libri imprimis huc pertinet ea pars, quae in editione Wescheriana exstat p. 9, 4—31, 10. Atque in universum si comparationem alterius auctoris cum altero instituimus, tantam esse videmus non solum rerum, sed etiam verborum congruentiam, ut, quod argumentum ex dictione repetivit Dielesius, de eis quidem, quae exhibet uterque, minus valere videatur: nam etsi inter Vitruvium et Athenaeum communem interponimus fontem, necessarium tamen est sumere tam arte ad illum utrumque se applicavisse, ut ne dictio quidem Athenaei sit peculiaris, sed auctoris alicuius, qui fuit ante Vitruvium. Accedunt vero quaedam (infra accuratius explicanda p. 295 sqq.), quae per se considerata etiam obstare videntur, quo minus negemus Vitruvium ex Athenaeo hausisse. Quibus ipse iam eram adductus, ut ad priorum sententiam reverterer, quamquam et integriore quam qui nunc legitur contextu Vitruvium usum esse censebam neque veri existimabam simile Marcellum, cui liber Athenaei est dedicatus, expugnatorem illum Syracusarum esse, sed recentioris aliquem aetatis. Sed tamen, id quod Wachsmuthius mihi persuasit, nonnullae in maximis Athenaei et Vitruvii congruentiis sparsae discrepantiae unde originem duxissent non intellegeretur, si Vitruvius Athenaeum secutus esset; exhibet enim non solum Athenaeus quaedam quae apud Vitruvium non legimus, sed etiam apud hunc exstant quae desideramus apud Athenaeum. Ac quod ad Athenaei genus dicendi attinet, iam persuasum mihi est Dielesium, cum illud ad sophistarum recentiorum aetatem referendam esse censeret, non tam spectasse ad eam libelli partem, quae a Vitruvio in Latinum sermonem versa est, quam ad alia; nam haudquaquam iure contendas per totum librum aeque apparere infimae aetatis vestigia. Quae maxime occurrunt in eis quae p. 3—9, 3 et p. 31, 11—40, 2 exstant: legas Athenaei praefationem (p. 3—7) et epilogum (p. 39/40): tota dictio — afferuntur prae-

(sc. den Früheren, bes. Diades und Ages.) sind die Kapitel 19—21 im 10. Bch. des Vitruvius entlehnt'.

ceptum Delphicum (p. 1 init.), sententiae Homeri (p. 2, 3. 4), Anaxarchi (4, 2)[1]), Calani (5, 8), Isocratis (6, 6), Callisthenis (7,2) — redolet rationem sophistarum.

Animadvertas porro, quantus numerus noviciorum et malorum verborum in illis quas significavi libelli partibus occurrunt; e quibus haec satis habeo attulisse: *πολυγραφοῦντες* (p. 4, 9; ἅπ. λεγ.); *ἐπιστόλιον* (p. 6, 7; primum repperi apud Plutarchum, qui saepe adhibet); *μηχανουργίαν* (p. 31, 13; praeter Athenaei locum non reperitur nisi apud Tzetz. hist. XI 595, Is. Porphyr. in Allatii excerptis var. p. 278. 80. 86); *ἀναπολάζει* (p. 32, 7; ἅπ. λεγ.); *αὐτεπιβουλεύτου* (p. 32, 9; ἅπ. λεγ.); *ἐμπαράσκευον* (p. 33, 1; primum inveni apud Basil. homil. 6 [vol. I p. 50 B=68 C], deinde ap. Theophyl. epist.); *κλιμακόδεσις* (p. 36, 6; ἅπ. λεγ.); *κορυφώματος* (p. 36, 7; ἅπ. λεγ.); *ὑποστροφάδος* (p. 37, 1; ἅπ. λεγ.); *ἐργοποιίας* (p. 38, 2; ἅπ. λεγ.); *περιστρόγγυλος* (p. 38, 11; ἅπ. λεγ.); *ἐσχηματογραφημένα* (p. 39, 8; primum reperitur ap. Nicom. introd. arithm. II 8 init.); *ἀποστενοχωρούντων* (p. 40, 1; ἅπ. λεγ.). Quibus fortasse addi potest forma 'ὑποταγησομένων' p. 39, 6, quamquam apud Plutarchum vitt. 526 A in Phrynichi versu (Kock, F. C. Gr. I. p. 385 fr. 59) formam 'ὑποταγείς' libris traditam legimus; Kockius enim hanc lectionem in suspicionem vocavit. Item cum in fragmento Euripideo exstare videretur 'ταγείς', in altera Euripidis editione (fr. 979) Nauckius verba 'ἐπὶ τούτῳ ταγείς' Plutarcho tribuenda esse censuit (cf. etiam mél. gréco-rom. IV p. 80). Praeterea reperitur 'ἐτάγην' ap. Stobaeum 79, 50 et 'ἐπετάγην' Apollod. bibl. I 9, 23 (I 127 p. 43 ed. W.).

His igitur expositis cum Athenaeum posteriore quam Vitruvium aetate fuisse satis cognosci videatur, ita ut communem fontem utrique subesse statuere cogamur, ad eandem sententiam nos duci etiam alia ratione ostendam.

Quamquam enim in universum quidem fere ad verbum consentiunt Athenaeus et Vitruvius, interdum tamen alter altero locupletiorem exhibet descriptionem aut quodam modo diver-

1) cf. Bernays, *ges. Abhh.* I p. 129 (mus. rhen. XXIII 375. 76).

sam. Itaque si Athenaeo Vitruvius usus esset auctore, concludendum esset hunc, quibus illo est uberior, ea de suo addidisse; quod de quibusdam quidem plane absurdum est cogitare. Quibus autem Athenaeus plenior est Vitruvio, ea per se ad communem fontem probandum nihil iuvant, quoniam Vitruvius ea omittere potuit, etiamsi ex Athenaeo hausisset. Similiter iudicandum est de eis locis, ubi vehementius alter ab altero discrepat: nam quo iure dixerit quispiam alterum a communi fonte recessisse, eodem dicere licet Vitruvium recessisse ab Athenaeo. Attamen si aliis causis satis constabit communem Athenaeo et Vitruvio adhibitum esse fontem, operae fortasse pretium erit, quantum fieri poterit, communem illum fontem restituere. Quod ut fiat opus erit etiam in ea, quibus Athenaeus copiosor est quam Vitruvius, et in ceteras amborum discrepantias inquirere.

Sed primum quidem afferam, quae, cum apud Athenaeum desiderentur, Vitruvius praebet neque meo quidem iudicio addidisse potest de suo:

Vitr.		Athen.
p. 275, 4	longitudine cubitorum L, altitudine cubiti	p. 14,6
6	dextra ac sinistra	8
21	e qua etiam accessus ad murum potest haberi [1])	16, 3
276, 13	praeter cardines	17, 7
14	crassitudine quoquo versus palmipedales	17, 8/9
18	quadratum quo caprioli coniungantur	12
277, 6	et superne subgrundas proclinatas supra	18, 11. 12
26	triplici materia	21, 8/22, 1
278, 23	duo [2])	23, 10

1) Quod ad rem attinet cf. Athen. p. 18, 13 'καὶ ἔστιν αὐτὴ ..... οἱ γὰρ στρατιῶται ἐμβαίνοντες εἰς αὐτὴν προσάγουσι πρὸς τὸ τεῖχος'.

2) Nisi forte apud Athenaeum huius verbi omissio librario tribuenda est; fortasse enim non arbitrio pictoris debetur, quod apud Anonymum Byzant. (ex Athenaeo haurientem) p. 231 (Wesch.) in figura sunt duo speculatores; fieri certe potest ut pro 'τοὺς' apud An. Byz. legendum sit 'δύο' vel ut figura illa debeatur ipsi An. Byz., hic autem in Athenaei libro

Elegi has tamquam certissimas communis Vitruvii et Athenaei fontis reliquias; neque iam temerarium videbitur, ea quoque Vitruvii, quae singula per se considerata possint videri cuipiam ab ipso fusius explicata, ad eius fontem referre:

		Athen.
p. 272, 23	Carthaginienses ad Gades oppugnandas castra posuerunt	p. 9, 5
273, 1	capiteque eius summum (murum) continenter (pulsantes) summos lapidum ordines deiciebant et ita gradatim ex ordine	9, 8
273, 5	ac ratione	9, 9
273, 20	(turres ambulatorias) quas etiam dissolutas in exercitu circumferre solebat	10, 11
21	qua ad murum plano pede transitus esse possit	10, 12
22	demolitorem quem nonnulli gruem appellant	ibid.
274, 8/9	ut ab omni plaga essent tutae	12, 10. 11
16	ad exstinguendum si qua vis ignis immitteretur	
275, 7. 8	capite ferrato	14, 9
278, 3	supra transtrorum planitiem quae fuerat	22, 2
16	cardinato et lamnis ferreis religat	23, 3
18	alternis cheloniis et anconibus firmiter inclusa	23, 5
279, 6	ita religati quemadmodum a puppi ad proram continenter.[1]	24, 5

Sed ut etiam obstinatum si quis se praebeat adversarium refutem, denique gravissimum, quod duco, argumentum proferam:

---

incorrupto legerit *δύο*, quod quamquam non in contextum transtulerit, attamen secutus sit in pingenda figura; cf. adn. sequentem.

1) Verbis p. 278, 22 'turriculae similitudine ornatum' apud Athenaeum (p. 23, 9) non est quod respondeat; attamen pro certo existimo hic librarium peccavisse; nam servavit quae apud Athen. legerat Anon. Byz. p. 231, 5 '*οἱονεὶ περίφραγμα*'; cf. etiam adn. antecedentem.

Maximae similitudines inter Vitruvium et Athenaeum intercedunt in eis, quae apud illum legimus p. 272, 18—279, 22, apud hunc p. 9, 4—26, 25. Postea Vitruvius iam satis de oppugnatoriis machinis se disputasse dicit, de repugnatoriis autem propterea non esse praecipiendum, quia 'hostium machinationes ex tempore sollerti consiliorum celeritate sine machinis saepius evertantur' (cf. etiam p. 284, 18 'ita ea victoria civitates non machinis sed contra machinarum rationem architectorum sollertia sunt liberatae'). Quod ut demonstret, primum quomodo Rhodii helepolim Demetrii prohibuerint, enarrat (p. 280, 17—283, 1): Fuisse Rhodi publicum architectum, Diognetum nomine, quem cives munere dimisissent, cum alius quidam architectus, nomine Callias, parvo exemplo monstrasset se carchesio helepolim trans murum in oppidum transferre posse. Paulo autem post, cum Demetrius ingentem illam machinam in murum produxisset, Calliam omnis consilii se praebuisse expertem: n a m s a e p e, q u a e p a r v i s r a t i o n i b u s c o n s t r u c t a m a g n a v i d e a n t u r e s s e u t i l i t a t e, m a g n i s r a t i o n i b u s a e d i f i c a t a i a m n i h i l e f f i c e r e. Denique multis precibus obsecratum Diognetum sua sollertia auxilium tulisse.

Cuius historiolae cum apud Athenaeum nulla fiat mentio, duo videntur digna quae considerentur: primum p. 27, 1—6 descripta est eadem helepolis Demetrii, de qua Vitruvius exponit. Ac quamvis etiam apud alios rerum scriptores de ea audiamus, tamen quis eam aedificaverit, praeter Athenaeum et Vitruvium nemo memoriae prodit. Atque etiam de mensuris machinae ambo ferme conveniunt.[1])

1) cf. Vitr. p. 269, 12 'quibus rebus Graecorum pensiones ad modulos habeant rationem (sc. praeceptores), ad eam ut etiam nostris ponderibus respondeant tradam explicata'.

p. 279, 21 ex verbis 'habentem pondus talentum quattuor milium quod fit CCCCLXXX pondo' sequitur CCCLX pondo (p. 281, 8) fieri tria talenta (Athen. p. 27, 6). Quod ad longitudinum mensuras attinet, Vitruvius videtur Athenaei cubitum aestimasse fere sesquipede, pedem vero quattuor palmis; nam componas

Athenaei p. 21	Vitruvii p. 277	
v. 5] *πηχ. 24* =	*ped. XXXVI*	[v. 23

Nulla igitur reliqua est dubitatio, quin quod in antecedentibus ambos coniungit vinculum, eodem eos hic quoque contineri. Iam cuiusmodi illud sit, inde licet cognoscere, quod bis Vitruvius Athenaeo, semel Athenaeus Vitruvio pleniorem praebet descriptionem: nam quae apud Vitruvium p. 281, 6 'eam ciliciis et coriis crudis confirmavit' et v. 8 'ipsa autem machina fuerat milia pondo CCCLX' exstant, apud Athenaeum desunt — neque ullo modo potest cogitari pondus illius machinae Vitruvium de suo addidisse, de alio fonte autem sumpsisse veri non simile est —, verba autem Athenaei 'γίνεται δὲ τῷ σχήματι πυργοειδής (p. 27, 5)' desiderantur apud Vitruvium. Sed ut Athenaeum et Vitruvium ex communi fonte hausisse arbitremur, alterum etiam gravius accedit argumentum: praeceptum enim illud, quod in narratiuncula illa Vitruvii arte cum ceteris conexum invenimus, scilicet quorum parva exempla speciem magni effectus ostentent, ea saepe revera nullius esse pretii, Athenaeus quoque habet, sed ille quidem praeter omnem fere conexum. Nam postquam narravit (p. 27, 7 sqq.) eos, qui Chium obsiderent, calamitatem passos esse, quod ἄπειροι τῶν ὀπτικῶν altiores fecissent sambucas, Callistrato ait παραπλήσιόν τι accidisse, cum ad fanum Ephesium lapides deportare vellet; neque enim eum respexisse, nonnulla parva bonam spem movere, magna usui non esse. Iam utriusque auctoris verba proponamus:

---

v. 2] *πηχ.* *42* = *ped.* *LX* (recte Marinius coniecit *LXIII*) [v. 20
v. 2] — *28* = — *XIII* (recte idem *LXII*) [v. 21
v. 6] *παλαιστ.* *5* = *palmipes I* [v. 23

Athenaei p. 27 Vitruvii p. 281
v. 3] *πηχ.* *90* = *ped.* *CXXV* (conicio *CXXXV*) [v. 6
v. 5] — $\overline{\text{H}}$ (recte Wesch. con. *M*) = — *LX*

Sic etiam aliis locis leni mutatione eadem ratio restitui potest

Athenaei p. 16 Vitruvii p. 275
v. 5] *πηχ.* *14* = *ped.* *XXV* (conicio *XXI*) [v. 24

Athenaei p. 17 Vitruvii p. 276.
v. 6] *πηχ.* *8* = *ped.* *VII* (conicio *XII*) [v. 11
v.] 23 — *30* = — *XXXV* (conicio *XXXXV*) [p. 278, 14

ἔνια ἐπὶ τῶν μικρῶν παραδειγμάτων τὴν φαντασίαν ποιοῦσιν. οὐ γὰρ γίνονται εἰς αὔξησιν τὰ τοιαῦτα· πάλιν δὲ ἐπ' ἐνίων μικρὰ παραδείγματα οὐ δύναται γενέσθαι, ἀλλὰ τὰ ἐνεργοῦντα εὐθὺς κατασκευάζονται.

nonnulla vero sunt quae in exemplaribus videntur veri similia, cum autem crescere coeperunt, dilabuntur. alia autem exemplaria non possunt habere, sed per se constituuntur.

Proxime sane ea inter se attingunt, sed putasne Vitruvium sua Athenaeo debere? minime licet! Nam apud illum iam vidimus tam bene procedere expositionem, ut vix possis quidquam tollere, quin cetera reddas inania; apud Athenaeum autem quo referas illud 'παραπλήσιόν τι', vix habes: nam Callistrati vitium plane erat aliud atque eorum qui Chium oppugnabant. Contra quam apta sint illa verba, ad Calliam relata, non necesse est indicem. Atque ego quidem in communi fonte non solum exstitisse et Calliae et Callistrati exempla, sed etiam quomodo significavi, ita fere ea coniuncta fuisse veri esse simillimum arbitror. Ac forsitan addita fuerint etiam quae apud Vitruvium p. 281, 15—20 de terebra leguntur, quamquam si quis ea ipsum de suo Vitruvium adiecisse dicat, certo argumento refutari nequit.

Iamque efficitur eis, quae modo cognovimus, de alia re si non certa sententia tamen admodum probabilis coniectura: Sequitur enim et apud Athenaeum post Epimachi machinae descriptionem et apud Vitruvium post illam narratiunculam, quacum eadem descriptio contexta est, damni quod a Chiis hostium sambucis illatum sit, memoria. Quod vix casu factum esse iudico, quamquam utriusque auctoris narratio aliud quid spectat. Ac perfacile est alteram narrationem cum altera coniungere: cogites in communi fonte ad Vitruvii verba (p. 283, 3—9) applicata fuisse quae apud Athenaeum p. 27, 11—28, 5 legimus: optimum habebis conexum; ac de incendio quidem uterque tradit, Vitruvius nimirum verbis (v. 8) 'ibi malleolis confixae incendio sunt conflagratae', Athenaeus (p. 28, 2) 'ἐποίησαν τοὺς ἀναβάντας ἐπ' αὐτὰς ὑπὸ τοῦ πυρὸς ἀπολέσθαι'.

Sed haec quidem hactenus: constat Vitruvium non Athenaeo usum esse auctore, sed redire utrumque ad fontem quendam communem. Iam videamus, quid de discrepantiis inter Athenaeum et Vitruvium quibusdam censendum sit. Ac primum quidem consideres velim haec:

Vitr. p. 273, 8: Geras autem Carchedonius de materia primum basim subiectis rotis fecit	Athen. p. 9, 15 sqq.: *Γήρας δὲ μετ' αὐτὸν ὁ Καρχηδόνιος ὑπότροχον ποιήσας σχεδίαν*
supraque compegit arrectariis et iugis varas et in his suspendit arietem	*ἐπέθηκε πλάγιον τὸν κριὸν καὶ οὐκ ἐξ ἀντισπάστων εἷλκεν ἀλλ' ὑπὸ πλήθους ἀνδρῶν προωθούμενον*
coriisque bubulis texit	*ἐποίησέ τι ὑπότροχον* (?) *σκέπασμα.*
uti tutiores essent qui in ea machinatione ad pulsandum murum essent collocati.	

Athenaei ex verbis '*ἐπέθηκε . . . . προωθούμενον*' vix aliam machinae imaginem animo informare licet quam ut putemus in *ὑποτρόχῳ* illa *σχεδίᾳ* positos fuisse cylindros, quibus ipse impositus aries propelleretur; nam quo alio modo aries, postquam in illa *ὑποτρόχῳ σχεδίᾳ* situs prope ad murum advectus est, potuit in murum propelli nisi cylindris suppositis? Verbis enim '*ἐπέθηκε πλάγιον τὸν κριὸν* (sc. *ἐπὶ τῆς σχεδίας*)' idem dici atque Vitruvii verbis 'suspendit arietem' nemo sibi finget, qui non adhibuerit Vitruvium. Sed Gerae aries si fuisset talis fere, qualem solis Athenaei verbis respectis fuisse eum videri explicavimus, iam plane essent inepta, quae paulo post succedunt, verba '*μετὰ ταῦτα δὲ ἐποίησάν τινες· ἐπὶ κυλίνδρων προωθούμενον τὸν κριόν*'. Itaque hoc saltem concedendum erit Athenaei de Gerae ariete explicationem valde esse turbatam neque licebit dubitare, eiusne an Vitruvii descriptio propius ad genuinam accedat. Ac fontis, quem Vitruvius secutus est, vestigia etiam apud Athenaeum cognoscun-

tur: praecipue animadvertas illud Athenaei 'σκέπασμα', de quo apud Vitruvium accuratius expositum est. Corruptela tamen, qua laborat verbum 'ὑπότροχον', utrum Athenaeo potius an librario tribuenda sit, decernere non audeo. Ceterum etiam excidisse apparet aut ante aut post 'ἐποίησε' aliud verbum vel fortasse plura.

Difficilior est ad diiudicandum hic locus: De testudinibus 'quae ad congestionem fossarum parantur' uterque disputans basi descripta sic pergit:

Vitr. 276, 1—9	Athen. p. 16, 8—14
distent autem transversaria inter se circiter pede et S (pedes tres?) supponanturque in singulis intervallis eorum arbusculae quae graece ἁμαξόποδες dicuntur, in quibus versantur rotarum axes conclusi lamnis ferreis.	διάπηγμα ἕκαστον ἀπεχέτω δύο πήχεις καὶ παλαιστὴν ἕνα. λαμβάνει δὲ ἁμαξίποδας ἑκάστη χώρα τεσσάρων τῶν ἐν ταῖς γωνίαις, ἐν οἷς στρέφονται οἱ τῶν τροχῶν ἄξονες ἀποκλειόμενοι σπάθαις σιδηραῖς,
eaeque arbusculae ita sint temperatae ut habeant cardines et foramina quo vectes traiecti versationes earum expediant, uti ante et post et ad dextrum seu sinistrum latus sive oblique ad angulos opus fuerit, ad id per arbusculas versatas progredi possit.	ἵνα, ὅταν δέῃ παροδοποιεῖν προάγοντας (τουτέστιν εἰς τοὔμπροσθεν πλατὺν τόπον ποιεῖν ἢ καὶ ὁμαλὸν πρὸς τὸ πολεμῆσαι) ἢ καὶ παρατιθέναι τινὰ μηχανήματα, ἐξῇ ἐκσπάσαντα τοὺς τροχοὺς μετὰ τὸ ἀποκλεῖσαι τοὺς ἄξονας.

Cum initio ambo inter se concinant, quae inde a verbis 'eaeque arbusculae' apud Vitruvium sequuntur, tantopere ab Athenaeo discedunt, ut num omnino inter utrumque intercedat necessitudo liceat dubitare. Ac Rochasius quidem l. l. eam esse negavit censuitque Vitruvium suo Marte a fonte discessisse et machinationem, quae eius aetate usitata fuisset, descripsisse; cf. ipsius verba p. 789 adn. I: 'La déscription de Vitruve qui se rapporte à ce passage n'est point claire et ne concorde

ni avec le texte d' Athénée ni avec les figures du manuscrit de Mynas; je suis disposé à croire que Vitruve a eu en vue une autre disposition, en usage de son temps'. Attamen si acriter Vitruvii et Athenaei verba contemplatus eris, fore spero ut prorsus a Rochasii iudicio recedas.

Videamus primum utrumque separatim: Vitruvii descriptionem quod Rochasius non claram esse iudicavit, singula quaedam viro docto concedimus esse ambigua, in universum autem nulla est dubitatio: machina ita erat instituta, ut non solum in rectum promoveri, sed quoquoversus dirigi posset. Quod, nisi totam machinam grandi illam quidem pondere tollere et circumferre voluerunt, non aliter potuit effici quam conversis eius rotis. Iamque singula non ita videntur obscura: rotarum axes inclusi erant in arbusculis, quibus versatis — videlicet cardines (p. 276, 5) eorum in ipsius machinae basim erant immissae — ipsi axes rotaeque in aliam partem constituebantur. Apparet igitur singularum rotarum axes in singulis arbusculis inclusos fuisse: finge tibi animo truncum, cuius ex superiore parte plana emineat cardo immissus simul in machinae basim. Ex inferiore autem parte tanta est incisio, ut intra eam tamquam inter furcae duas partes moveri possit rota axe per eas traiecto. [1]) Ac tales *ἁμαξόποδες* etiam in aliis vehiculis fuisse videntur; cf. Polluc. I 253 *ἁμάξης μέρη . . . ὑπερτερία ἧς τὰ ἑκατέρωθεν πλευρὰ θαιροὶ καλοῦνται, δεξιὸς καὶ ἀριστερός. ὑποπέπηγε δ' αὐτοῖς ξύλα ἃ θαιραῖα ὀνομάζεται. οἷς ἐφαρμόζονται οἱ ἁμαξήποδες ὑφ' ὧν ὁ ἄξων ἕλκεται στρεφόμενος*; et Hesych. *ἁμαξίποδες τῆς ὑπερτερίας τὰ εἴδη τὰ τοῖς ἄξοσι προστιθέμενα στρεφομένοις περὶ αὐτά.* Sed hoc sane in eis, quos Vitruvius describit, diversum fuit a vulgaribus, quod vectibus (supra incisionem illam per lignum) traiectis eorum versationes expediebantur. Neque tamen hoc miramur; nam ut iam supra commemoravimus,

1) Marinius (ed. vol. II p. 354 adn. 5) Athenaeo qui docet p. 17 rotarum crassitudinem fuisse pedalem neglecto iniuria secundum Hegetoris machinam tribus pedibus illam aestimat: itaque fieri non potuisse ut satis crassae arbores invenirentur.

erat talis machina satis grandi pondere, rotas autem eius Athenaeus docet (p. 16/17) crassitudine pedales fuisse. Fieri igitur non potuit, ut, cum qui machinam protrudebant — nam non trahebatur machina ut alia vehicula — in aliam partem contentionem virium dirigebant, rotae tamquam per se novam directionem sequerentur. Contra necessarium erat anticas saltem rotas ad novam regionem constituere; atque etiam facilior fuit machinae versio posticis quoque rotis paulum versatis. Neque credam Vitruvii demum aetate in machinis *ἁμαξόποδας* vectibus versatiles in usu fuisse; quid quod Diod. Sic. XX 91, 3 de Demetrii illa helepoli tradit '*πρὸς δὲ τὴν ἐκ πλαγίας μετάθεσιν ἦσαν ἀ ν τ ί σ τ ρ ε π τ α πεπραγματευμένα, δι' ὧν ἡ πᾶσα μηχανὴ ῥαδίως παντοίαν ὑπελάμβανε κίνησιν*'? nonne veri simillimum est *τοῖς ἀντιστρέπτοις* vectes dici quibus *ἀντεστρέφοντο οἱ ἁμαξόποδες*?

Unum restat ut de Vitruvii descriptione addam: offendit Rochasium quod ea ne cum figuris quidem Athenaei congruat — praeclarissimis sane illis! Quas deberi librario alicui imperito, non ipsi descriptionum auctori infra (p. 297) exponendum erit; sed de una quidem (p. 19 W.) eius qui eam pinxit errorem iam hic aperiam: qui cum (p. 16, 9) legisset '*λαμβάνει δὲ ἁμαξίποδας ἑκάστη χώρα $\overline{\Delta}$ τῶν ἐν ταῖς γωνίαις*' ratus numerum $\overline{\Delta}$ cum verbo *ἁμαξίποδας* coniungendum esse quaternos in extremis baseos intervallis depinxit *ἁμαξίποδας* — et eos quam inepta manu comparatos!

Sed nunc nos conferamus ad Athenaei verba, quae sana sententia omnino carent. Primum enim desideramus ad '*ἵνα ἐξῇ*' verbi alicuius infinitivum; nam verbum *παροδοποιεῖν* ne simul audiamus, sententiarum conexa series impedit, cum pateat machinam non ornatam esse *ἁμαξίποσιν* eo consilio, ut liceret, si opus esset, viam munire. Neque magis puto premendum esse participium '*προάγοντας*' ita ut sententia evadat 'ut, si opus sit viam munire vel (*παρατιθέναι τινὰ μηχανήματα*) apportare aliquas machinas (sc. ad murum), c u m t e s t u d o p r o m o v e t u r, ea promoveri possit'; nam cum satis artificiosa videtur haec interpretatio tum ne sic quidem bene procedit

oratio: multo simplicius illud dicere licuit sic fere '*λαμβάνει δὲ ἁμαξίποδας ἐν οἷς στρέφονται τροχοί, ἵνα δύνηται προάγεσθαι τὸ κατασκεύασμα*'. Ac verba '*τουτέστιν εἰς τοὔμπροσθεν πλατὺν τόπον ποιεῖν ἢ καὶ ὁμαλὸν πρὸς τὸ πολεμῆσαι*' valde prae se ferunt speciem interpretamenti; praeterea quid sit differentiae in hoc quidem conexu inter '*πλατὺν τόπον*' et '*ὁμαλὸν τόπον*' me fugit; neque iam dubitem quin etiam verba '*ἢ καὶ παρατιθέναι τινὰ μηχανήματα*' eiusdem interpretamenti sint et arte cohaereant cum verbis '*(τόπον) ὁμαλὸν πρὸς τὸ πολεμῆσαι*' ita quidem ut '*πρὸς τὸ*' pertineat etiam ad verbum '*παρατιθέναι*'. At quo spectat illud interpretamentum? Nihil clarius! Interpres voluit explicare verba (p. 16, 1) '*πρὸς τὰς γινομένας εἰς τὴν προσαγωγὴν τῶν μηχανημάτων* (cf. *⟨πρὸς τὸ⟩ παρατιθέναι τινὰ μηχανήματα) παρόδους* [1]), librarius autem glossema — ac pravo quidem loco — in contextum recepit. Iam expuncto illo interpretamento evadunt vestigia quaedam necessitudinis inter Vitruvii et Athenaei verba intercedentis; cf. velim haec: *ἵνα ὅταν δέῃ [παροδοποιεῖν] προάγοντας ἐξῇ*' 'uti sive opus fuerit progredi possit'.

Sed restant verba '*ἐκσπάσαντα τοὺς τροχοὺς μετὰ τὸ ἀποκλεῖσαι τοὺς ἄξονας*'. Apparet ne haec quidem corruptelis vacare; supra expositum erat rotarum axes (immissos in *ἁμαξίποδας*) lamnis ferreis conclusos fuisse. Qui igitur potuit fieri, ut 'postquam axes conclusi essent, aliquis rotas extraheret'? Iam minus videbitur temerarium conari consensum efficere cum Vitruvio: proponam igitur ut pro '*μετὰ τὸ ἀποκλεῖσαι τοὺς ἄξονας*' secundum Vitruvii verba 'per versatas arbusculas' legamus '*διὰ τὸ ἀποκλῖναι τοὺς ἁμαξόποδας*'.

Quod recte si coniecerim '*ἐκσπάσαντα*' verbum corruptum esse patet; nam *διὰ τὸ ἀποκλῖναι τοὺς ἁμαξόποδας* efficiebant ut *τοὺς τροχοὺς* verterent; huius igitur notionis verbum desideramus. Quod ut ipse e verbo '*ἐκσπάσαντα*' eruerem, cum mihi non contigisset, effecit leni mutatione Wachsmuthius, qui illud in '*ἐκβιβάσαντας*' emendavit, quae coniectura etiam lec-

1) Sic recte puto explevisse Wescherum lacunam; nisi forte potius delendum erat '*καὶ τὰς*' ut '*γινομένας*' pertineret ad '*παρεκτάσεις*'.

tione codicis Vindobonensis 'ἐκβάσαντα' fulcitur. Verbum παροδοποιεῖν utrum corruptela inquinatum an ipsum quoque illius interpretamenti sit, decernere non ausim. De toto autem desperato fere hoc loco ut breviter comprehendam quid iudicem, vestigia statuo adesse eiusdem fontis, quem Vitruvius secutus est: illo, ut ex Vitruvio cognoscitur, tradita erat etiam descriptio ἁμαξοπόδων, sequebantur autem haec fere verba 'ἵνα ὅταν δέῃ ἀποστρέφειν (sive simile quid) προάγοντας ἐξῇ ἐκβιβάσαντας τοὺς τροχοὺς διὰ τὸ ἀποκλῖναι τοὺς ἁμαξόποδας'.

Satis igitur de hoc loco dixi; nunc consideremus alium locum etiam magis dubium. Uterque auctor postquam testudines complendis fossis destinatas descripsit, pauca addit de eis, quae ad fodiendum adhibeantur; incipit uterque ab eisdem verbis, discedit paulo post alter ab altero etiam de ipsa re, denique redeunt ad verborum similitudinem. Iam conferas ipsos:

Athen. p. 19, 4 sqq.	Vitr. p. 277, 12
τὸ δὲ τῆς ὀρυκτρίδος χελώνης γένος τὰ μὲν ἄλλα παραπλησίως ταῖς πρότερον ᾠκοδόμηται, τὴν δὲ ἔμπροσθεν ὀρθὴν ἔχει προσαγωγήν, ὅπως προσελθοῦσα πρὸς τὸ τεῖχος ἀπαρτίσῃ αὐτῷ καὶ μὴ παρεισπίπτῃ ἀπὸ τοῦ τείχους τὰ ἀφιέμενα βέλη, ἀλλ' ἀσφαλῶς οἱ ὑπορύττοντες ἐν αὐτῇ ὄντες ἐργάζωνται.	quae autem testudines ad fodiendum comparantur ὄρυγες graece dicuntur, cetera omnia habent uti supra scriptum est, frontes vero earum fiunt quemadmodum anguli trigoniorum, uti a muro tela cum in eas mittantur non planis frontibus excipiant plagas sed ab lateribus labentes, sine periculoque fodientes qui intus sunt tueantur.

Nisi forte statuimus in communi fonte de duabus testudinibus expositum fuisse, quarum alteram Vitruvius alteram Athenaeus describat, cum uno quidem loco apud Athenaeum magnam perturbationem modo cognoverimus, huius confusioni differentiam tribuerim. Quam sententiam etiam id confirmat, quod Philo de testudinibus craticeis docet (ed. Thévenot p. 99) 'ποιοῦνται δὲ αἱ γερροχελῶναι ἐκ τῶν πλεχθέντων γέρρων

ἄνωθεν εἰς ὀξεῖαν γωνίαν συγκλεισθέντων πρὸς ἄλληλα, ὡσαύτως δὲ καὶ ἐκ τοῦ πρόσθεν'; quamquam craticeae illae testudines num ad fodiendum adhibitae sint, Philo tacet.

Attamen est aliquid, quod quodam modo contra Vitruvii descriptionem pugnet. Nam quoniam comperimus testudines ad fodiendum destinatas ab eis, quae ad congestionem fossarum parabantur, uno diversas fuisse, hanc differentiam diverso usu opinamur procreatam esse. Sed ad fossas explendas nonne apparet saepe tam prope ad murum consistere debuisse machinam, ut facile inde tela in eam immitti potuerint? Eam igitur oportuit a fronte defendi quam maxime.[1]) Contra cum ipse oppidi murus suffodiendus erat, et licuit et opus erat proxime ad murum testudinem adiungi, ita ut a fronte laedi omnino non posset. Atque ut ad murum applicaretur machina, frons eius non debuit 'uti angulus trigoni' esse, sed recta (τὴν δὲ ἔμπροσθεν ὀρθὴν ἔχει προσαγωγὴν ὅπως ... ἀπαρτίσῃ αὐτῷ ⟨sc. τῷ τείχει⟩ Athen.). At de testudinibus ad fossas obruendas factis nusquam interdictum est, ne ipsae quoque a fronte essent rectae. Quod sane debuit, si eo maxime diversae erant a fossiciis. Nego igitur de illa inter Vitruvium et Athenaeum discrepantia certum iudicium fieri posse.

Atque etiam minus decernere mihi videor posse de hoc loco:

Diadis alteram turrim uterque tradit fuisse tabulatorum decem, sed

Vitr. 274, 3	Athen. p. 11, 8
singulis partibus in ea fenestratis.	οὔσης ἑκάστης χώρας περιπτέρου.

Athenaeus igitur praecipit, ut singula tabulata promineant; cf. Hesych.: περίπτερον· ὑψηλόν, πανταχόθεν ἐξέχον· ἢ στέγην ἔχουσαν ἐξοχήν; Anonymus autem Byz. (p. 246, 19) docet, quo consilio illae proiecturae factae sint: 'ἐπικρεμάσθωσαν δὲ καὶ

1) Revera tecto a fronte ornatam licet videre testudinem ad fossas obruendas comparatam apud Iaehnsium 'Atlas zur Geschichte des Kriegswesens' tab. 47.

δέρματα τῷ πύργῳ ἐπὶ τοῖς ῥηθεῖσιν (p. 241, 10) *ἐπὶ τῇ κατασκευῇ παραπτέροις*'. Contra Vitruvius quid iubeat, Diodori verbis illustratur his (XX 91, 5) '*θυρίδας δ' εἶχον αἱ στέγαι κατὰ πρόσωπον τοῖς μεγέθεσι .... πρὸς τὰς ἰδιότητας τῶν μελλόντων ἀφίεσθαι βελῶν ἁρμοζούσας*'. Iam utrumque fonte Vitruvii et Athenaei fueritne exhibitum an alteruter consulto recesserit a fonte, quo quaestionem solvam non habeo. Fortasse non absurdum erit arbitrari Vitruvium verbum *περίπτερον* falso intellexisse.

Sed iam videamus, quae ex eis, quibus plenior Vitruvio est Athenaeus, eius fonti tribuenda sint. Ac de plerisque vix potest dubitari, quamquam singula fieri potuit ut ipse Athenaeus adderet. Referam igitur ad fontem Athenaei haec:

		Vitr.
p. 9, 13	*ἀπόρως δὲ τῶν ἔνδον διακειμένων διὰ τὸ ξεῖνον τοῦ μηχανήματος συνέβαινεν αὐτὰ πίπτειν ταχέως.*	p. 273, 8
10, 4. 5	*μετὰ ταῦτα δὲ ἐποίησάν τινες ἐπὶ κυλίνδρων προωθούμενον τὸν κριὸν καὶ οὕτως ἐχρῶντο.*	273, 13
12, 6—10	*ἡ δὲ πρώτη στέγη ἐχέτω τὸ ὕψος πήχεις* $\overline{ZC}$ et quae sequuntur usque ad *ἐλάμβανεν.*	274, 9
13, 1	*μικρῆς τε καὶ μεγάλης*[1]	10
2	*τοῦ πλάτους — τὸ δὲ μῆκος πήχεις* $\overline{M}$	ibid.
14, 7	*ὁμοίως ἐκείνοις ἔχουσαν. ἐκ δὲ τοῦ ἄλλου μέρους αὐτῆς*	275, 5. 6
14, 11	*καὶ οὕτως βάλλει τὴν κεραίαν ἐν ᾗ κριοκοπεῖ, ἐφελκόμενος αὐτὴν ἐκ τοῦ κάτω ὀνίσκου κειμένου*	9
15, 13	*Φίλων ὁ Ἀθηναῖος*[2]	21
16, 1	*πρός τε τὰς γινομένας εἰς τὴν προσ-*	

1) His verbis praetermissis inepta evasit apud Vitruvium sententia; nam quo referatur eius 'eadem ratione' iam non adest.

2) cf. infra p. 301 adn. 1.

	αγωγὴν τῶν μηχανημάτων παρόδους καὶ τὰς παρεκτάσεις τῶν σταδίων (πεδίων coniecit Wachsmuthius, quod quodammodo fulciri puto dictione ʻπεδίων ὑποτάσεις' in Eur. Bacch. 749)	
16, 9	τεσσάρων τῶν ἐν ταῖς γωνίαις	276, 2
17, 5	ἐκ δὲ τοῦ ὀπίσω πήχεις Δ̄	11
8	ἐπὶ τὸ πλίνθιον αὐτοῦ	12/13
15	κεδρίνων	21/22
18, 4	ὁμοίως ταῖς τύλαις	277, 1
10	ἐπάνω τῶν κιόνων καὶ τῶν ἐπιστυλίων	6
ibid.	καὶ γέρρων	ibid.
18, 13—16	καὶ ἔστιν αὐτὴ χρησίμη ου μόνον εἰς χῶσιν, ἀλλὰ καὶ .... usque ad ἐφεδρεύειν.	
21, 7	τὸ σύνπαν ἔργον	24/25
24, 6—8	ὁ δὲ δεσμὸς ὁ ἐν μέσῳ τὸν κριὸν ἔχων ἐπὶ παλαιστὰς Ε̄ λαμβάνει τὸν ἑλιγμὸν ἐν τῷ κριῷ	279, 8
25, 5	ἔχον τὰς ὀπὰς παλαισταίας	13

Praeter hos locos etiam nonnulli alii apud Athenaeum occurrunt, quibus non est, quod apud Vitruvium respondeat; sed hi cum aut per se mihi visi sint minime perspicui aut propter reliquam explicationem, satis habeo eos afferre, non ausus de eis iudicare:

p. 13, 6. 7	παρακαταβαίνων τὴν ἐπιστέγην ἕως τῶν ἐπ' αὐτῷ δοκῶν ὅπως ἡ περίδρομος ἔγκυκλος	274, 14
9/10	ἐγίνοντο δὲ αὐτῇ τῇ χελώνῃ ὀρθοστάται κύκλῳ περίδρομον ἐχούσῃ	17
14, 4	λαμβάνει δὲ καὶ πᾶσαν τὴν κατασκευὴν ὁμοίως ἔχουσαν	275, 2[1]
19,8	καὶ κατακλείσεις τὰς αὐτὰς ἔχουσα[2]	5

1) Sed perversa est hoc loco enuntiati structura.

2) κατακλείσεις nusquam antea commemorantur.

22, 12	ὀπίσω τῆς κριοδόχης[1])	278, 13
23, 1	ἐν μέσῳ τῆς χελώνης	ibid.
8	καὶ τῆς κριοδόχης[2])	278, 21[3])
24, 2	τὸ δὲ σῶμα αὐλωτόν[4])	279, 3
9	ἀποτεταμένα ἐκ τῶν ὀνίσκων τῶν ἐκ τῆς κριοδόχης[5])	
25, 6	ἔχει δὲ καὶ παράδειγμα ἐξ ἑκατέρου μέρους ὁ κριός, ἐπειδὴ τὰ ταῖς κάσαις παραπλήσια	

Quaestio nunc exoritur, quisnam Vitruvii et Athenaei auctor fuerit. Sed hanc priusquam absolvere conemur, de duobus Athenaei locis disputandum est, quibus supra indicavimus (p.279) per se consideratis nos vetari de communi Vitruvii cum Athenaeo fonte cogitare, qui nunc tamen, postquam ad communem fontem illos redire convicimus, extremi ingenii Athenaeum fuisse docent.

Apud Athenaeum enim p. 11 init. de Diade, cuius antea enumerata sunt inventa, hoc indicatur 'ἐχρᾶτο δὲ καὶ τῷ ὑποτρόχῳ κριῷ· γράφει γοῦν τὴν κατασκευὴν αὐτοῦ οὕτως·' Exspectamus igitur iam constructionem subrotati arietis et satis miramur, quod de hoc quidem nihil comperimus, sed statim ad turres describendas transitus fit. Iam cum persuasum tibi sit lacunam casu aliquo effectam esse in Athenaei libello, quoniam Vitruvius non ipsum Athenaeum secutus est, sed eius fontem, maximam habes fiduciam ex huius libro repetere te

1) κριοδόχη in hac quidem machina accuratius non describitur neque scio quomodo eam mihi fingam; nam viri docti Ruestow et Koechly quae in libro, cui titulus est 'Gesch. d. gr. Kriegsw.' p. 311 § 5, de ea disputant 'bisweilen wird nur der vordere Theil des Rostes der Widderschildkröte mit einem Dache versehen, welches dann den Namen (κριοδόχη) Widderdach erhält' Athenaei quidem explicatione non traduntur: cf. Ath. 13/14. Vitr. 274. 17—21.

2) cf. adn. 1.

3) Etiam Vitruvii versio valde est obscura 'supra caput eorum qui continebant arietem (ἐπὶ δὲ τοῦ ἐπικεφάλου)'.

4) glossematis speciem prae se ferunt.

5) cf. adn. 1.

posse quae apud Athenaeum desiderantur. Sed en, eadem eodem loco lacuna etiam apud Vitruvium! ac patet hunc quidem lacunam in fonte esse perspexisse; nam verba illa ‘γράφει γοῦν τὴν κατασκευὴν αὐτοῦ οὕτως’ eiusmodi vertit (sc. ‘cuius rationes (Diades) scriptas reliquit’), ut si solum Vitruvium legas, sponte eum putes quam ipse legerit descriptionem praetermisisse. Ergo Athenaeus, cum iam non liceat lacunam in eius libello casui tribuere — id quod liceret, si Vitruvius hausisset ex Athenaeo — adeo dormivit, ut ne lacunam quidem tam apertam animadverteret. At iam refugium videtur patere: nam cum in Wescheri editione post verba ‘γράφει .... οὕτως’ figura sequatur, dixerit quispiam, ad hanc verba illa spectare. Neque quo hoc minus probemus ita multum prohibet, quod quo uno tradita est libro ms. figura non exstat post ipsa verba laudata, sed post verba ‘περιττέρου οὔσης ἑκάστης’ (W. p. 11, 18. cod. Vindob. ⟨F⟩ fol. 28 v. post lineam XI; deinde sequuntur in eadem pagina versus IX)[1]: hic enim etiam minus aptum obtinet locum; neque potest negari ea arietis subrotati imaginem quamvis non accuratam propemodum tamen similem depictam esse. Nam consentit in universum figura cum descriptione terebrae (Athen. p. 14), quam machinam docet Athenaeus ‘tota constructione similiter atque arietis (sc. subrotati)[2] se habente fieri’. Hanc enim solam existimo veram interpretationem verborum ‘τὸ δὲ τρύπανον (χελώνην μὲν τὴν αὐτὴν τῷ κριῷ) λαμβάνει δὲ καὶ πᾶσαν τὴν κατασκευὴν ὁμοίως ἔχουσαν’, reiciendam vero quam Rochasius praebet (p. 786) ‘le trépain comporte une tortue pareille à celle du bélier et d'une construction toute semblable’: quasi Athenaeus scripsisset ‘τὸ δὲ τρύπανον χελώνην (omissa particula μέν) τὴν αὐτὴν τῷ κριῷ λαμβάνει (omissa particula δὲ) καὶ πᾶσαν τὴν κατασκευὴν ὁμοίως ἔχουσαν’. Ac sic quoque opus esset accusativum illum verborum ‘πᾶσαν τὴν κατασκευὴν’ sumere

1) Wachsmuthii beneficio ipsi mihi facta est facultas codicis inspiciendi.

2) Etiam p. 12, 12 τὸν ὑπότροχον κριόν dici pro certo habeo: nam hic solus antea inter Diadis machinas commemoratus est; cf. etiam quae infra p. 299 disseram.

limitationis quem vocamus, quamquam magis in promptu erat scribere 'ὁμοίαν ἔχουσαν'. Sed cur Athenaeus idem bis expressit? nam 'χελώνην τὴν αὐτήν' et 'χελώνην ἔχουσαν ὁμοίως τὴν κατασκευήν' idem est. Ac particulae μὲν — δὲ satis clare significant post 'κριῷ' aut excidisse verbum notionis 'λαμβάνειν' aut saltem simul audiendum esse. Quo suppleto iam omnino non licet cogitare de tali qualem Rochasius voluit interpretatione. Terebra igitur si similis erat arieti subrotato, concedendum est quodam modo figura illa repraesentari arietis imaginem.

Accedit quod etiam antea (p. 10, 4) de tali machina traditum est 'μετὰ ταῦτα δὲ ἐποίησάν τινες ἐπὶ κυλίνδρων προωθούμενον τὸν κριὸν καὶ οὕτως ἐχρῶντο', itemque apud Anon. Byz. (W. p. 232, 8) 'καὶ ἕτεροι ἐπὶ κυλίνδρων προωθοῦνται': quamquam haec forsitan ex ipso Athenaeo hausta sint. Sed unum non intellegitur, si figura illa arietis subrotati formas circumscribi sumimus. Videmus enim a posteriore machinae parte duas suculas circum quas funes cum ariete coniuncti ita ducti sunt, ut, si illae vectibus circumagerentur, aries promoveretur, si in contrariam partem contorquerentur, trabes retraheretur. Sed apparet etiamsi suculae quam celerrime fieri potuit humanis manibus contortae sint, lentam tamen effectam esse trabis promotionem: magis igitur idonea ea machina videtur, qua in murum fiat pressio quam plaga, idonea magis quae vocetur terebra quam aries. Itaque haud scio an figura revera secundum terebrae descriptionem facta et casu aliquo in eum, ubi nunc in cod. Vind. exstat, locum translata sit.

Quod etiam alia re cogor censere: persuasum enim habeo quas Wescherus e libris mss. edidit figuras omnino nullius esse pretii neque ad auctorem libelli redire sed multo post, cum arietis subrotati descriptio iam pridem perisset (nam desideravit eam ut demonstravimus iam Vitruvius), ab aliquo factas esse ex contextu quidem, attamen nequaquam intellecto. Nam cum etiam per se Athenaei descriptiones saepe satis sint obscurae, difficiliores sane sunt intellectu respectis figuris,

quippe quae etiam ea falsa repraesentent, quae verbis satis claris sunt expressa.[1]) Ac p. 30 ad eandem rem duae plane diversae diversis libris praebentur figurae, quarum ne alterutra quidem prorsus respondet verbis. Sed, ut hanc argumentationem mittamus, num veri simile est scriptorem figuram inducere verbis ʻγράφει γοῦν τὴν κατασκευὴν αὐτοῦ οὕτως᾿? Minime meo quidem iudicio, sed scripsisset fere ʻκατέλιπε δὲ σχῆμα αὐτοῦ τόδε᾿. Cum verbis autem ʻγράφει τὴν κατασκευήν᾿ componas velim quae leguntur p. 15, 10 ʻἡμεῖς δ᾿ ἐγράψαμεν χελώνης χωστρίδος κατασκευήν᾿, quibus non succedit figura sed descriptio.[2])

Plane igitur, ut tandem eo, unde degressa est disputatio, revertamur, quod figura videbatur praebitum deverticulum, interclusum esse arbitror et concedendum post verba ʻγράφει . . . οὕτως᾿ lacunam esse statuendam. Nam particulam ʻοὕτως᾿ ita interpretari, ut sententiam exhibeat hanc ʻDiades utebatur etiam ariete subrotato, utpote quem ita describat (quasi eo usus sit)᾿ artificiosius, eam mutare vel delere audacius videtur. Ac qui dignum existimavit mentione Diadem illa machina usum esse, cur non eius descriptionem tradidit?

Accedit vero aliud quid miri, quod illa lacuna agnita quodam modo tollitur. Tradit Athenaeus (p. 10, 10 sqq.) Diadem se invenisse professum esse primum τοὺς φορητοὺς πύργους, deinde τὸ τρύπανον, tum τὸν κόρακα, tum τὴν ἐπιβάθραν. Quibus de machinis inde a. p. 11, 4—15, 11 eodem ordine agitur. Sed inter primam et alteram interposita est testudinis arietariae descriptio (p. 12, 12—14, 3) ac sic quidem, ut nullo

---

1) cf. etiam quae supra p. 289 exposui.

2) Tituli singulis machinis praepositi (p. 12, 12 περὶ χελώνης. 14, 4 π. τρυπάνου. 15. 5 κόραξ. 15, 6 ἐπιβάθρα. 15, 12 χελώνης χωστρίδος κατασκευή. 19, 3 π. ὀρυκτρίδος χελώνης. 211, 1 Ἡγήτορος χελώνη. 27, 1 κατασκευὴ ἑλεπόλεως) si ipsi auctori deberentur, inde quoque liceret concludere p. 11, 2 titulum ʻκριοῦ κατασκευή᾿ inscriptum fuisse descriptioni. Sed luce clarius est eos a librariis originem duxisse et oportuisse Wescherum non solum eos uncis includere (p. 21. 27), qui solis deterioribus libris traditi sunt, sed etiam qui optimis.

verbo interpellatio excusetur; ac ne hoc quidem refertur, cuiusnam testudo describatur; quod tamen vix potest dubium esse: nam praeterquam quod ea inter Diadis machinas posita est, cum paulo ante *τοῦ ὑποτρόχου κριοῦ* mentio facta sit, hic videtur satis esse clarum verbis '*τῆς δὲ χελώνης τῆς τὸν κριὸν φερούσης*' significari Diadis testudinem arietem subrotatum ferentem. Mirum igitur esset si, cum hic arietis subrotati testudo describatur, ipsius arietis descriptio non esset praemissa.

Sed haec quidem hactenus. Alter locus, de quo nunc est disserendum, exstat p. 15, 5 '*τὸν δὲ κόρακα οὔ φημι εἶναι ἄξιον κατασκευῆς*'. Quocum compares velim Vitruvii verba (p. 275, 12) 'de corace nihil putavit scribendum, quod animadverteret eam machinam nullam habere virtutem'. Secundum Vitruvium igitur ipse Diades machinam a se inventam nullam habere virtutem confessus est, cum Athenaeus malum illud iudicium non tamquam Diadis prodat memoriae, sed ipse ferre videatur. Sed Vitruvius, ut supra comprobavimus, non ipse inspexit Diadem; quaestio igitur exsistit, quoniam non Athenaeum secutus est ille, sed uterque eundem auctorem reddit, utrum is eisdem fere verbis atque Athenaeus de illa machina ipse indicaverit an, ut Vitruvius, tradiderit ipsum sibi Diadem derogasse; sive, ut breviter dicam, quaeritur utrum in communi fonte scriptum fuerit '*φημί*' an '*ἔφη*' (vel '*φησί*'). Iam in propatulo est Diadem non ipsum suam inventionem vituperasse. Vitruvius igitur auctoris sui iudicium Diadi tribuit. Athenaeum autem ad eiusdem auctoris verba tam arte se applicavisse necesse est statuamus, ut etiam illud '*φημί*' ad litteram in suum librum transferret; iamque dubium fit, utrum quod brevi post (p. 15, 9/10) legimus '*ἡμεῖς δ' ἐγράψαμεν*' et p. 31, 8 illud '*ἔκρινον*' potius referamus ad Athenaeum an ad eius auctorem. Atque hoc '*ἔκρινον*' quidem iam nunc liceat prodere Athenaei auctori tribuendum esse, quamquam argumentationem differre praestat (cf. p. 301 sq.).

Nunc communem Athenaei et Vitruvii auctorem indagemus. Ac Wachsmuthius animum meum advertit ad Agesistratum,

quippe quem ipse Athenaeus (p. 5, 6. 7) tamquam primarium auctorem confiteretur se secutum esse. Iam ut clarius res aperiatur totum libellum summatim percurrere opus est.

Loquaciter et odiose praefatus tandem (p. 7, 6) de machinationibus, quae apud Agesistratum legerit, expositurum se esse Athenaeus indicat '*διὸ ὅσαπερ ἀνεγνώκαμεν τοῦ μηχανικοῦ Ἀγησιστράτου περὶ αὐτῶν διέξιμεν*'. At ne tunc quidem ad ipsam rem accedit, sed praedicat de Agesistrati virtutibus, quarum causa videatur dignus, cui de artis praeceptis confidatur; cf. p. 9, 1 '*διόπερ οὐκ ἀπιστητέον τῷ τοιούτῳ ἀνδρὶ κατεφαίνετο ἐν τοῖς ὑπὲρ τῆς τέχνης παραινουμένοις*'. Postea transitus fit ad ipsas machinas. Quae quasi diversis fontibus adhibitis deinceps describuntur et p. 31 demum penitus oratio incisa est: priores, ait Athenaeus, quae bene docuissent diligenter se considerasse; sed ipsum quoque nova invenire studuisse. Neque usquam in eis, quae sequuntur, auctor aliquis laudatur, sed ipse Athenaeus identidem se venditat; cf. p. 35, 5 '*ἀρέσκει δέ μοι*', item p. 35, 4. At nonne forsitan de illis '*νενόηταί μοι* (31, 11)', '*αὐτὸς πεφιλοτίμημαι* (31, 13)' *ἀρέσκει δέ μοι*' item iudicandum sit ac de illo '*φημί*'? Non licet! nam ut iam supra (p. 279 sq.) significavimus etiam sermone diversa sunt, quae inde a p. 31, 11 sequuntur ab eis, quae communis Athenaei et Vitruvii auctoris sunt.

Quem quamquam ipsum quoque recentiorum sermone usum esse cognoscimus (nam adhibet nonnulla verba novicia), infimae tamen aetatis nota insignia in eius verbis praeter formas quasdam ionicas (p. 9, 14. 10, 12. 13, 1. 24, 8. 28, 6) duo sola inveni '*ἐκβοήθησις*' (p. 12, 6) et '*βελοστασία*' (22, 11); neque debet negari veri esse simile nonnulla ab Athenaeo illis esse illata. Quod non solum de ionicis illis formis valet, sed si Agesistratus usus sit verbo '*βελόστασις*' (quod apud Polybium IX 41 occurrit et apud Diodorum XX 87), facile fieri potuit, ut Athenaeus mutaret in '*βελοστασία*'. Verba autem '*εἰς τὴν ἐκβοήθησιν τῶν ἐμπυρισμῶν*' apud Vitruvium non exstant (p. 274, 8). Contra reputes, quot pessima verba supra (p. 280) excerpserimus ex eis, quae ipsius Athenaei esse iudicamus.

Sed cui tribuamus ea, quae inde a p. 29, 3—31, 10 exposita sunt? Nam congruentiam cum Vitruvio apud Athenaeum adhuc non vidimus ultra p. 29, 2 pertinere. Sed cum per se ea quae eodem tenore servato traduntur etiam eidem fonti deberi videntur, tum adsunt certa indicia, quibus hoc probetur. Vitruvius enim p. 159/60 quibus usus sit fontibus referens de machinationibus enumerat hos: Diadem, Archytam, Archimedem, Ctesibium, Nymphodorum, Philonem Byzantium, Diphilum, Democlem, Chariam, Polyidum, Pyrrum, Agesistratum.

E quibus Diadis, Ctesibii, Philonis Byz., Chariae, Polyidi, Pyrri, Agesistrati nomina quo pertineant, iam haud dubium est; nam cum Diadem, Chariam, Polyidum in eis, quae nobis tractanda sunt, et a Vitruvio (p. 273, 16. 17. 19) et ab Athenaeo (p. 10, 9. 10) allatos invenerimus, etiam Ctesibium, Philonem Byz., Pyrrum, Agesistratum ab Athenaeo (p. 29, 9. 15, 13.[1]) 31, 7) laudatos, quamquam Vitruvius eos in illis capitibus, quae sunt de machinis bellicis, non commemorat, ad communem utriusque auctoris fontem referendos esse manifestum est. Pyrri autem et Ctesibii ab Athenaeo (p. 31, 7) mentio fit in ea parte (p. 29, 3—31, 10), quam ad communem fontem redire demonstrandum est. Iamque inde Vitruvium etiam Archytae nomen sumpsisse censeo, quippe quem Athenaeus in praefatione (p. 5, 3) commemoret: quamquam praefationem Athenaei totam ex communi fonte translatam esse nequaquam existimo. Sed cum Athenaeus in ea de nonnullis mathematicis verba facere vellet, cur ne hos quidem illinc repetisse eum opinemur? Ac cum per se credibile sit auctorem Athenaei et Vitruvii ipsum quoque quaedam praefatum esse (cf. etiam p. 303), forsitan nonnulla etiam ex illis Athenaeus decerpserit.[2])

Cognovimus igitur ea, quae inde a p. 9, 4—31, 10 tam-

1) Athenaeus Philonem appellat Atheniensem, non Byzantium; sed conferas Wescheri in praefat. p. XI adnotationem V.

2) Fortassse etiam Nymphodorum, Diphilum, Democlem (Deimachum? cf. Ath. p. 15, 12) Vitruvius ex eodem ac ceteros fonte exscripsit.

quam ex diversis fontibus collecta Athenaeus exponit, uni auctori eum debere; iam exsistit quaestio utrum prima verba 'κριὸν μὲν ἔφασκεν (sc. Ἀγησίστρατος) εὑρεθῆναι .... (p. 9, 4)' tribuenda sint Athenaei fonti, ut ne Agesistratum quidem ille inspexerit, an sic res se habeat, ut Athenaeus legerit ipse apud Agesistratum 'κριὸς μὲν εὑρέθη ....' et referat hoc oratione obliqua. Solvitur quaestio meo quidem iudicio eis quae inde a p. 7, 8 antecedunt. Nam quamquam per se cogitari potest ne verba quidem (7, 8) 'ἀναγκαιότατον μὲν οὖν ἀποφαίνεται (sc. Ἀγησ.) εἶναι ἐμπειρίαν γραμμῶν ἔχειν' Athenaeum primum scripsisse, sed eius auctorem, impedit tamen alia ratiocinatio: applicantur brevi post (inde a p. 8, 5) laudes Agesistrati, quibus, ut iam supra (p. 300) diximus, comprobetur dignum eum esse, cui de artis mechanicae praeceptis confidatur. Num putemus faciendum hoc visum esse ei, qui non plura quam quae p. 9, 3—10, 10 apud Athenaeum legimus ex Agesistrati libro repetiverit? Praeterea autem vix licet ea, quae p. 7, 8 —9, 3 exstant, ab antecedente praefatione Athenaei dissolvere: nam non solum sententiarum serie haec cum illis conexa sunt, sed cognoscitur etiam dictionis similitudo. Itaque ipsius Athenaei esse iudico illud 'ἀναγκαιότατον ἀποφαίνεται Ἀγησίστρατος' et illud 'κριὸν ἔφασκεν εὑρεθῆναι' et ipsum inspexisse Agesistrati librum et uno eo usum esse fonte. Sic eum oportuit Agesistratum laudibus efferre; huic sententiae alia quoque favent: consentiunt quae Athenaei auctori tribuimus verba (p. 31, 6) 'περὶ δὲ ὑπορύξεων .... γεγραφότος Πύρρου ἐν τοῖς πολιορκητικοῖς οὐκ ἔκρινον τοῖς καλῶς εἰρημένοις ὑπ' αὐτοῦ ἀντιλέγειν· ὅπερ τοὺς πλείστους ὁρῶ ποιοῦντας ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασιν' cum Agesistrati quod refert Athenaeus (p. 8, 1) praecepto 'τοῖς γὰρ καλῶς εὑρεθεῖσι πολλάκις χρηστέον καὶ οὐκ ἐκ παντὸς τρόπου καινοτομητέον'; Vitruvius in illa mathematicorum enumeratione Agesistratum ultimo loco affert; Rhodios quidem sex eiusdem nominis titulis (C. I. Gr. Ins. I.) cognoscimus, ad Rhodium autem auctorem commodissime referuntur quae de Rhodiis copiose Vitruvius enarrat; quid vero quod Agesistrati magistrum Athenaeus p. 8, 9—13

tradit in vallo circa portum Rhodi exstruendo occupatum fuisse! Praeterea omnino Rhodios rerum mechanicarum peritia insignes fuisse constat; cf. Strabonis locum (p. 653 C), ubi de Rhodo praedicatur '*κἀνταῦθα δὲ ὥσπερ ἐν Μασσαλίᾳ καὶ Κυζίκῳ τὰ περὶ τοὺς ἀρχιτέκτονας καὶ τὰς ὀργανοποιίας καὶ θησαυροὺς ὅπλων τε καὶ τῶν ἄλλων ἐσπούδασται διαφερόντως καὶ ἔτι γε τῶν παρ' ἄλλοις μᾶλλον*'. Satis igitur his quoque probabile fit Agesistratum communem Athenaei et Vitruvii auctorem fuisse. Cuius machinarum descriptionibus praefatio videtur praeposita fuisse, ex qua ea excerpta arbitror quae de institutione et doctrina mechanicis necessaria apud Athenaeum p. 7, 8—8, 4 exponuntur.

Apud Vitruvium num praeter ea, quae communia ei sunt cum Athenaeo, quaedam ad Agesistratum redeant, non est quo diiudicare possimus; attamen fortasse quae de ballistis et catapultis p. 266—71 Vitruvius explicat, illi debet: quem quidem de his quoque machinis scripsisse ideo coniciam, quod Athenaeus p. 8, 7. 8 de eius tripalmi catapulta et palintono praedicat.

Agesistrati aetas accuratius definiri non potest quam fuisse eum post Philonem et Ctesibium, quorum de temporibus adhuc sub iudice lis est.

Iam videamus, quid de ipso Athenaeo censendum sit. Commemoravimus supra Dielesio Athenaei dicendi genus ad sophistarum recentiorum aetatem referendum visum esse sumusque viro doctissimo adstipulati. At semel etiam in eis, quae ex Agesistrati libro Athenaeum in suum transtulisse contendimus, talium ineptiarum, qualibus prooemium supra vidimus abundare, exemplum exstat, p. 15, 2 nimirum '*τοῦ γὰρ ἔργου καλῶς διατυπουμένου τοῦ ἀρχιτέκτονος τοῦδ' εὑρίσκεται εὐδοξία· κατὰ δὲ λόγον ἐκτεθειμένου τὰ συντάγματα, μέγιστον ἕξει κλέος τοῖς ὑπομνήμασιν*'; sed apparet illud '*τοῦ γὰρ .... ὑπομνήμασιν*' Athenaei loquendi abundantiae imputandum esse, non Agesistrato; quod cum apud Vitruvium (p. 275, 12) non invenitur tum apud Athenaeum adeo non conexum est cum antecedentibus, ut, quin interpolatum sit, non possit dubitari.

Ac redolet interpolatio eandem ieiunitatem, qua Athenaeus introducit suas ipsius machinas (p. 31 extr.) '*οὐ γὰρ μόνον δεῖ τὰ καλῶς εὑρεθέντα ὑφ' ἑτέρων εἰδέναι, ἀλλ' ἐπείπερ ἐστὶν εὐκινησία περὶ τὴν ψυχὴν καὶ αὐτὸν εὑρίσκειν δεῖ*'.

Iamque feliciter accidit, ut cum Dielesii de Athenaei aetate iudicio conveniat coniectura, quam a Casaubono (in notis ad Trebell. Poll. Gallien.) primo prolatam Rochasius inani argumento reiecit: Cum enim in Trebellii Pollionis imperatoris Gallieni vita Athenaeus quidam Byzantius commemoretur, qui 'urbibus muniendis praeficitur (13, 6)' quo minus hunc auctorem esse libelli '*περὶ μηχανημάτων*' putet, eo impediri ille quidem sibi videtur, quod, cum Athenaeus libellum dedicaverit Marcello cuidam, nemo illius aetatis sic appellatus notus sit. Quod ego quidem non magis duco obstare quam quod tertio non ut voluit Dielesius altero p. Chr. n. saeculo Athenaeus fuisse nobis putandus est, si eum Gallieni architectum fuisse opinamur. Habet igitur coniectura illa Casauboni aliquid blandimenti, quamquam certissimis argumentis demonstrari non potest.

Liceat nunc pauca addere de Athenaei libelli contextu. Ac saepius offendi, paucis tantum locis scrupulos me posse tollere vidi, praesertim cum nonnullae corruptelae sint eiusmodi, ut ne sententia quidem, quam integra praebuerint verba, possit divinari. Proferam igitur eas solas coniecturas quas maioris probabilitatis esse arbitror.

p. 5, 12 libri mss. exhibent *Διηνέχου* (vel *Διενέχου*) *περσετικῶν* (vel *περσικῶν*); quae prius solebant corrigi in '*Δηιμάχου πολιορκητικῶν*' (cf. Droysen l. l. p. 212 n. 2). Stephano Byzantio comparato, qui s. v. '*Λακεδαίμων*' dicit '*ὥς φησι Δαΐμαχος ἐν πολορκητικοῖς ὑπομνήμασιν*'; Wescherus mavult '*Δηιμάχου περσικῶν*', nisus Strabonis loco, qui exstat p. 76 C. Sed libro, quo de machinis oppugnatoriis agitur, illud magis convenire videtur.

Paulo post verba '*τῶν δι' αὐτοῦ ἀκολουθησάντων Ἀλεξάνδρῳ*' sana sententia carent; neque potest dubitari, cum p. 10, 9 narretur Diadem et Chariam una cum Alexandro in bellum

profectos esse, quin pro 'δι' αὐτοῦ' legendum sit 'Διάδου', pro 'ἀκολουθησάντων' autem 'ἀκολουθήσαντος'.

p. 8, 14 pro certo habeo (quod Wescherus coniecit) scribendum esse 'αὐτός' pro 'αὐτοῦ'.

τὰ μὲν ἀποροῦμεν, τῶν δ' ἐφαπτόμεθά τινα τρόπον. Ἔτι δὲ περὶ κεραυνῶν πτώσεως καὶ τυφώνων καὶ πρηστήρων καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐγκυκλίων, ὅσα διὰ πῆξιν συμβαίνει πάθη τῶν αὐτῶν σωμάτων τούτων. (3) Διελθόντες δὲ περὶ τούτων θεωρήσωμεν, εἴ τι δυνάμεθα κατὰ τὸν ὑφηγημένον μέθοδον ἀποδοῦναι περὶ ζῴων καὶ φυτῶν, καθόλου τε καὶ χωρίς, σχεδὸν γὰρ τούτων ῥηθέντων τέλος ἂν εἴη γεγονὸς τῆς ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν προαιρέσεως πάσης· ὧδ' οὖν ἀρξάμενοι λέγωμεν περὶ τούτων πρῶτον. Hanc praefationem quo minus Aristotelis calamo elapsam esse arbitrer duobus maxime retineor causis. Primum minime Aristotelis consuetudo erat ut eius modi tabulas argumenti in fronte librorum suorum conlocaret nec ulla hercle potest dispici causa cur 'Meteorologica' a solita norma excepisse existimandus sit. Ceteroqui primum praefatiunculae enuntiatum dilucide ostendit unde illius origo repetenda sit. Nimirum revocanda est ad eos qui primi Aristotelis opera per certum quendam ordinem distribuerunt. Quorum vestigia cum in aliis philosophi Stagiritae libris deprehendere possis tum in 'Meteorologicis.' Luculentam admodum sagaciter indicavit nuper Berger 'Gesch. der wiss. Erdk. der Gr.' vol. I p. 54 not. 2 interpolationem alterius libri de meteoris (l. II 1, 14 sqq.). Omnino 'Meteorologica' male se habent longeque abesse videntur a pristina sinceritate. Cf. Zeller l. l. p. 87 not. 2 et Susemihl in 'Mus. Rhen.' vol. XL (1885) p. 574 not. 6.

Praeter indolem autem atque naturam praefationis maximae nobis offensioni sunt quae in ea de voce meteorologiae exponuntur. Quae adeo perversa sunt adeoque cum rerum veritate conflictantur ut ab Aristotele ea profecta esse credi vix possit. Nam falsissimum est quod dicitur 'Meteorologicon' libros in ea scientia explicanda versari quam omnes veteres μετεωρολογίαν nuncuparint, quoniam veteres tantum abest ut meteoron voce una sublimia designarint, uti facit Aristoteles, ut eam aut de rebus sublimibus caelistibusque universe aut de caelestibus solis usurpaverint.[1]) dixi meteoron vocem: quippe me-

1) Utor hic utarque in sequentibus Senecae terminis q. v. technicis. Cf. 'Nat. Quaest.' l. II. 1. 1 proxx.

teorologiae vocabulum de iis qui ante Aristotelem floruere ab uno Diogene Apolloniata, quode infra adcuratius videro, absque inrisione adhibitum scimus. Neque vero certo cognosci potest quo significatu hic illo vocabulo usus sit. Verum enim vero adparet quicumque meteorologiam doctrinam de rebus sublimibus interpretantur, meteora sublimia esse statuant necesse esse; quicumque vicissim meteora intellegunt caelestia seu caelestia et sublimia, iis esse meteorologiam doctrinam de rebus caelestibus seu de caelestibus et sublimibus. Sic Aristoteles vel potius qui libellum 'De plantis' confecit res in 'Meteorologicis' tractatas diserte adpellat meteora. Cf. 'De plantis' l. II p. 822 b, 32 sqq. ed. ac.: *ἐκτεθείκαμεν δὲ αἰτίας περὶ τῆς γενέσεως τῶν πηγῶν καὶ τῶν ποταμῶν ἐν τῷ ἡμετέρῳ βιβλίῳ τῷ περὶ μετεώρων* (cf. Agath. in 'Anthol. Pal.' l. XI 354, 7 sq.). Sed ne temere iecisse videar quod de veterum usu vocis meteoron adseveravi, rem paucis comprobandam mihi sentio. Percurramus si placet libros hominum Aristotele priorum excutiamusque locos ubi vocabula meteoron, meteorologon, cet. eiusd. rad. obviam fiunt. Plerumque quidem voce meteoron sublimia et caelestia comprehenduntur vel quod idem valet omnia quae supra terram fiunt atque in caelo conspiciuntur. Quae vis illi voci omnibus iis locis subest in quibus ei quae infra terram aut quae in terra sunt opponuntur. Veluti apud Hippocratem 'De vetere medicina' Cap. I, p. 2, 1 proxx. Kuehlew.: *διὸ οὐκ ἠξίουν αὐτὴν* (sc. *τὴν ἰατρικήν*) *ἔγωγε καινῆς ὑποθέσιος δεῖσθαι ὥσπερ τὰ ἀφανέα τε καὶ ἀπορεόμενα, περὶ ὧν ἀνάγκη, ἤν τις ἐπιχειρῇ τι λέγειν, ὑποθέσει χρῆσθαι, οἷον περὶ τῶν μετεώρων ἢ τῶν ὑπὸ γῆν* (malim *γῆς*); apud Platonem in 'Apologia' p. 18 B (de Socrate): *τά τε μετέωρα φροντιστὴς καὶ τὰ ὑπὸ γῆς ἅπαντα ἀνεζητηκώς*; ibid. p. 23 D: *τὰ μετέωρα καὶ τὰ ὑπὸ γῆς*. Terrestria autem meteoris opponuntur in Eupolidis fragm. 146 b. Kock (de Protagora):

ὃς ἀλαζονεύεται μὲν ἀλιτήριος
περὶ τῶν μετεώρων, τὰ δὲ χαμᾶθεν ἐσθίει.

Rarius meteoron voce denotantur corpora caelestia. Haec notio statuenda videtur apud Platonem in 'Protag.' p. 315 (de

Hippia): ἐφαίνοντο δὲ περὶ φύσεώς τε καὶ τῶν μετεώρων ἀστρονομικὰ ἄττα διερωτᾶν. Multo clarius illa notio apud Hippocratem adparet qui in egregia 'De aere, aquis, locis' scriptura cap. II p. 34, 14 sqq. Kuehlew. haec ait: τοῦ δὲ χρόνου προιόντος καὶ τοῦ ἐνιαυτοῦ λέγοι ἄν, ὁκόσα τε νοσήματα μέλλει πάγκοινα τὴν πόλιν κατασχήσειν ἢ θέρεος ἢ χειμῶνος, ὁκόσα τε ἴδια ἑκάστῳ κίνδυνος γίνεσθαι ἐκ μεταβολῆς τῆς διαίτης (an ὥρης?). Εἰδὼς γὰρ τῶν ὡρέων τὰς μεταβολὰς καὶ τῶν ἄστρων ⟨τὰς⟩ ἐπιτολάς τε καὶ δύσιας, καθότι ἕκαστον τούτων γίγνεται, προειδείη ἂν τὸ ἔτος ὁκοῖόν τι μέλλει γίγνεσθαι. — Εἰ δὲ δοκέοι τις ταῦτα μετεωρολόγα εἶναι, — μάθοι [ἂν exstirpo] ὅτι οὐκ ἐλάχιστον μέρος συμβάλλεται ἀστρονομίη ἐς ἰητρικὴν ἀλλὰ πάνυ πλεῖστον. Nempe sensus extremae enuntiationis est hic: 'quodsi quis haec [sc. anni temporum vices, ortus occasusque siderum] ad meteorologiam pertinere putet, comperiat seu discat non minimam partem ad rem medicam conferre astronomiam.' Vides hoc loco ab Hippocrate meteorologiam plane parem poni siderum scrutationi eique huius munia iniungi. Similiter initio disputationis 'De carnibus' (vol. I p. 424 Kuehn.) — de qua consulendus Gomperz 'Griech. Denker' vol. I (1895) p. 236 et 454 — meteoron voce res caelestes adpellari puto.

Unus quod sciam eorum qui ante Aristotelem fuere Diogenes Apolloniates libellum scripsit cui titulus impositus erat 'Μετεωρολογία'. Quo de testatur Simplicius in comm. ad Arist. 'Phys.' p. 151, 24 D.: ἰστέον ὡς γέγραπται μὲν πλείονα τῷ Διογένει τούτῳ συγγράμματα, ὡς αὐτὸς ἐν τῷ 'Περὶ φύσεως' ἐμνήσθη καὶ πρὸς φυσιολόγους ἀντειρηκέναι λέγων, οὓς καλεῖ καὶ αὐτὸς σοφιστάς, καὶ 'Μετεωρολογίαν' γεγραφέναι, ἐν ᾗ καὶ λέγει περὶ τῆς ἀρχῆς εἰρηκέναι, καὶ μέντοι καὶ περὶ ἀνθρώπου φύσεως, ἐν δέ γε τῷ 'Περὶ φύσεως' ὃ τῶν αὐτοῦ μόνον εἰς ἐμὲ ἦλθε, προτίθεται μὲν διὰ πολλῶν δεῖξαι, ὅτι ἐν τῇ ὑπ' αὐτοῦ τιθείσῃ ἀρχῇ ἐστι νόησις πολλή.1) Argumentum

1) Iniuria Zeller in 'Histor. phil. Graec.' vol. I⁴ p. 236 not. 1 Schleiermacherum secutus de fide testimonii Simpliciani dubitat. Cf. Gomperz s. l. p. 301 et 459.

a Diogene in 'Meteorologia' pertrectatum etsi certius definiri nequit, tamen inde quod Diogenes de principio (περὶ τῆς ἀρχῆς) disquisivit, consequens esse videtur ut latius patuisse censeamus quam libri Aristotelici qui inscribitur 'Μετεωρολογικά.'

Sed mox nomen meteorologiae in contemptionem abiit quippe quod Platonis aevo multo rarius proprio quam translato sensu usurparetur de studio rerum nimis subtilium aut prorsus inanium. Parum enim fructuosum aut utile Atheniensium multitudini visum est caelestia sublimiaque speculari, parum pium priscas de priscis dis fabulas astronomicis rationibus infensare aut adeo evertere. Quo factum est, ut qui illis studiis operam nauabant volgo male audirent atque utpote nebulones (ἀλαζόνες: sic Meton traducitur apud Aristoph. in 'Au.' u. 1016. Vide Ribbeck 'Alazon' p. 10 sqq.) aut nugantes homunculi sugillarentur. Exceptis paucis illis quos supra indicavi locis apud Platonem voces μετεωρολογία (Phaedr. p. 270 A [bis]), μετεωρολογικός (Tim. p. 91 D), μετεωρολόγοι (Pol. 299 B; Crat. p. 401 B), μετεωροσκόπος (Pol. p. 488 E; ib. p. 489 A) al. eiusd. rad. contemptim dictae sunt. Saepissime quo magis consilium deridendi vel insultandi adpareat, additum invenimus vocabulum ἀδολεσχία aut ἀδολέσχης (cf. Phaedr. p. 270 A in.; Pol. p. 488 E et 489 A; Pol. 299 B; Crat. 401 B). Quod autem Plato in 'Pol.' p. 489 C adhibet vocabulum μετεωρολέσχης comoediam sapit (cf. Aristoph. frg. 386 K.). Cum quo contendas verbum μετεωροφέναξ quod finxit Aristophanes in 'Nub.' u. 333. Omnino vox meteoron pessime sonat apud comicos Atticos et apud Lucianum qui ex ampullis comicorum libris suis colores adspergere consuevit (cf. ex. c. 'Amor.' 457 et 'Men.' 486). Etiam Euripides contemptim loquitur de meteorologis (cf. frg. 913, 2 N²). Neque vero opus est hanc notionem hic longius persequi. Ac ne postea ad eam reverti cogar, statim moneo per diuturnum tempus eam in litteris Graecis viguisse (cf. Plut. 'Per.' cap. V p. 154 C et Aristid. 'Ars rhet.' p. 343, 16 vol. IX Walz.).

Sed iam respiciamus. Expendimus omnes locos ubi quae vis vocabulo meteoron ceterisque quae ab hoc deducta sunt

verbis subsit diiudicare licet. Neque vero ullus est in quo meteora designent sublimia sola. Immo usque quaque meteora intelleguntur aut generaliter res quae supra terram fiunt aut paullo angustiore sensu caelestia. Re ita comparata plane incredibile est Aristotelem autumasse omnes veteres voce meteorologiae eam scientiam significasse quam ipse 'Meteorologicis' explanat quae videlicet ad sublimia spectant. Ex quo efficitur ut praefatiunculam alio quoque nomine suspectam ab Aristotele alienam esse ducamus. Quodsi ex subsidiis nostris licet sint exilia coniecturam facere fas est, princeps omnino Aristoteles sublimia adpellasse videtur *μετέωρα*.

Iam vero missis paulisper meteoris metarsia consideremus. Quae vox quinto ante Chr. nat. saec. ita adhibita est ut idem exprimeret atque vocabulum meteoron latiore sensu dictum. Etenim universe omnes supra terram res illo denotatas esse ostendit Sophoclis frg. 1027, 4 sqq. N[2]:

ἡ δὲ βοσκηθεῖσα φλὸξ
ἅπαντα τἀπίγεια καὶ μετάρσια
φλέξει μανεῖσα.

Idem vocabuli metarsion usus est in psephismate a Diopithe promulgato quod leviter stringit Plutarchus in vitae Periclis cap. XXXII p. 169 D: *καὶ ψήφισμα Διοπείθης ἔγραψεν Εἰσαγγέλλεσθαι τοὺς τὰ θεῖα μὴ νομίζοντας ἢ λόγους περὶ τῶν μεταρσίων διδάσκοντας ἀπερειδόμενος εἰς Περικλέα δι' Ἀναξαγόρου τὴν ὑπόνοιαν.* Sponte patet hoc loco *μετάρσια* idem declarare atque *μετέωρα* quorum tractationem Atheniensium volgus philosophis exprobrare adsolebat. Atque vox metarsion quia reapse eodem sensu usurpabatur quo meteoron, eandem sortem passa est atque illa moxque in malam partem est accepta (cf. [Plat.] 'Sis. 389 A; Plut. 'Per.' Cap. V p. 154 C; schol. Arist. 'Nub.' v. 320). Sed de hac notione hactenus.

Ut quae hucusque eruimus praecise complectar, qui ante Aristotelem fuere meteora intellegebant aut caelestia aut liberiore sensu quaecumque supra terram posita sunt (h. s. caelestia et sublimia): haec et metarsia nominabant. Aristo-

teles vero veterem vocabuli meteoron intellectum commutavit ita ut illud ad sublimia sola transferret.

Iam eos qui post Aristotelis tempora fuerunt videamus. Praecipue interest scire probatane his fuerit illius definitio meteoron an eam missam fecerint. Ni egregie fallor illam nemo posteriorum amplexus est nisi Aristotelis interpretes (velut Olympiodorus p. 133, vol. I ed. Id.; et Philoponus p. 135 eod. l.). Plurimi autem philosophi cum veteribus faciebant meteoraque universe caelestia et sublimia interpretabantur. Quo in numero est Epicurus. Qui epistolam Pythocli misit in cuius praefatiuncula se ei doctrinam de meteoris explicaturum recipit (cf. La. Diog. l. X 83 sqq. [Vseneri 'Epicureorum' p. 35 proxx.]). Iam cum res tractatas perlustramus, posteaquam paucula de mundo intermundiisque quasi in transcursu disputavit, Epicurum fuse et abunde de rebus caelestibus (vide Vsenerum l. l. p. 382 et 389) et sublimibus (cf. Vsener. l. l. p. 385) disserere videmus. Vide et La. Diog. l. X 142 (Vseneri 'Epic.' p. 73, 14 et 20). Porro veteres secutus est Arrhianus, philosophus ut puto peripateticus, cuius memoriam paucis recolere haud ab re existimo.[1]) De aetate eius inde luculentissime constat quod fuit Eratosthenem inter et Agatharchidem Cnidium. Nam ab hoc laudatur in libello 'De mari rubro' (cf. Muelleri 'G. Gr. m.' I p. 194, 15 sqq. = Phot. 'Bybl.' p. 460 b, 17 sqq. Bkk.); illum vicissim laudat (cf. Philoponi comm. in Arist. 'Met.' p. 138 vol. I Idel.). Eratosthenes autem vixit intra annos 276—194 (cf. Susemihli 'Hist. litt. Alex.' vol. I p. 409 sqq.); Agatharchidis vero tempora non tam certis finibus circumscribi possunt: hoc unum tamen certum est fuisse eum sub Ptolomaeis Philometore (181—146) et Euergeta II (146—117) (cf. Leopoldii diss. 'De Agath. Cnid.' [1892] p. 8). Arrhianus igitur circa annum 175 floruisse videtur. Vitam eum Alexandreae degisse facile quis inde coniciat quod quem memorat Eratosthenem et a quo memoratur Agatharchidem paene totam aetatem suam in illa urbe commoratos esse accepimus (de

1) Nil novi attulit Wissowa s. v. 'Arrianus' in 'Pauly-Wissowa Realencycl.' p. 1247.

Agath. cf. Leopoldium l. l. p. 8). Composuit autem Arrhianus inquisitionem 'περὶ μετεώρων' ad quam provocat Priscianus Lydus in auctorum laterculo 'Solutionibus ad Chosroen' praemisso p. 42, 11 Byw.: [usi sumus] 'et Μετεώρων Arrhiani' [1]; cuius primum librum citat Philoponus in comm. ad Aristot. 'Meteor.' l. i.: unde cogitur Arrhiani scripturam ex compluribus libris constitisse. Disputavit autem teste Philopono Arrhianus in libro I de terrae circuitu. Stupes quid illa quaestio in meteoron tractatione sibi velit. Res facillime explicari potest, modo Arrhianum de caelestium doctrina similiter atque Posidonium iudicasse censeamus. Hic enim apud Senecam (cf. 'Nat. Qu.' l. II. 1. 1 sqq.)[2]) postquam omnem de universo quaestionem in caelestia, sublimia, terrena dividendam, inter sublimia autem quaedam terrena tractanda esse pronuntiavit, haec ait (§§ 4/5): 'dicam quod magis mirum videbitur: inter caelestia et de terra dicendum erit. Quare? inquis. Quia cum propria terrae ipsius excutimus suo loco, utrum lata sit et inaequalis et enormiter proiecta an tota in formam pilae spectet et in orbem partes suas cogat, adliget aquas an aquis adligetur, ipsa animal sit an corpus iners et sine sensu, plenum quidem spiritus, sed alieni, et cetera huius modi, quotiens in manus venerint, terram secuntur et in imis conlocabuntur: at ubi quaeretur quis terrae situs sit, qua parte mundi consederit, quo modo adversus sidera caelumque posita sit, haec quaestio cedet superioribus et, ut ita dicam, meliorem condicionem sequetur.' Posidonii igitur arbitratu inter caelestia ea tractanda sunt quae ad rationem quae inter terram et sidera interest pertinent. Quo cum aliae faciunt quaestiones tum ea qua quaenam ratio inter terrae magnitudinem et astro-

1) Neque vero isto libro usus esse videtur Lydus. Namque quem hic p. 69, 31 Byw. exagitat Arrhianum, is auctor est 'Circumnavigationis maris Erythraci' atque post Posidonii tempora ipse quoque in Aegypto ut videtur aetatem degit. Cf. sis cum Lydi l. l. [Arch.] 'Circumnav.' Cap. XLV et XLVI (p. 291 sqq. Muelleri 'Geogr. Gr. min.' vol. I). Ceterum perquam memorabile est quod iam Lydi temporibus ista circumnavigatio maris Erythraei nomine Arrhiani circumferebatur.

2) Hunc locum ad Posidonium reverti infra comprobabo.

rum caelique sit pervestigatur.[1]) Hanc si Arrhiani quoque sententiam fuisse arbitremur, nulla causa est quam ob rem offendamus, quod in libro 'περὶ μετεώρων' de terrae ambitu dixit. Iam Agatharchidis testimonium contemplemur. Qui l. l. haec prodit: *ὅτι Ἀρριανὸς περὶ κομητῶν φύσεώς τε καὶ συστάσεως καὶ φασμάτων βιβλιδάριον γράψας, πολλοῖς ἀγωνίσμασι πειρᾶται δεικνύναι ὅτι μηδὲν μήτε τῶν ἀγαθῶν μήτε τῶν φαύλων τὰ τοιαῦτα φάσματα ἀποσημαίνουσιν.* Cum scriptura 'περὶ μετεώρων' ex compluribus libris constiterit, nil obstat ne *βιβλιδάριον περὶ κομητῶν φύσεώς τε καὶ συστάσεως καὶ φασμάτων* quippe quod meteorologici argumenti sit ad illam pertinuisse credamus. E quo praeterea magnum nobis frustum servavit Ioannes Stobaeus in 'Ecl. phys.' p. 229, 11 sqq. W. (frg. de cometis similibusque phasmatis). Quod vero nullo loco Arrhianum id agere videmus ut cometis ceterisque phasmatis nil portendi demonstret, id facillime ex eo explicatur quod non integram Arrhiani disputatiunculam tenemus, sed excerptum tantum, quod eius definitiones et generales sententias de natura illarum rerum exhibeat. Praeterea apud Stobaeum duae longiores eius disputationes exstant quarum prior (cf. p. 235, 10 sqq. W.) de fulminibus, tonitribus, sim. rebus est, posterior (cf. p. 246, 2 sqq. W.) de nebula, pluvia, al. sim. Adparet hasce disputationes non ex eo libro desumptas esse quem memorat Agatharchides, sed ex alio vel potius aliis scripturae 'De meteoris . Quod si haec quam ego concepi imago libelli Arrhianei vera est, statuendum est Arrhianum vocem meteoron vetere sensu quo caelestia et sublimia comprehenduntur usurpasse.

Denique cum veteribus facit S t r a b o. In cuius 'Geographiae' libro I p. 13 sqq. C. haec reperimus: *ἅπαντες ὅσοι τόπων ἰδιότητας λέγειν ἐπιχειροῦσιν, οἰκείως προσάπτονται καὶ τῶν οὐρανίων*[2]) *καὶ γεωμετρίας, σχήματα καὶ μεγέθη καὶ ἀποστή-*

1) Posidonius quidem in libris 'περὶ μετεώρων' magnitudinem terrae anquisivit hacque computatione fretus terram puncti instar esse ad caelum ostendit. Cf. Cleom. 'Theor. Cycl.' l. I c. XI p. 102 sqq. Z.

2) *Οὐράνια* ei sunt omnia quae in caelo observantur: caelestia (Senecae) et sublimia. Cf. Xen. 'Mem.' I 1, 11 et Sophocl. 'Oed. R.' u. 301.

ματα καὶ κλίματα δηλοῦντες καὶ θάλπη καὶ ψύχη καὶ ἁπλῶς τὴν τοῦ περιέχοντος (= *ἀέρος*) *φύσιν*. ——— *Ἔοικεν οὖν μετεωρολογικῇ τινι πραγματείᾳ καὶ γεωμετρικῇ συνῆφθαι τὸ τῆς γεωγραφίας εἶδος, τὰ ἐπίγεια τοῖς οὐρανίοις συνάπτον εἰς ἕν*. Geographia igitur cum geometria et meteorologia coniuncta est, sed ita ut illam ad definitionem formarum, magnitudinum, intervallorum adhibeat, hanc ad indicanda climata, frigora, calores, aeris naturam. Cum autem climata nisi astronomicis rationibus constitui nequeant (cf. Strabonis 'Geogr.' I p. 12 C), contra quaestio de aeris natura deque frigore et aestu in locum de sublimibus cadat, Strabonem '*μετεωρολογικὴν πραγματείαν*' tractationem rerum caelestium et sublimium intellexisse manufestum est.

Rarissime ab iis qui post Aristotelis memoriam fuere meteoron vocabulo una caelestia corpora significantur: velut a Sosipatro comico fr. 1, 25 sqq. K.:

δεῖ τὸ μάγειρον εἰδέναι πρώτιστα μὲν
περὶ τῶν μετεώρων τάς τε τῶν ἄστρων δύσεις
καὶ τὰς ἐπιτολὰς καὶ τὸν ἥλιον πότε
ἐπὶ τὴν μακράν τε καὶ βραχεῖαν ἡμέραν
ἐπάνεισι κἀν ποίοισίν ἐστι ζῳδίοις.

Plane novam in adhibendis vocabulis meteoron et metarsion normam secutus est Theophrastus qui quamquam maxime strenuus propagator doctrinae Aristoteleae erat, tamen nequaquam temere in verba magistri iurabat (cf. Zelleri 'Hist. phil. Graec.' II^3, 2 p. 821). Namque vocabula *μετέωρα* et *μετάρσια* cum volgo scriptores promiscue usurparent, Theophrastus inter sese distinxit ita ut illo vocabulo caelestia et sublimia, hoc una sublimia innueret. In meteoron igitur voce adhibenda nil novavit, modo novum vocabuli metarsion intellectum invexit. Quae novatio plurimorum tulit plausum. Sed quaeris unde ista odorati simus. Cum Laertianam Theophrasti librorum tabulam quam quattuor partibus contineri constat (de qua re cf. Vseneri aureolam dissertationem quae 'Anal. Theophr.' [1858] inscribitur p. 13 sqq.) oculis perlustramus, § 44 librum I et II '*Μεταρσιολογικῶν*', § 47 librum I commentationis '*περὶ*

μετεώρων' citatum videmus.[1]) Haec autem scriptura iam in altera parte tabulae sedem habet, quae primam quibusdam novis libris complet (cf. Vsener. l. l. p. 14). Uti vero haec, sic illa Theophrasti scriptura a variis scriptoribus Graecis laudatur. Pro titulorum autem diversitate hasce scriptiones aliqua ratione inter se distulisse utique statuendum videtur. An quisquam prudens a Theophrasto idem argumentum tanquam animi causa modo hoc modo illo nomine adpellatum esse credet? Nunc facile quispiam fidelem discipulum magistri vestigiis ingressum meteora significasse sublimia putaverit. Quod ne arbitremur prohibet locus quidam Theophrasteae disputationis de igne ubi metarsion voce regio sublimis vel aeria denotatur. cf. frg. II 1, 3 (p. 51 vol. III Wimmer) — disseritur de potioribus ignem inter et cetera elementa discriminibus —: *μεγίστη δὲ αὕτη διαφορὰ δόξειεν ἂν εἶναι· τὰ μὲν γὰρ καθ' αὑτὰ καὶ οὐδὲν ἐν ὑποκειμένῳ, πῦρ δὲ τό γε τῇ περὶ ἡμᾶς αἰσθήσει φανερόν, εἴτ' ἀριθμητέον εἰς* [τὸ nonne delendum?] *αὐτὸ τὸ φῶς εἴτε μὴ ἀριθμητέον· εἰ μὲν γὰρ καὶ τὸ φῶς, φανερὸν ὡς ἐν ἀέρι γε τοῦτο καὶ ὕδατι, εἰ δὲ μή, τό γε πῦρ τῆς φλογὸς καὶ τοῦ ἄνθρακος ἐν ὑποκειμένῳ. ἡ μὲν γὰρ καπνὸς κᾳόμενος, ὁ δὲ γεῶδές τι καὶ στερεόν. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ἐν τοῖς μεταρσίοις ἐκπυρούμενα καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ· πάντα γὰρ ἢ ἀέρος τοιοῦδε πύρωσις ἢ ἀέρος ἅμα καὶ ὑγροῦ καὶ γεώδους ἢ πάντων ἢ τοῖν δυοῖν.* Ex adcurata totius loci consideratione enascitur ut *τὰ ἐν τοῖς μεταρσίοις ἐκπυρούμενα* nihil aliud esse possint nisi 'ea quae in aere comburuntur'. Alterum indicare lubet locum, quem a Theophrasto originem accepisse admodum est veri simile, ubi perinde atque supra metarsion vox ad regionem aeriam relata est. cf. Aetii plac. III, 4, 4 p. 371 b, 11 'Dox.' Diels.: *Ξενοφάνης ἀπὸ τῆς τοῦ ἡλίου θερμότητος ὡς ἀρκτικῆς αἰτίας τἀν τοῖς μεταρσίοις συμβαίνειν.* Xenophanis sunt sententiae, non verba. Haec a Theophrasto suppeditata esse, qui Aetii placitorum originem secum volutarit putare propensus erit. Quae cum ita sint,

1) Qui apud Laertium l. V 43 laudatur Theophrasti liber '*περὶ μεταρσιολεσχίας*' ambigi nequit quin ethici argumenti fuerit.

statuendum nobis est Theophrastum 'Metarsiologicis' de iis rebus quae in aere fiunt vel quod eodem spectat de rebus sublimibus egisse. Cui coniecturae egregie favet unicum quod ex illo libro ad nostra tempora pervenit fragmentum. Cf. Plut. 'Quaest. Gr.' 7 p. 323, 3 sqq. Bern.: *τίνες αἱ πλωιάδες νεφέλαι; τὰς ὑπόμβρους μάλιστα καὶ περιφερομένας ἐκάλουν 'πλωιάδας', ὡς Θεόφραστος ἐν τετάρτῃ 'Περὶ μεταρσίων' εἴρηκεν.* Vix dubitari potest quin disquisitio '*περὶ μεταρσίων*' a Plutarcho laudata eadem sit atque illa quae a Laertio '*Μεταρσιολογικά*' adpellatur. Res autem fragmento exscripto tractata ad quaestionem de sublimibus spectat.

Quoniam de argumento 'Metarsiologicon' certissime iam constat, anquiramus quid Theophrastus libris '*περὶ μετεώρων*' tractarit. Cuius operis duo fragmenta exstant: prius apud Olympiodorum in comm. ad Arist. 'Meteor.' l. I p. 239 vol. I Idel., ubi: *τῆς δὲ λοξῆς κινήσεως τῶν ἀνέμων ἄλλην μὲν αἰτίαν ὁ Θεόφραστος ἐν τοῖς οἰκείοις μετεώροις ἀποδίδωσιν κ. τ. ἑ.*; posterius reperitur fragmentum apud Proclum in comm. ad Plat. 'Tim.' p. 176 E, p. 417 Schnd., ubi legimus: [disquisivisse Theophrastum] *πόθεν μὲν αἱ βρονταί, πόθεν δὲ ἄνεμοι, ποῖαι δὲ αἰτίαι κεραυνῶν, ἀστραπῶν πρηστήρων, ὑετῶν, χιόνος, χαλάζης, ἃ δὴ καλῶς ποιῶν ἐν τῇ τῶν μετεώρων αἰτιολογίᾳ* [corr. Schneider.: libri *ἀπολογίᾳ*] *τῆς πρεπούσης εἰκοτολογίας καὶ αὐτὸς ἠξίωσεν.* Hisce duobus locis docemur Theophrastum in libro 'De meteoris' de rebus sublimibus disputasse. Iam quaeris quae tandem ratio inter libros 'De meteoris' et 'Metarsiologica' intercedere videatur. Res dubitabilis esse non potest, dum modo id quod supra universe de his Theophrasti libris disceptantes contendimus memoria teneamus: scilicet e titulorum differentia conligendum esse argumentum 'Metarsiologicon' aliud fuisse atque librorum 'De meteoris'. Nunc ab usu Theophrasteo vocabuli metarsion profectis certissima nobis ratione comprobare licuit in 'Metarsiologicis' una sublimia exposita fuisse. Re ita comparata e duobus frustis a Proclo et Olympiodoro e libello 'De meteoris' servatis non concludendum hac scriptura sublimia, sed in ea et sublimia tractata fuisse.

Hoc igitur 'Metarsiologica' inter et libros 'De meteoris' intererat quod huius libri argumentum latius patebat quam illius, ut quod non solum ad doctrinam de rebus sublimibus sed etiam ad aliam pertineret. Quae quin fuerit doctrina de rebus caelestibus pro re nata ambigi nequit.[1]) Sed longius progredi placet. Non enim ita valde veri simile est a Theophrasto eandem rem bis tractatam esse. Quapropter procliviter quis coniecerit libellum 'Metarsiologicon' nihil aliud esse nisi eam partem libri 'De meteoris' quae in explicanda doctrina de sublimibus versabatur. Quae suspicio difficultatem illam quam modo indicavi tollit nec habet quod ei repugnet. Nam quod apud Laertium praeter libellum 'De meteoris' seorsum 'Metarsiologica' laudata reperiuntur, haec res offensioni esse non potest ei qui indolem ac naturam Theophrasti librorum indicis Laertiani perspexerit.

Verum utut haec se habent, hoc plane constat Theophrastum voce metarsion sublimia designasse; meteoron autem vocabulo eum sublimia et caelestia complexum esse veri simillimum est.

Plurimis scriptoribus Theophrasteum novatum adrisisse supra autumavimus. In quibus numerandus est stramenticius Ocellus, qui sub persona prisci illius Pythagorei doctrinam Peripateticam venditat. Nam primarii scriptionis 'De universo' fontes sunt Aristoteles et Aristoxenus. Cf. Rhode in 'Mus. Rhen.' XXVII (1872) p. 52 et Dielsii 'Doxogr.' p. 187. Hic etiam aetatem personati Ocelli rectius atque antehac factum est definivit demonstravitque cum plurima pseudepigrapha Pythagoreorum Augusti memoria confecta essent scripta, libellum 'De universo' prius ortum esse quippe qui iam a Varrone memoratus sit (cf. Dielsium l. l. p. 188). Certum terminum post quem falsarius scripserit — adcuratiorem scilicet: nam quod post Aristoxenum fuit hinc non multum lucramur — adhuc nemini contigit investigare. Namque de Andronico (cf. Diels. l. l.) res est perquam dubia. Verum iam locum illum consi-

1) Caelestia a Theophrasto non μετέωρα vocitantur, sed οὐράνια Cf. frgm. XII 28 p. 159 W. et ib. 34 p. 162 W.

deremus qui ad disquisitionem nostram pertinet. Cf. cap. III, 2 sqq.: πρῶτον μὲν γὰρ ἀεὶ ὄντος τοῦ κόσμου, ἀναγκαῖον καὶ τὰ μέρη αὐτοῦ συνυπάρχειν· λέγω δὲ μέρη οὐρανόν, γῆν, τὸ μεταξὺ τούτων· ὃ δὴ μετάρσιον καὶ ἀέριον ὀνομάζεται. — Τῶν δὲ μερῶν συνυπαρχόντων ἀνάγκη καὶ τὰ ἐμπεριεχόμενα συνυπάρχειν αὐτοῖς, οὐρανῷ μὲν ἥλιον, σελήνην, ἀπλανεῖς τε ἀστέρας καὶ πλανήτας· τῇ δὲ γῇ ζῷα, φυτά, χρυσόν, ἄργυρον· μεταρσίῳ δὲ καὶ ἀερίῳ πνεύματα, ἄνεμον, μεταβολὴν ἐπὶ τὸ θερμότερον, μεταβολὴν ἐπὶ τὸ ψυχρότερον. Quibus nihil habeo quod adiciam, cum ipse personatus Ocellus interpretis munere functus sit, ut qui ad explicandum τὸ μετάρσιον adponeret τὸ ἀέριον. Igitur τὸ μετάρσιον ei est 'sublimis' regio, qua venti, nebulae, nubes, sim. continentur.

Hic statim adiungam Dionysium Halicarnasseum qui ipse quoque adiectivum μετάρσιος in aequo ponit ἀέριος adiectivo. Cf. Exc. l. XVI, vol. IV p. 221, 10 sqq. Kiessl.: τὸ κεραύνιον πῦρ εἴτε δὴ αἰθέριον (lb. vitiose: αἴθριον) εἴτε μετάρσιόν ἐστιν. Qui Dionysii locus ideo valde notabilis est, quod ex eo discimus Theophrasteum usum vocabuli μετάρσιος primo a. Chr. nat. saeculo iam satis pervolgatum fuisse, utpote qui non solum a philosophis verum etiam ab hominibus a studiis philosophiae plus minus alienis et probaretur et adhiberetur.

Cum Theophrasto etiam Aetius facit qui in prooemiis suis — namque prooemia placitorum syllogae ab ipso Aetio consarcinata sunt (vide Dielsii 'Doxogr.' p. 56 proxx.) — adcurate caelestia a sublimibus dispescit et ita quidem ut haec μετάρσια, illa οὐράνια adpellitet (cf. Dielsii 'Doxogr.' p. 364, 9 sqq.).

Omnium autem quicumque Theophrasti novatum amplexi sunt facile nobilissimus est Posidonius qui si rationem temporum spectas paullo ante commemorandus erat. Neque vero eum ceteris Theophrasti adseclis interponere visum est quia uti vocem metarsion sensu Theophrasteo usurpavit, ita in voce meteoron aliam potestatem inesse voluit atque philosophus Eresius. Nimirum Posidonius in adhibendo meteoron vocabulo eos secutus est qui meteora intellegerent caelestia. Verum iam ad singula probanda descendamus.

Exstat apud Achillem quem maximam partem Posidoniana exhibere constat (cf. Dielsii 'Doxogr.' p. 19 sqq. et diss. nostrae cap. II) luculenta vocabulorum *μετέωρα* et *μετάρσια* definitio haec: *διαφέρει μεταρσίων μετέωρα· ᾗ τὰ μὲν μετέωρα ἐν οὐρανῷ καὶ αἰθέρι ἐστίν· ὡς ἥλιος καὶ τὰ λοιπὰ καὶ οὐρανὸς καὶ αἰθήρ. μετάρσια δὲ τὰ μεταξὺ τοῦ ἀέρος καὶ τῆς γῆς· οἷον ἄνεμοι, νεφέλαι, ὄμβροι, ἀστραπαί, βρονταί, κομῆται, δοκίδες, πωγωνίαι, λαμπάδες, ἴριδες, ἅλωες, διᾴττοντες, ῥυμοί, ῥύακες.* Quaeritur haec definitio ad Posidoniumne reverti videatur, sicuti multas alias quae apud Achillem leguntur ad eum redire constat (cf. ex. c. p. 78 'Uran.' Pet.), an aliunde sumpta sit. Quae si apud alium scriptorem recurrit quem Posidonianas rettulisse sententias exploratum est, quaestionem profligatam censeo. Ac talis adest: Seneca, quem 'Naturales Quaestiones' ex Asclepiodoto Nicaeensi Posidoniana doctrina refersisse scimus (cf. Dielsii 'Doxogr.' p. 19 et 225). Seneca igitur l. l. II 1. 1 sqq. sic disceptat: 'omnis de universo quaestio in caelestia, sublimia, terrena dividitur. ‖ Prima pars naturam siderum scrutatur et magnitudinem et formam ignium quibus mundus includitur, solidumne sit caelum ac firmae concretaeque materiae an ex subtili tenuique nexum, agatur an agat, et infra sese sidera habeat an in contextu sui fixa, quem ad modum anni vices servet, solem retro flectat, cetera deinceps similia. ‖ Secunda pars tractat inter caelum terramque versantia. Hic sunt nubila, imbres, nives, terrae motus, fulgores

'Et humanas motura tonitrua mentes',

quaecumque aer facit patiturve. Haec sublimia dicimus, quia editiora imis sunt. ‖ Tertia illa pars de aquis et q. s.' Concentus qui Achillem inter et Senecam intercedit tam manufestus est, ut quae isti scriptores exponunt ad communem fontem non possint non redire. Hic autem pro re nata nemo alius esse potest nisi Posidonius. Quod quam recte a nobis statutum sit, eis quoque quae apud Senecam definitionem supra exscriptam secuntur eique explanandae inserviunt clarissime ostenditur. Primo sane adspectu mirum videri debet, quod Seneca terrarum motus inter sublimia rettulit. Namque hi, ut nos compertum

et exploratum habemus, potius in terrena cadunt. Neque vero veteribus vera concussionum terrae natura aut indoles plane perspecta cognitaque erat, sed incerti titubabant alii aliam de illarum origine proponentes sententiam. Vide sis Ideleri conspectum opinionum veterum de terra mota in ed. Arist. 'Meteor.' vol. II p. 584 sqq. Seneca autem vel potius eius auctor cum terrae motus ad quaestionem de sublimibus pertinere pronuntiat, ab his illorum explicationem arcessendam esse duxisse putandus est. Nec nos dubios relinquit Seneca. Ait enim l. l. § 3: 'quo modo, inquis, de terrarum motu quaestionem eo posuisti loco quo de tonitribus fulgoribusque dicturus es? quia cum motus terrae spiritu fiant, spiritus autem aer sit agitatus, etiamsi subit terras, non ibi spectandus est: cogitetur in ea sede in qua illum natura disposuit.' Seneca igitur terrarum motus fieri existimat, cum spiritus seu aer agitatus terras subit. Hinc illos contemplandos eo loco quo de rebus sublimibus disputetur. Oculorum aciem velim intendas ad explicationem concussionum terrae a viro docto Romano prolatam. Quam Posidonii esse Laertius comparatus evincit. cf. l. VII 154: *τοὺς σεισμοὺς δὲ γίνεσθαι πνεύματος εἰς τὰ κοιλώματα τῆς γῆς ἐνδύοντος ἢ καθειρχθέντος, καθά φησι Ποσειδώνιος ἐν τῇ ὀγδόῃ* scil. *τοῦ 'Φυσικοῦ λόγου'*.[1]) Nulla igitur potest esse dubitatio quin quae apud Senecam et Achillem de notione vocabulorum *μετέωρα* (= caelestia) et *μετάρσια* (= sublimia) disceptantur ad Posidonium auctorem revertantur.

Iam si placet pauca de Posidonii libris meteorologicis dicamus, de quibus hominum doctorum sententias mirum quantum fluctuare video.[2])

Laertio Diogene auctore Posidonius duabus — ni fallor — scriptionibus peculiari studio res meteorologicas pertractavit: quarum scriptionum prior illa est cui titulus erat '*περὶ*

1) Differt haec Posidonii definitio a volgari Stoicorum. Cf. Dielsii Doxogr. p. 379, 11 sqq.

2) Plane perversa protulit Schmekelius in libro ceteroquin egregio 'Philos. der mittl. Stoa' (1892) p. 14 not. 5. Item scatent erroribus quae disputavit Malchinus 'De auctor. qbdm. qui Pos. adh.' (1893), p. 26 sqq.

μετεώρων' (cf. La. Diog. l. VII 135: *Ποσειδώνιος ἐν τρίτῳ* '*Περὶ μετεώρων*' et 144: *Π. ἐν τῷ ζ'* [sic optim. cod. Burbon. teste Wachsmuthio: deter. libri *ιζ'*; corruptelae origo in propatulo est] '*Περὶ μετεώρων*'); altera inscripta fuit '*Μετεωρολογικὴ στοιχείωσις*' (cf. l. VII 138: *Π. ἐν τῇ* '*Μετεωρολογικῇ στοιχειώσει*'); a qua haesito an non diversa sit quae a Laertio in l. VII 138 commemoratur '*Μετεωρολογική*'. Quod vero Bakeus (cf. 'Pos. Rhod. rell.' [1810] p. 83) apud Laertium l. VII 154 pro tradito *ἐν τῇ ὀγδόῃ* restituendum suspicatur *ἐν τῇ* '*Μετεωρολογικῇ*', mirifice labitur. Videlicet ad verba *ἐν τῇ ὀγδόῃ* subaudiendum *τοῦ* '*Φυσικοῦ λόγου*': qui liber paragrapho antecedenti diserte excitatur. Quod autem Laertius modo *Π. ἐν τῷ ὀγδόῳ τοῦ* '*Φυσικοῦ λόγου*' citat (cf. l. VII 153), modo *ἐν τῇ ὀγδόῃ* sc. *τοῦ* '*Φυσικοῦ λόγου*', haec inconstantia nil habet admirationis, cum et aliis locis eam apud illum deprehendamus. Cf. ex. gr. l. VII 157: *Χρύσιππος ἐν δευτέρῳ τῶν* '*Φυσικῶν*' cum eiusd. libr. 159: *Χρ. φησιν ἐν τῇ δευτέρα τῶν* '*Φυσικῶν*'. Iam quaenam ratio inter librum '*περὶ μετεώρων*' et '*Μετεωρολογικὴν στοιχείωσιν*' intercedat disquirendum. Sunt qui hanc pro breviario illius scripturae habeant (e. gr. Schmekel l. l.). Quorum sententia reicula videtur esse. An credi potest ab illo viro docto quem Laertius in enarrandis Stoicorum placitis secutus est — forsitan fuerit Diocles — modo integrum qui ei praesto erat librum '*περὶ μετεώρων*' laudatum esse modo eius epitomam? Qua opinatione me iudice quidquam perversius excogitari non potest. Accedit alia causa quae volgari de 'Compendio meteorologico' opinioni aperte adversatur. Demonstrare quippe licet argumentum librorum 'De meteoris' aliud fuisse atque 'Compendii meteorologici'. Etenim quoniam quem significatum voci *μετέωρα* subesse voluerit Posidonius enucleavimus, iamiam quid ille libello quem '*περὶ μετεώρων*' inscripsit tractarit definire possumus. Procul dubio hoc libro — Senecae verbis ut utar — 'naturam siderum scrutatus est et magnitudinem et formam ignium quibus mundus includitur, solidumne sit caelum ac firmae concretaeque materiae an ex subtili tenuique nexum; agatur an agat et infra se sidera

habeat an in contextu sui fixa; quem ad modum sol anni vices servet an retro flectat, cetera deinceps similia.' In has igitur res Posidonius in libro 'περὶ μετεώρων' inquisivisse existimandus est: quae suspicio egregie stabilitur et firmatur duobus quae ex illa scriptione nobis servavit Laertius Diogenes fragmentis. Quorum prius l. VII 144 exstat, ubi legimus: *εἶναι δὲ τὸν μὲν ἥλιον εἰλικρινὲς πῦρ, καθά φησι Ποσειδώνιος ἐν τῷ ζ' 'Περὶ μετεώρων'*. Quae verba nulla indigent explanatione. Paullo difficilius alterum est fragmentum quod lib. VII 135 legitur: *ἐπιφάνεια δ' ἐστὶ σώματος πέρας ἢ τὸ μῆκος καὶ πλάτος μόνον ἔχον, βάθος δ' οὔ. ταύτην δὲ Ποσειδώνιος ἐν τρίτῳ 'Περὶ μετεώρων' καὶ κατ' ἐπίνοιαν καὶ καθ' ὑπόστασιν ἀπολείπει*. Quae Posidonium cum de forma siderum (cf. supra) dissereret exposuisse puto. Cf. Bakei 'Pos. Rhod. rell.' p. 242.

Circumscripto librorum 'De meteoris' argumento iam videamus num etiam de 'Compendio meteorologico' certiora proferri possint. Quo plane easdem res tractatas fuisse atque libro 'De meteoris' quam vere negaverimus vel alterum fragmentorum a Laertio ex 'Compendio meteorologico' servatorum adfatim docet. Namque res illo tractata non ad *μετέωρα* sed ad *μετάρσια* pertinet. Cf. La. Diog. l. VII 152: *ἶριν δ' εἶναι αὐγὰς ἀφ' ὑγρῶν νεφῶν ἀνακεκλασμένας ἢ ὥς Ποσειδώνιός φησι ἐν τῇ 'Μετεωρολογικῇ' ἔμφασιν ἡλίου τμήματος ἢ σελήνης ἐν νέφει δεδροσισμένῳ κοίλῳ καὶ συνεχεῖ πρὸς φαντασίαν ὡς ἐν κατόπτρῳ φανταζομένην κατὰ κύκλου περιφέρειαν*. Disceptavit igitur Posidonius in libro qui inscriptus erat '*Μετεωρολογικὴ στοιχείωσις*' de rebus sublimibus. At cave credas de his unis eum in isto libello verba fecisse. Quod ne arbitremur enixe repugnat primum index libro praepositus. Etenim Posidonius si de rebus sublimibus solis egisset, ambigi nequit quin librum suum argumento adcommodate '*Μεταρσιολογικά*' vel '*Μεταρσιολογικὴ στοιχείωσις*' inscripturus fuerit. Aristoteles sane scripturae suae de rebus sublimibus praemittere potuit titulum '*Μετεωρολογικά*' 1), nimirum quod ei sublimia audiebant *μετέωρα*.

1) Haec melior memoria; in paucis codicibus liber inscribitur '*περὶ μετεώρων*.' Cf. et Zelleri 'Hist. philos. Gr.' II³ 2, p. 87, not. 2.

Idem facere minime licuit iis qui sublimia μετάρσια nuncupabant. Quocirca qui primus metarsion vocem ad una sublimia rettulit Theophrastus scriptionem suam de sublimibus vel potius eam libri 'De meteoris' partem qua de rebus sublimibus disseruit inscripsit 'Μεταρσιολογικά' vel 'περὶ μεταρσίων', ac non 'Μετεωρολογικά'. Sed iam clamantem te audio: "haec si tute recte disputasti, nascitur ut in Posidonii 'Compendio meteorologico' elementa rerum caelestium exposita fuerint." Ne multa: inscriptio libelli nullo pacto explicari potest, si eo aut una caelestia aut una sublimia tractata fuisse putamus. Expediuntur autem simul omnes difficultates si 'Elementa meteorologica' et ad caelestes res et ad sublimes pertinuisse existimamus. Tum vero Posidonius adiectivum μετεωρολογικός non angustiore sensu, ita ut ad μετέωρα = corpora caelestia referret, usurpasse censendus est sed volgari quo caelestia et sublimia comprehendebantur. Quod quam ob rem fecerit haud difficile est dispicere. Nempe brevitati consuluit. Quodsi argumentum libelli exacte describere voluisset, titulus ei ponendus erat hic: 'Μετεωρολογικὴ καὶ μεταρσιολογικὴ στοιχείωσις'. Qui titulus cum parum commodus esset, Posidonius simpliciter librum suum inscripsit: 'Μετεωρολογικὴ στοιχείωσις'. Accedit altera causa quare 'Elementa meteorologica' adumbrationi rerum caelestium et sublimium inservisse videantur. Achilleae 'Introductionis' primum fontem, Diodorum Alexandrinum, maximam partem Posidoniana protulisse exploratum est. Item certissimum est personatum Aristotelem profundo haustu Posidonianae eruditionis fluctus per disputationem suam 'De mundo' diffudisse (cf. Zellerum in 'Abh. der Berl. Akad.' 1885 p. 399 sqq.). Neque obscurum est quam potissimum Posidonii scriptionem illi ambo in usus suos converterint. Namque definitio vocabuli mundi quae a Laertio l. VII 138 ex 'Compendio meteorologico' conservata est, recurrit et apud Achillem et apud personatum Aristotelem. Praeterea apud hunc (cf. cap. IV 20) Posidonii explicatio iridis quam Laertii auctor ex 'Compendio meteorologico' sumpsit eisdem ferme verbis expressa legitur. Unde satis constare existimo Posidoniana quae exhibent Dio-

dorus et Pseudoaristoteles ex compendio meteorologico Apamei petita esse. Quae cum speculamur, partim ad μετέωρα partim ad μετάρσια spectare facile videmus. Ceterum personatus Stagirita pressius Posidonium secutus est quam Diodorus. Quapropter equidem eo inclino, ut eum etiam dispositionem argumenti Posidonio debere ducam. Quae coniectura si recto talo stat, Posidonius in fronte libelli sui paullo generaliorem disputatiunculam conlocavit quae exordiebatur a definitione verbi κόσμος; exin doctrinam de rebus caelestibus explanavit; denique sublimia adumbravit. Sed utut haec se habent, utique nobis statuendum est in 'Compendio meteorologico' Posidonium aeque rerum caelestium rationem habuisse ac sublimium. Quem ad modum autem doctrinam de meteoris prolixiore oratione persecutus est libro 'περὶ μετεώρων', sic de rebus sublimibus fusius egisse videtur in 'Physico sermone'. Cf. La. Diog. VII 153 et 154. Constabat vero hic non ut volgo perhibent (cf. Bakeum ll. p. 237 et Schmekelium l. l. p. 13) minimum XV libris sed XII. Nam apud La. Diog. l. VII 140 in. optimus cod. Burb., ut comiter certiorem me fecit C. Wachsmuthius, praebet numerum ε′ non ιε′. Ceterum ne numerus XII quidem (cf. La. Diog. l. VII 149) extra omnem dubitationem positus est. Fortasse ei adhaeret ι antecedentis τῶι.

Nulla autem causa est cur 'Compendium meteorologicum' ex 'Physico sermone' et ex libro 'De meteoris' excerptum putemus: immo vero fuit singularis scriptura atque haud pauca continuit quae alibi non tractavit philosophus Apameensis. Quod nisi statuas, intellegi nullo modo potest quod a Laertii auctore iuxta uberiores physici argumenti libros 'Compendium meteorologicum' aliquotiens laudatur et respicitur.

Verum haec hactenus. Quamquam non nulli loci scriptorum posteriorum (veluti Philonis Iudaei et Clementis Alexandrini) exstant ubi voces μετέωρα et μετάρσια leguntur, tamen eos adferre non decrevi, quod utilitas quae inde redundat paene nulla est.

CAPUT II.

De reparanda Posidonii de rebus caelestibus doctrina.

Posidonii Rhodii de rebus caelestibus doctrinam quicumque reparare et refingere animum induxerit praeter eos locos qui expressis verbis utpote Posidoniani a variis scriptoribus adferuntur respiciat necesse est hos potissimum quattuorviros: Plinium, Achillem, cui Suidae demum error cognomen Statio indidit (cf. Dielsii 'Doxogr.' p. 17), Geminum, Cleomedem. Quos Posidoniana doctrina libellos suos inrigasse iam pridem homines docti pervidere. Verum cum nemo illorum scriptorum unum philosophum Apameensem in usum suum advocaverit, intentius nobis anquirendum est quatenus quisque eorum Posidonii sententias repraesentare videatur. In qua disquisitione consentaneum est ut ab eo scriptore proficiscamur quem fidelissime Posidonium exscripsisse quemque plurima ab eo mutuatum esse suspicari liceat. Quis autem ille est? Hoc ut investigemus, singulos illos deinceps adcuratius considerabimus circumspiciemusque num quid quem ad modum Posidonio usi sint aut ipsi tradant aut aliunde constet.

Exordiamur si placet a **C. Plinio Secundo**, helluone illo librorum atque antiquitatum. Cuius 'Naturalis historiae' liber II ad rem nostram pertinet quippe qui in descriptione mundi versetur in cuiusque auctorum laterculo Posidonii nomen legatur. Sed obstant gravissimi scrupuli quo minus Plinii librum pro idoneo disquisitionis nostrae fundamento habeamus. Ac primum quidem parum certum est ipsumne Posidonium usurparit Plinius an notitiam eius fonti secundario debeat. Ut sane

dubitari nequit quin vir doctus Romanus multorum scriptorum volumina suis manibus tractarit atque haud pauca ipse excerpserit, ita vehementer hercle erraverit, si quis ab eo omnes lectitatos esse crediderit quorum nomina indices fontium exhibent. Quid quod sedulus compilator ipse ingenue profitetur (vide praef. 17) quartam ferme partem scriptorum laudatorum a semet ipso inspectam esse? Atque maxime dubia res est de scriptoribus Graecis. Quorum ignobiliores quod non ipse adiit neminem profecto mirum habebit: demirandum autem quod ne principes quidem illorum ex ipsorum scriptis cognosse videtur. Aristotelem quidem inter auctores suos nominat multusque est in eo citando: verum Aristotelea tantum non omnia accepta refert aut Nigidio Figulo aut Pompeio Trogo (cf. Montigni 'Quaest. in Plin. N. H. de animalibus libros' [1840]). Perinde Theophrastum ipsum a se adhibitum esse vana iactatione simulat (cf. Sprengel 'De rat. quae in hist. plant. inter Plin. et Theophr. interc.' [1890] et 'Mus. Rhen.' vol. XLVI [1891] p. 54 sqq.). Posidonium quoque eis accensendum esse qui per alios viro bono innotuere ut existimem, duabus causis perpellor. Atque primum quidem suspicionem excitat, quod quamquam plurimae Posidonii sententiae per vastam Plinii scripturam dispersae sunt, tamen rarissime illius nomen obviam fit. Augetur haec suspicio eo, quod Plinius inter auctores suos scriptorem quendam Romanum refert quem prolixe Posidonio usum esse exploratum habemus. Constat nimirum Plinium mira quadam impudentia M. Terentii Varronis scripta suppilasse; hic rursus plurima a Posidonio mutuatus est: quod nuperrime certissimis argumentis evictum est a Schmekelio (cf. 'Philos. d. mittl. Stoa' [1892] p. 132 sqq.) et a Wendlingio (cf. Hermae' vol. XXVIII [1893]). Quibus reputatis procliviter quis sibi persuaserit e Varronis libris Plinium 'Naturalem historiam' Posidoniana doctrina implevisse.

Neque vero hoc uno scrupulo nixi Plinium idoneum esse a quo disquisitio nostra proficiscatur negamus. Accedunt alii duo quorum prior ad scriptoris nostri genus dicendi pertinet. Uti quippe consuevit oratione oppido quam turgida inflataque.

Atque adeo saepissime tam obscure tamque perplexe loquitur, ut citius cortinam ex imo adyto mugientem quam hominem disserentem audire tibi videaris. Quae res quanto opere inquisitionem retardet atque impediat dici vix potest. Quid quod non numquam omnino desperandum tibi est elici posse quid scriptor dicere voluerit? Non minus gravis est alter de quo dicturus eram scrupulus. Scilicet Plinius quamvis diligens ac sedulus fuerit, intellegentia rerum aut ingenii acumine haudquaquam eminebat. Unde factum, ut non pauca minus recte adsequeretur aut adeo plane perperam intellegeret (cf. Urlichsii 'Chrest. Plin.' p. XIX). Sed ista decantata sunt. De quibus idcirco tantum commonui, ut quo iure a Plinio proficisci lubricum periculosumque esse autumaverim melius perspiciatur. Mittamus proinde hunc convertamusque nos ad alterum quattuorvirum, ad

Achillem. Cuius opusculi origo et fontes quod clare nobis patent, insigne est meritum Dielsii (cf. 'Doxogr.' p. 19 sqq.). Felici enim acrimonia perspexit Achilleam 'Introductionem' in fundamentis alicuius scriptionis Diodori Alexandrini exstructam esse qui Ciceronis fere memoria floruisse censendus est. Diodorus vero in libello suo maximam partem Posidoniana protulit. Hunc in usum suum convertit Eudorus, et ipse Alexandrinus, Augusti aequalis. Verum cum Eudorum hominem doctissimum in scriptisque veterum multum volutatum fuisse certo sciamus (cf. Zelleri 'Hist. phil. Gr.' III^3 p. 611 sqq.), vix credibile est satis eum habuisse Diodori libellum brevi manu compilasse: immo si multa eum ex largo lectionis suae thensauro deprompsisse et adiecisse autumavero, haud facile quemquam mihi oblocuturum esse confido, tametsi quae ad eum reverti videantur partes propter Achilleae 'Introductionis' condicionem ad amussim demonstrari nequit. Equidem sane eo inclino, ut quem ad modum Stoica e Diodori rivolis profluxisse (cf. Dielsium l. i. p. 21), ita quae ad ceteras philosophorum sectas praecipue Pythagoreos spectant magnam dumtaxat partem suppeditata existimaverim ab Eudoro. Huius denique liber primarius est fons Achillis quem grammatico-

rum gregi adsignandum esse suo iure pronuntiavit Maassius 'Arateorum' p. 42. Nec vero probus ille Arati interpres neminem adhibuit nisi Eudorum: quae opinatio vel inde refellitur atque redarguitur, quod in 'Introductione' hic illic scriptores laudatos reperimus quos post Eudorum fuisse constat: veluti Thrasyllum, Adrastum, Ptolomaeum (cf. 'Introd.' cap. XVI p. 80 'Uranol.' Pet. [1703] et cap. XIX p. 82). Praeterea Achilles commentarium illum Arateum descripsit quo etiam scholiorum Marcianorum auctor usus est: quod Maassius (cf. l. l. p. 21 proxx.) tam luculentis comprobavit argumentis, ut nullus dubitationi relinquatur locus. Verum ne Achillis quidem libellus integer incolumisque ad nostra tempora pervenit, siquidem excerpta nos tenere plus minus exilia cum totus 'Introductionis' habitus adfatim declarat, tum index in codicibus Vaticano et Mediceo libello praefixus: *τῶν Ἀράτου 'Φαινομένων' πρὸς εἰσαγωγὴν ἐκ τῶν Ἀχιλλέως* (cf. Maass l. l. p. 20).

Quibus perpensitatis equidem summo opere gravor Achilleae scripturae reliquias pro eo fundamento putare quo Posidonii doctrinae rudera indagaturi secure inniti possint. Ambigi enim nequit, quin Diodorei commentarii, robur illud Achillis opusculi, e quibus Posidoniana in 'Introductionem' manavere omnia, totiens expilati, in novam formam redacti, cum multis denique alienis ac disparilibus commixti a pristina sinceritate et integritate sensim longe recesserint, ita ut umbrae solum modo eorum nunc supersint.

Transeamus igitur ad Geminum, sub cuius nomine libellus circumfertur qui inscribitur '*Εἰσαγωγὴ εἰς τὰ φαινόμενα*'. Huius libelli indolem et consilium paucis adumbrare haud a re nostra esse duco. Reapse introductionem astronomicam Gemini qui temporum invidiam defugit librum esse tam argumentum tractatum quam disputandi ratio dilucide ostendit. Strictim enim vero sed luculenter de astronomiae elementis disseritur. Quaecumque autem ad interiorem huius scientiae cognitionem spectant consulto omittuntur. In primis adcuratiores computationes raro inveniuntur, quamquam non plane desunt. Cf. ex. gr.

cap. XIV 'de evolutione' (*περὶ ἐξελιγμοῦ*). Quae reputantes si Gemini 'Introductionem' in usum scholarum destinatam fuisse contenderimus, haud fallemur. Sed cave cum Blassio (vide eius prgr. 'De Gemino et Posidonio' Kiel. [1883] p. 8) Geminum ad Arati carminis interpretationem sua rettulisse statuas. Nempe noster '*Εἰσαγωγὴν εἰς τὰ φαινόμενα*' ac non '*Εἰσαγωγὴν εἰς τὰ Φαινόμενα*' perscripsit (qua de re adi Boeckhii lib. 'Ub. d. vierj. Sonnenkr. der Alten' [1863] p. 8 et Schmidt in 'Philol.' vol. XLV [1886] p. 304 sqq.). Ceterum perspecto libelli Geminiani consilio iam facile non nullae res expediri possunt in quibus explicandis homines docti merito haeserunt. Atque recte quidem animadverterunt orationem, cum in universum ad certam quandam normam conformata aequabiliter procederet, non nullis tamen locis ab ista norma longe recedere. Plerumque enim ea stricta sed luculenta est: interdum vero aut luxuriat aut usque ad obscuritatem contracta est. Porro iusto iure clamitant esse in hac 'Introductione' quae inter sese pugnent. Postremo Gemini libellum quibusdam gravioribus erroribus vel mediocri astronomo indignis deformari non sine causa conquesti sunt (cf. Schmidt l. l. p. 305 et Manitium in 'Comment. Fleckeis.' [1890] p. 109 sq.). Nil attinet omnia ea adponere quae de illis asperitatibus atque salebris viri docti argutati sunt: equidem, uti supra significavi, earum explicationem a Gemini scripturae consilio repeto. Quae cum in usum 'studiosae iuventutis' confecta esset, consequens est ut frequenter eam descriptam esse existimemus. Nunc vero ultro liquet describendo identidem veterum scriptorum libellos non meliores factos esse: immo gravissima inde contraxere volnera. Itaque si non omnes at certe plurimos errores [1]) qui volgo Gemino obtruduntur exortos putaverim. Porro notum est omnibus temporibus contextus librorum in usum scholarum compositorum parum pie tractatos esse. In quos editores summa cum licentia grassari adsolent nil veriti ex ipsorum sensu atque ingeniolo verba auctoris libelli mutare aut delere

1) Huc faciunt praecipue vitiosi numeri.

aut adeo plane nova adfingere. Talia et Geminianae 'Introductioni' evenisse ex multis rebus intellegitur. Huc videlicet faciunt manifestae quae nobis variis locis occurrunt dissensiones et repugnantiae, huc facit etiam inaequalitas illa rationis disceptandi. Interpolationibus autem multis et magnis 'Introductio' laborat: quarum maxima et ea apertissima calendarium est ultimo libelli capiti adsutum. Quod cum nullo modo cum sententiis capite XIV expositis conciliari queat, optimo iure pro spurio habuere Boeckh (cf. l. l. p. 8 proxx.); C. Wachsmuth (proll. in cal. Graec. p. XLIV); Schmidt (cf. l. l. p. 293). Verum de 'Introductionis' interpolationibus alibi adcuratius disputabimus.

Haec igitur Gemini 'Introductio' etsi nullo loco diserte ad Posidonium provocat, tamen aliquam multa doctrinae eius frustula continet: quod qui eam attente perlegerit, facili negotio cognorit. Neque hoc aciem hominum doctorum praeteriit. Longius autem progressus est Blassius qui programmate modo laudato evincere studuit Gemini 'Introductionem' ex uno Posidonio haustam esse. Nec vero multorum ille plausum tulit. Acriter enim ei oblocuti sunt validissimis argumentis freti Schmidt l. l. p. 308 sqq.; Tannery in libro 'Géom. Gr.' (1887) p. 29 sqq.; Manitius l. c. p. 101 proxx. Qui viri docti ut Blassii opinionem futtilitatis evidenter coarguisse, ita de testimoniis veterum scriptorum quae ad Geminum pertinent parum recte iudicasse mihi videntur. Quocirca equidem totam quae de Gemino est retractare decrevi quaestionem quam altioris indaginis esse sentio quam volgo putant.

Incipiamus vero a testimonio Prisciani Lydi. Qui, vel potius barbarus ille qui medio aevo eum in sermonem Latinum convertit, p. 42, 8 sqq. Byw.: 'usi quoque sumus, inquit, utilibus quae sunt ex Strabonis Geographia; Lavini (i. e. *Ἀλβίνου*) quoque ex Gaii scholis exemplaribus Platonicorum dogmatum; adhuc etiam ex commento Gemini Posidonii de *Μετεώρων*.' Pristinam Geminiani libelli inscriptionem ut recuperemus, Graeca nobis refingenda sunt. Quod facile et probabiliter fieri potest, modo quam in scriptore Graeco vertendo normam

secutus sit barbarus interpres memoria teneamus. Quem artissime versionem suam ad Prisciani exemplum adplicavisse non difficile est intellectu. Quid quod haud raro tantopere sibi indulsit ut Graecas constructiones retineret ab Latini sermonis ingenio plane alienas? Veluti p. 67, 30 Byw. legimus 'ut congelari aëra': quod nil aliud esse nisi Graecum 'ὥστε συμπήγνυσθαι τὸν ἀέρα' bene pervidit Bywaterus. Praeter hanc alia quam maxime notabilis barbari est consuetudo quippe a qua explicatio plurimorum errorum plurimarumque obscuritatum versionis Latinae arcessenda sit. Solet nimirum vir bonus in convertendo Graecos articulos plane neglegere singulaque nomina articulis nudata eodem ordine quo conlocavit Priscianus Lydus exhibere. Quae ratio licet simplex atque commoda sit, tamen usque quaque semperque salvo sensu salvaque orationis perspicuitate usurpari non potest. Ne multus sim, uno sed luculento admodum exemplo defungar. p. 42, 13 Byw. haec exstant: [usi sumus] 'Didymoque de Aristotele et ipsius scriptore dogmatum'. Sagaciter Bywaterus haec verba Graece in hunc modum sonasse divinavit: 'Διδύμῳ τε τῷ περὶ Ἀριστοτέλους καὶ τῶν αὐτοῦ γράψαντι δογμάτων'. Hasce duas interpretis consuetudines utique teneat oportet quicumque cum Prisciano Latino rem habet. Iam de Geminiani libelli inscriptione videamus. Ac primum quidem quamnam Graecam vocem interpres illo 'commento' expresserit rimandum est. Cogitare quidem licet omnino de vocabulis ὑπόμνημα et ἐξήγησις. Utram vocem Priscianus dederit facili opera diudicari potest, dum modo barbari interpretis rationem vertendi reminiscamur eamque Priscianei fontium laterculi inscriptionem adsciscamus ubi vox commenti recurrit. Adserit enim Lydus p. 42, 14 Byw. sese usum esse 'et Dorothei Naturalium Aristotelis commento.' Ubi cum vocabulo commenti genetivus adiunctus sit, consequens est ut a Prisciano vox ἐξήγησις ac non ὑπόμνημα posita fuerit. Neque enim Graeci scriptores vocabulum ὑπόμνημα (= commentarius) cum genetivo libri ad quem pertinet hoc copulare solent, sed utuntur praepositione εἰς (cf. Maur. Schmidt. 'Did. Chalc. frg.' p. 12 sqq.

Θέωνος Ἀλεξανδρέως ὑπομνήματα εἰς τὴν Πτολεμαίου ʽΜαθηματικὴν σύνταξιν᾽; Εὐσταθίου ὑπομνήματα εἰς Διονύσιον innum. al.). Ergo Dorothei libri inscriptio Graeca haec fuit: *Δωροθέου τῶν ʽΦυσικῶν᾽ τῶν Ἀριστοτέλους ἐξήγησις.* Cum qua contendas indicem Hipparcheae scriptionis nuper a Manitio evolgatae: *Ἱππάρχου τῶν Ἀράτου καὶ Εὐδόξου ʽΦαινομένων᾽ ἐξήγησις.*

Quoniam quo vocabulo Graeco barbari interpretis ʽcommentum᾽ respondeat eruimus, extra dubitationis aleam positum est quem ad modum Gemini libellus Graece inscriptus fuerit. Aut fallor aut ille in fronte hunc gessit titulum: *Γεμίνου τῶν Ποσειδωνίου περὶ μετεώρων ἐξήγησις.* Vides Geminiani libelli indicem prorsus ad eandem rationem formatum esse ad quam librorum Dorothei et Hipparchi inscriptiones. Quaestio iam subnascitur ad vivumne quod aiunt resecemus Geminiani libelli quam Priscianus largitur inscriptionem necne, vel ut apertius loquar, Posidonii lucubrationem quae ʽ*περὶ μετεώρων*᾽ inscripta erat an aliam eiusdem auctoris scriptionem meteorologici argumenti a Gemino enarratam commentario atque inlustratam esse putemus. Quod si constaret titulum illum quem exhibet Lydus a Gemino libro suo impositum esse, res nulla disceptatione indigeret. Nec vero constat. Quicumque enim ceteros a Prisciano suppeditatos contemplatus erit librorum titulos, facili opera perviderit eos partim parum adcurate expressos esse: interdum enim Priscianus sat habet argumenta librorum indicasse. Cf. ex. gr. indices librorum Aristotelis hos [p. 41, 18 sqq. Byw.]: ʽactionibus Aristotelis de physica.... et *μετεώρων*᾽. Unde ambigi potest num Geminianus liber ea inscriptione ornatus fuerit quam apud Priscianum legimus. Sed nihil opus est hariolari aut suspicari, ubi certissime de controversia constituere licet.

Inspiciendum ʽSolutionum ad Chosroen᾽ cap. IV. Argumentum inibi explanatum primo enuntiato indicatur (p. 63, 24 sqq.): ʽet hoc deliberandum quare per unumquodque climatum sint IIII conversiones solaris anni, vernalis et aestiva et autumalis et hiemalis: et his in una distinctione temporis factis, diei et noctis magnitudo et brevitas et aeris perturba-

tiones et nimbus et caliditas et frigiditas per unumquemque locum et clima differt et variatur.' Quem ordinem insequens inquisitio adcurate servat utpote quae a conversionibus solis ordiatur et in quaestionem de calore et frigore decurrat. Sententiae autem tam arte inter se copulatae et conexae sunt, ut ex uno fonte cap. IV profluxisse satis constare videatur. Quod eo magis nobis statuendum est, quod ceteris quoque locis in adumbrandis singulis argumentis vel eruditionis locis Priscianus non, uti ipse vana iactatione gloriatur, complures sed fere unum auctorem in universum sequi solet. Luculentissimum exemplum circulatoriae illius Prisciani venditationis cap. X (p. 98, 24 sqq.) est. Quod excepto uno loco unius Aristotelis de ventis doctrinam expromit, licet Priscianus in calce disputationis suae admirabili cum gravitate adseveret (p. 104, 3 proxx.): 'haec enim sunt ex multis scriptoribus accepta adprobatione nobis sollicita de ventorum generatione et in quantum moventur et quo modo aera commovent proprio motu.' Cf. Rosei 'Anecd. Graecol.' (1864) vol. I p. 26.

Quem autem auctorem Priscianus in conscribendo cap. IV secutus est? Iam Blassius (l. l. p. 20) et Bywaterus (in adnot. ad cap. IV) definitiones notionum astronomicarum in cap. IV 'Solutionum' propositas summam similitudinem habere cum eis quae in Gemini 'Introductione' leguntur rectissime animadverterunt. Sed latius patet cognatio: namque etiam in aliis multis rebus sententiisque mirus inter 'Isagogen' et cap. IV Priscianei libelli intercedit concentus. Veluti quae Lydus p. 64, 25 sqq. de cingulis terrae exponit, ea eisdem ferme verbis expressa reperiuntur apud Geminum p. 29 'Uran.' Pet. Tamen toto quod aiunt caelo erraret, si quis quam nos tenemus Gemini 'Introductionem' a Prisciano ad usus suos advocatam esse putaret. Quod ne existimemus, vetat quod quamvis stricta sit atque praecisa Lydi oratio, tamen uberius ab eo Geminiana 'Isagoge' opus expilatum esse adhuc perbene cognosci potest. Atque suo iure Blassius — cui ceteroquin Priscianus diligentiore scrutatione indignus visus est — quasdam definitiones pleniorem formam ostendere commonuit (cf. eius

progr. p. 20), velut eam qua notiones vocabuli diei describuntur. Nam compara sis:

Prisc. p. 65, 22 sqq.	Gem. Isag. p. 13
dicitur enim dies tripliciter: aut secundum corpus aer a sole illuminatus;	ἡμέρα λέγεται διχῶς·
aut secundum ab ortibus in occasum tempus extentum, in quo centrum solis ab ortu in occasum pervenit, i. e. tempus a quo sol incipit superare orizontem usque dum totus occidat;	καθ᾿ ἕνα μὲν τρόπον χρόνος ὁ ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου μέχρι δύσεως·
dicitur quoque diei et noctis tempus dies.	καθ᾿ ἕτερον δὲ τρόπον ἡμέρα λέγεται χρόνος ὁ ἀφ᾿ ἡλίου ἀνατολῆς μέχρις ἡλίου αὖθις ἀνατολῆς.

Priscianum paullo locupletiorem esse agnoscis. Nam ut alia omittam, cum Geminus in 'Introductione' duas vocis diei notiones circumscribere satis habeat, apud Priscianum his tertiam adiunctam invenimus: quam cur Geminus in 'Introductione' non memorarit haud difficile est dispicere.

Porro haec considera:

Prisc. p. 65, 28 sqq.	Gemin. p. 12.
orizon autem dicitur circulus dividens manifestum mundi ab occulto et extremus visibilis hemisphaerii quod supra nos est circularis finis in campum pelagi undique nihil omnino obsistente, ita ut in circulari plano ambiat et resecet mundi manifestam sectionem, ad veritatem quidem minor hemisphaerio, ad visum vero hemisphaerium.	ὁρίζων δέ ἐστιν κύκλος ὁ διορίζων ἡμῖν τό τε φανερὸν καὶ τὸ ἀφανὲς μέρος τοῦ κόσμου καὶ διχοτομῶν τὴν ὅλην σφαῖραν τοῦ κόσμου, ὥστε ἡμισφαίριον μὲν ὑπὲρ γὴν ἀπολαμβάνεσθαι, ἡμισφαίριον δὲ ὑπὸ γῆν.

Maximi denique momenti est, quod in capite IV Prisciani sunt quae in 'Introductione' omnino frustra quaeras. Huc facit definitio p. 66, 3 sq. prolata. Quam tamen non ab ipso Lydo

adiectam esse, sed ex eadem officina prodisse e qua ceteras definitiones rerum astronomicarum cum per se admodum veri simile est, tum tota eius quasi clamat indoles. Perinde ambiguum esse nequit quin et extrema cap. IV[i] pars quae est de perturbationibus aeris et de similibus rebus ad eum revocanda sit cui cetera quae in hoc capite exponuntur debet Priscianus: quod artus quo illa cum praecedentibus continetur conexus abunde evincit. Neque vero quae ea pertrectantur res in Gemini 'Introductione' occurrunt. Unde exstare et eminere reor Priscianum ad componendum cap. IV 'Solutionum' non 'Introductionem' Gemini adhibuisse. Quo modo vero notandam illam quae inter hanc Gemini scriptionem et caput illud Prisciani intercedit sententiarum et interdum verborum convenientiam explicabimus? Nimirum statuendum est Prisciani cap. IV et Geminianam 'Introductionem' ex communi fonte manasse, e quo uterque auctor quae ei adridebant exscripsit. Hunc autem fontem indagare haud arduum est, dum modo Prisciani fontium laterculum auxilio arcessamus. In quo p. 42, 9, ut supra iam vidimus, 'Commentum Gemini Posidonii de *Μετεώρων*'' commemoratur: quod quin fundamentum sit et Prisciani cap. IV[i] et Gemini 'Introductionis' non poterit non conligere quicumque quae hucusque de ratione Priscianum inter et 'Isagogen' Geminianam intercedente disceptavimus secum reputarit.

Iam eo provecti sumus, ut diudicare possimus utrum Geminus Posidonii librum qui '*περὶ μετεώρων*' inscriptus erat interpretatus sit an res aliter se habeat. Cum Prisciani caput IV quod ex Gemini 'Commento Posidonii de *Μετεώρων*' haustum esse modo significavimus non caelestia tantum verum etiam sublimia contineat, adparet non ad librum 'De meteoris' Gemini commentarium pertinuisse Priscianumque parum adcurate libelli titulum expressisse. Ergo verba *περὶ μετεώρων* nihil indicant nisi libellum quem Geminus commentario explicavit fuisse meteorologici argumenti. Vocem autem *μετέωρα* a Prisciano non Posidoniano sensu usurpatam esse, sed volgari quo caelestia et sublimia comprehenduntur, non est quod expressis verbis

moneam. Cum igitur Geminus non librum Posidonii 'De meteoris' enarrarit, videamus num de altera scriptura cogitare liceat qua Posidonius de rebus meteorologicis egit, dico 'Elementa meteorologica'. Atque sane multa sunt quae nos ad hoc philosophi Rhodii opusculum vocent. Ac primum quidem paullo generaliorem proponere liceat deliberationem. Quodsi ambitum et indolem libri 'De meteoris' spectamus, non ita valde idoneum eum fuisse videmus qui commentariis instrueretur. Constabat enim minimum VII libris (cf. La. Diog. l. VII 144) in eoque pro eius ambitu singulae de rebus caelestibus quaestiones fuse et subtiliter expositae et excussae erant. Talis autem liber qui res ob quas disceptatur quaeque in contentione sunt diligenti et adcurata scrutatione persequatur atque adeo exhauriat, talis inquam liber multo minus ad commentandum invitat multoque omnino minorem et explicandi et disputandi materiem praebet quam compendium quo principia rudimentaque scientiae alicuius stricta oratione proponuntur. Quod quo iure adseramus perspiciet quisquis quantam nubem commentariorum breviculi Dionysii Thracis, Hermogenis, Hephaestionis, aliorum libri conflaverint recordatus erit.. Hisce autem libellis plane in aequo ponenda sunt Posidonii 'Elementa meteorologica'. Hinc etiamsi aliae rationes deessent, breve artis meteorologicae enchiridium a Gemino commentario explanatum quam diffusas disputationes 'περὶ μετεώρων' multo veri similius esse ego equidem autumare haudquaquam gravarer. Verum nil opus est in coniecturis versari, cum Geminianum 'Commentum' reapse ad Posidonii 'Compendium meteorologicum' pertinuisse certo comprobari possit.

Vidimus supra a Gemino librum aliquem philosophi Apamei explicatum esse qui et caelestia et sublimia tractaret. Quid 'Elementa meteorologica'? Nonne haec *μετέωρα* aeque ac *μετάρσια* respexerunt? Profecto hoc nobis statuendum erat. Accedit altera causa eaque gravissima quae ut Gemini commentarium ad '*Μετεωρολογικὴν στοιχείωσιν*' referamus suadet. Exstat enim in Alexandri Aphrodisiei comm. ad Aristot. 'Meteor. (cf. ed. Ideleri vol. II p. 128) disputatiuncula Gemini de arcu

caelesti. Quam cur ex huius 'Commento' depromptam esse existimandum sit infra exponemus. Quae propterea quam maxime notabilis est quod in ea Posidonii de arcu caelesti sententia quamquam suppresso auctoris nomine refertur et explanatur. Forte autem fortuna scimus quo in libro hic de iride egerit. Namque Laertius Diogenes relata eius de hac doctrina addit (cf. l. VII. 152): *ὡς Ποσειδώνιός φησιν ἐν τῇ 'Μετεωρολογικῇ'* (scil. *στοιχειώσει*).

Re ita comparata mihi quidem satis constare videtur Gemini 'Commentum' explanationi Posidonii 'Elementorum meteorologicorum' ac non libri '*περὶ μετεώρων*' inservisse Priscianumque paullo neglegentius titulum libri Geminiani expressisse.

Quoniam de Prisciano diximus, ad Simplicii de Gemino testimonium transgrediamur. De cuius interpretatione cum summa inter homines doctos controversia sit, diligentius illud considerari necessarium duco. Invenitur autem in Simplicii comment. ad Arist. 'Phys.' vol. I p. 291, 34 sqq. Diels., ubi legis haec: *ὁ δὲ Ἀλέξανδρος φιλοπόνως λέξιν τινὰ τοῦ Γεμίνου παρατίθησιν ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν ἐξηγήσεως τὰς ἀφορμὰς ἀπὸ Ἀριστοτέλους λαβοῦσαν.* Sequitur a Simplicio exscriptus locus. Pergit deinde Simplicius: *οὕτως μὲν οὖν καὶ ὁ Γέμινος* (corrigas *Γεμῖνος*) *ἤτοι ὁ παρὰ τῷ Γεμίνῳ Ποσειδώνιος τὴν διαφορὰν τῆς τε φυσιολογίας καὶ τῆς ἀστρολογίας παραδίδωσιν ἀπὸ τοῦ Ἀριστοτέλους τὰς ἀφορμὰς λαβών.* Cardo vertitur in explicandis verbis *λέξιν τινὰ τοῦ Γεμίνου παρατίθησιν ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν ἐξηγήσεως τὰς ἀφορμὰς ἀπὸ Ἀριστοτέλους λαβοῦσαν.* Quae verba qui adcuratius perpenderit aliqua labe turpata esse non poterit non pervidere. Namque ut alia taceam, longissime absunt ab integritate grammatica. Inter paucos illos qui de eorum sinceritate non dubitant M. C. P. Schmidt est (cf. 'Philol.' vol. XXXII [1884] p. 94). Qui verba *λέξιν τινὰ τοῦ Γεμίνου ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν* cohaerere censet, *ἐξηγήσεως* autem genetivum cum vocabulis subsequentibus *τὰς ἀφορμὰς*

— *λαβοῦσαν* coniungit. Neque vero hoc per artem grammaticam facere licet: quod ille vir doctus probe sensit, quamvis fortiter dissimulet (cf. 'Philol.' vol. XXXV [1886] p. 69 sqq.). Quodsi scriptor Graecus eam sententiam exprimere voluisset quae Schmidtio placet, ei dicendum erat: *τὰς τῆς ἐξηγήσεως ἀφορμὰς λαβοῦσαν*. Sed omnino vereor ut sic umquam homo Graecus locutus sit. Plane enim abundat superfluusque est genetivus *ἐξηγήσεως*, quandoquidem locutio *τὰς ἀφορμὰς λαμβάνειν ἀπό τινος* per se absoluta est atque perfecta nec ullo indiget additamento. Cf. sis extrema verba Simpliciani loci: *οὕτως — ὁ Γεμῖνος — τὴν διαφορὰν — παραδίδωσιν ἀπὸ Ἀριστοτέλους τὰς ἀφορμὰς λαβών*. Verum praeter hasce dubitationes grammaticas alius adest scrupulus haud levis. Etenim cum Priscianus Lydus a Gemino '*Ἐξήγησιν τῶν Ποσειδωνίου περὶ μετεώρων*' perscriptam esse diserte testetur, nihil mehercules perversius esse potest quam apud Simplicium ubi recte coniunctis verbis eundem fere titulum recuperamus, genetivum *ἐξηγήσεως* a verbis antecedentibus *τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν* divellere. Neque ego dubito quin M. C. P. Schmidt, vir ceteroquin iudicii sobrietate plane insignis, si Priscianum respexisset, hunc errorem devitaturus fuerit. Ergo utique inter sese copulanda sunt utpote individua verba *τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν ἐξηγήσεως*. Quod in memoria librorum nostrorum non satis adparet, tamen aliquo modo scriptori Graeco indicandum erat atque sine dubio indicavit Simplicius, adcuratae dictionis observantissimus patronus. Aut egregie equidem fallor aut ille dedit: *λέξιν τινὰ τοῦ Γεμίνου παρατίθησιν ἐκ τῆς ἐπιτομῆς ⟨τῆς⟩ τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν ἐξηγήσεως*. Iam omnia bene sese habent. Quam facile vero articulus *τῆς* post-*μῆς* extremam syllabam vocabuli *ἐπιτομῆς* evanescere potuerit, vix est quod diserte moneam. Qua leni medela totus Simplicii locus ad integritatem grammaticam revocatur nec residuum est quod displiceat.[1]) Verbo saltem Tan-

1) Hanc quam nos modo exposuimus et probavimus emendationem primus proposuit Dielsius in adnot. crit. ad Simplicii l. l. (vol. I p. 291, 25) nulla adiecta explicatione. Postea vero illam emendationem deseruit in

neryi (cf. 'Géom. Gr.' p. 32) coniecturam memorem haud male quidem illam excogitatam, sed ea quam nos commendavimus emendatione deteriorem. Auctor enim est Tannery ut pro *ἐπιτομῆς* exaretur *ἐπιτόμου*. Sed unde tandem rescivit ille Gemini 'Commentum' breve vel compendiosum fuisse? Adde quod verborum conlocatio nequaquam Tanneryi coniecturae favere videtur.

Quicumque autem nostram emendandi rationem amplectitur, Alexandro Aphrodisieo cui Simplicius ut ipse profitetur Geminianae *λέξεως* notitiam debet, non integrum Gemini 'Commentum' sed epitomam eius praesto fuisse concludat necesse est. Atque hanc epitomam ipse Geminus ne aliis segetes suas demetendas relinqueret confecisse videtur. In quo quid demirandum sit equidem non video. Namque uti supra cognovimus infraque cognoscemus Geminus duce 'Enchiridio meteorologico' totam Posidonii de rebus caelestibus et sublimibus doctrinam inlustrandam et explanandam sibi proposuerat. Quam provinciam ita administrasse videtur, ut Posidoniana simpliciter aliis verbis circumscribere haudquaquam satis esse ratus diligenter huius philosophi sententias excuteret et expenderet atque quotienscumque ab eo dissentiret, suam opinionem explicaret, quotienscumque autem haberet quae adderet, ea ne reticeret. Quid igitur mirum si hac ratione commentarius in largum volumen excrescebat? (cf. Boeckhii libr. 'Üb. d. vierj. Sonnenkr. d. Alten' [1863] p. 13). Quem si in paullo artiorem formam contraheret, spes erat fore ut multorum gratiam iniret. Neque cum commentarius insigni ac varia doctrina refertus esset, metuendum erat ne eius epitoma exilis aut exsanguis evaderet. Fortassis hic haud inepte quispiam de Hephaestione Alexandrino commonefaciat quem ipsum non semel sed bis 'Commentationem de metris' suam excerpsisse et decurtasse constat. Et tamen ultima faex nobis perquam pretiosa est.

---

addendisque ad vol. I p. XXXII articulum ⟨*τῆς*⟩ ante vocabulum *ἐξηγήσεως* inserere iussit (cf. etiam vol. II p. 1463). Huic viri summi coniecturae quam ob causam subscribere nequeam, ex eis quae supra disputavi adfatim elucet.

Verum aliquantisper in titulo Geminianae scripturae ab Alexandro Aphrodisieo suppeditato commoremur. Pertinuit igitur Gemini commentarius secundum Alexandrum ad Posidonii *Μετεωρολογικά*. At hic omnino non composuit librum qui tali inscriptione ornatus erat. Sequitur ut aut Alexandrum in adferendo titulo paullo neglegentius versatum esse ducamus aut Geminum ipsum parum adcurate significasse ad quodnam Apameensis opus commentarius referendus esset. Quippe Geminus ut quam Priscianus adfert inscriptionem libello suo praefigere non potuit — alioquin a se Posidonii scriptionem 'De meteoris' enarratam simulasset: talis autem fraudis suspicio in eum non cadit —, ita potuit libellum suum inscribere '*Ἐξήγησις τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν*'. Neque verendum erat ne quem in errorem induceret: etenim cum Posidonius librum inscriptione '*Μετεωρολογικά*' praeditum non confecisset, quivis statim intellegere debebat isto vocabulo non titulum sed argumentum explicati libri denotari. Hinc equidem veri dissimile esse non puto quem Alexander exhibuit libelli Geminiani indicem verum esse. Tamen si quis illum '*Ἐξήγησις τῆς Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῆς στοιχειώσεως*' adcurate inscriptum fuisse contendat, minime ego quidem obnitor.

Iam epitomae Geminiani 'Commenti' locum ab Alexandro exscriptum, ab Simplicio nobis servatum diligentius contemplemur, si quid inde ad adcuratiorem commentarii Geminiani cognitionem redundare videatur. Antequam vero de argumento tractato verba faciam, scrupulus quidam Blassii amovendus est. Qui vir doctissimus progr. l. p. 8 sic disputat: [Simplicius] 'apud Alexandrum Aphrodisiensem e quo totum hoc desumpsit, profecto non invenerat: *ὁ Γέμινός φησι ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῆς τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν ἐξηγήσεως*, qua ratione Dielsius Simpliciana verba ad integritatem grammaticam expleri posse putavit: talia enim si invenisset, numquam in eam opinionem inductus esset ut Posidonium ipsum loqui crederet. An vero de Alexandro, qui in Aristotelem commentarios conscripsit, vel Simplicius vel alius quisquam hunc in modum loqui potuit, cum verba ex eis commentariis attulisset: *οὕτω*

μὲν οὖν ὁ Ἀλέξανδρος ἤτοι ὁ παρὰ τῷ Ἀλεξάνδρῳ Ἀριστοτέλης τὴν διαφορὰν παραδίδωσιν?' Timeo ne Blassius nodum in scirpo quaerat. Nam nihil est profecto, quod nos impediat quo minus verba *οὕτω μὲν οὖν καὶ ὁ Γεμῖνος ἤτοι ὁ παρὰ τῷ Γεμίνῳ Ποσειδώνιος τὴν διαφορὰν τῆς τε φυσιολογίας καὶ τῆς ἀστρολογίας παραδίδωσιν ἀπὸ Ἀριστοτέλους τὰς ἀφορμὰς λαβών* ipsa quoque ex Alexandro a Simplicio translata esse arbitremur. Immo hoc ut faciamus cuncta suadent. Adsolent enim fere veteres scriptores longiusculas aliorum disputationes ita ipsorum orationi inferre, ut in fronte exscripti loci auctoris nomen ponant, in calce autem huius modi notulam adiciant: 'sic Gaius disserit'. Veluti Cleomedes in 'Theor. cycl.' l. I p. 58, 4 Ziegl.: *ἀπὸ τούτων ὁ Ποσειδώνιος τὸ ἐνδόσιμον λαβὼν καὶ πᾶν τὸ ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν κλίμα εὔκρατον εἶναι ὑπέλαβεν.* Secuntur ipsa Posidonii verba. Quibus relatis Cleomedes p. 58, 25 haec adiungit: *ὁ μὲν οὖν Ποσειδώνιος οὕτω φέρεται.* Alterum apud Proclum exstat exemplum. Qui in commentario in Euclidis 'Elem.' libr. I p. 176, 25 sq. Friedl. hoc ait: *ταῦτα μὲν οὖν περὶ τούτων ὀρθῶς Γεμῖνος διεῖλεν ἐξ ἀρχῆς, ὅτι τῶν γραμμῶν αἱ μέν εἰσιν κτἑ.* Ad finem perducta Gemini de lineis disquisitione probus compilator adnotat p. 177, 24: *τοσαῦτα καὶ ἀπὸ τῆς Γεμίνου φιλοκαλίας εἰς τὴν τῶν προκειμένων ἐξήγησιν ἀνελεξάμεθα.* Denique locum adponam Olympiodori. Qui in comm. ad Arist. 'Meteorol.' cap. XIII. 1 p. 239 vol. I Idel. haec scribit: *τῆς δὲ λοξῆς κινήσεως τῶν ἀνέμων ἄλλην μὲν αἰτίαν ὁ Θεόφραστος ἐν τοῖς οἰκείοις μετεώροις ἀποδίδωσιν, ἄλλην δὲ νῦν ὁ Ἀριστοτέλης. ὁ γὰρ Θεόφραστός φησιν κτἑ.* Relatis Theophrasti verbis Olympiodorus [p. 240]: *οὕτω μὲν ὁ Θεόφραστος.* Numerus exemplorum mirum quantum adaugeri potest. In primis Strabo istam citandi rationem in deliciis habebat. Cf. locos quos congessit Berger 'Geogr. Fgm. des Hipparch' (1869) p. 13. Sed exempla tria a nobis adlata satis valent ad opinionem nostram fulciendam qua confisi verba in fine Simpliciani loci et ipsa ex Alexandro petita esse contendimus.

Iam coniungamus notulam quae Geminianae disputati-

unculae praegreditur cum ea quae illam sequitur quidque ex illis consectarium sit aperiamus. Atque hoc statim praefracte nego ipsius Posidonii verba loco a Simplicio servato exhiberi. Etenim Alexander si apud Geminum ipsa Posidonii verba adposito huius nomine descripta invenisset, *λέξιν τινὰ Γεμίνου* se adferre nullo pacto dicere potuit prorsusque absurda eius clausula erat: *οὕτω μὲν οὖν καὶ ὁ Γεμῖνος ἤτοι ὁ παρὰ τῷ Γεμίνῳ Ποσειδώνιος*: perinde quasi quispiam exscriptis carminis quod *Λεόντιον* inscribitur ab Athenaeo in libro XIII servatis versibus hanc adnotationem subfixerit: *οὕτω μὲν οὖν καὶ ὁ Ἀθηναῖος ἤτοι ὁ παρὰ τῷ Ἀθηναίῳ Ἑρμησιάναξ*! At optimo iure Antonini Liberalis fab. XXXIX[ae] subscripserit quis: *οὕτω μὲν οὖν καὶ ὁ Ἀντωνῖνος ἤτοι ὁ παρὰ τῷ Ἀντωνίνῳ Ἑρμησιάναξ*. Namque Liberalis non ipsius Hermesianactis laudat verba, sed suis verbis quam apud Colophonium poetam legit fabulam enarrat. Haud aliter Geminus suis verbis Posidonii de discrimine inter astrologiam et physiologiam intercedente sententiam exposuisse censendus est. Sed unde hoc rescivit Aphrodisiensis? Non fallemur opinor, si ipsum Geminum sive initio sive in extrema parte istius disputatiunculae Posidonii sententias — non verba! — sese expromere aliquo modo significavisse autumabimus. Iam ultro patet qui Alexander dicere potuerit: *οὕτω μὲν οὖν καὶ ὁ Γεμῖνος ἤτοι ὁ παρὰ Γεμίνῳ Ποσειδώνιος κτέ.* Ceterum equidem iniudicatum relinquo utrum sententiae illae Posidonianae quas suis verbis circumscripsit Geminus sedem suam habuerint in 'Elementis meteorologicis' an ad horum explicationem ex libro 'De meteoris' aut ex 'Disputatione physica' ab interprete arcessitae sint. Hoc sane mihi veri similius videtur. Omnino dubitari nequit quin Geminus ad inlustrandum atque enarrandum enchiridium meteorologicum ampliores Apameensis de rebus physicis et meteorologicis libros adhibuerit.

Iam vero argumentum Geminiani loci consideremus.[1]) In cuius priore parte quid astrologia, physiologia quid sit prae-

1) Cf. Petersen 'Philos. Chrys. fundam.' (1827) p. 244; 251; 255.

cise exponitur. Prolixiore tum oratione munera astrologi et physici inter se comparantur. Hoc Geminiani commentarii frustulum ad quamnam Posidoniani libri partem explicandam perscriptum fuerit haud difficile est dictu: nam ad prooemium illud referendum esse argumentum tractatum satis arguit.

Alexandro Aphrodisieo ut ipse testatur Simplicius notitiam Gemini debet. Videamus nunc num ille ipse in commentariis suis Gemini mentionem iniciat. Revera semel hic ab Alexandro excitatur in commentario ad Aristot. 'Meteorol.' l. III. vol. II p. 128 Ideler. Sed integer locus exscribendus, cum totus ad Geminum revertatur. Cf. p. 127, 11 sqq.: *ὅτι δὲ ἡ ἶρις κατὰ ἀνάκλασιν γίνεται καὶ ἔστιν αὐτῆς κατοπτρικὴ ἡ φαντασία Φίλιππος μὲν ὁ ἑταῖρος Πλάτωνος δεικνύναι πειρᾶται διὰ τοῦ συμμεταχωρεῖν αὐτὴν ἐπὶ ταὐτὰ τοῖς ὁρῶσιν. Ὁπότε γὰρ ἐκεῖνος εἰς τὰ πλάγια μεθίσταιντο, ἐπὶ τὰ αὐτὰ πλάγια καὶ τὴν ἶριν φαίνεσθαι συμμεθισταμένην ὥσπερ ἑπομένην τῇ τοῦ ὁρῶντος ὄψει. Τοῦτο γὰρ ἴδιον τῶν κατὰ ἔμφασιν ὁρωμένων τὸ ἅμα τοῖς ὁρῶσι μεταχωρεῖν καὶ πρὸς τὰ δεξιὰ καὶ πρὸς τὰ ἀριστερά. Ἐπεὶ τά γε κατ' εὐθυωρίαν ὁρώμενα πᾶν τοὐναντίον ὁρᾶται ποιοῦντα. Εἰς μὲν γὰρ τὰ δεξιὰ τῶν ὁρώντων αὐτὰ μεθισταμένων ἐκεῖνα δοκεῖ πρὸς τὰ ἀριστερὰ ἀποκλίνειν· εἰ δὲ οἱ ὁρῶντες αὐτὰ εἰς τὰ ἀριστερὰ μεθίσταιντο, ἐκεῖνα φαντασίαν ἐπὶ τὰ δεξιὰ ἀποκλινόντων παρέχει. Οἱ δὲ περὶ Γεμῖνον καὶ Αἴλιον εἰς δεῖξιν τοῦ ἔμφασιν τὴν ἶριν εἶναι προσχρῶνται καὶ τῷ προσιόντων τε αὐτῇ δοκεῖν καὶ αὐτὴν προσιέναι καὶ ἀποχωρούντων ἀποχωρεῖν, ὥσπερ ὁρᾶται ποιοῦντα ἐν τοῖς κατόπτροις ἐμφαινόμενα.* Geminus hoc loco coniunctim cum Aelio aliquo commemoratur. Scriptorum serioris aetatis citandi rationem qui novit, is quid de duplici auctore Alexandri statuendum sit non nescit: nempe alterutrum alterius nomen largitum esse. Atque ubi de temporibus utriusque eorum qui laudantur constat, facillime diiudicari potest uter alterius mentionem suppeditarit. Exempli gratia dubium esse nequit quin auctor scholii ad Lycophr. 'Alex.' v. 615 (p. 127, 11 sqq. Kinkel) quod hanc clausulam subiunctam habet: *ἱστορεῖ δὲ τοῦτο Τίμαιος καὶ Λύκος ἐν τῷ τρίτῳ,* Lycum apud Timaeum

laudatum reppererit (vide Susemihl 'Hist. litt. Alex.' vol. I p. 572 adn. 258 et Geffcken 'Tim. Geogr. des West.' (1892) p. 5 cum adn. 1). Aeque plana res est apud Proclum in cuius commentario ad Eucl. 'Elem.' lb. I Heronis nomen semel cum Porphyrio (cf. p. 323, 7: *οἱ περὶ Ἥρωνα καὶ Πορφύριον*), semel cum Pappo (cf. p. 429, 13: *οἱ περὶ Ἥρωνα καὶ Πάππον*) copulatum legimus. Videlicet quae Proclus istis duobus locis de Herone tradit, ex Porphyrio aut ex Pappo manavere (cf. Tannery 'Géom. Gr.' p. 24). Lubrica vero res est et perdifficilis ubi de alterius laudatorum auctorum aetate parum constat. Quid quod re ita comparata omnino tibi desperandum certi quid erui posse, nisi forte alia argumenta suppetunt? Iam cum duos illos auctores ad quos Alexander provocat consideramus, Gemini tempora probabiliter definiri possunt (cf. infra p. 387 sqq.), at Aelius quis, quando fuerit prorsus obscurum inexploratumque est. Plane enim futtilis Ideleri est coniectura (cf. l. l. p. 128**) qui Aelium Stilonem, M. Terenti Varronis praeceptorem, intellegendum esse opinatur. Namque ut multorum scriptorum testimonio constat illum artis grammaticae et antiquitatum Romanarum studiosissimum, omnino scriptorum Graecorum et Latinorum litterate peritum fuisse (cf. Teuffel 'Hist. litt. Rom.' vol. I^5 § 148, 1), ita in historia naturali operam ei sumptam esse nemo prodit. Quod vero Idelerus l. l. adseverat: "uti ex Plin. 'Nat. hist.' IX. 25 patet, etiam ad naturalem historiam pertinentia conscripsit", mirum in modum fallitur. Nam evolvas quaeso Plinii locum (l. IX. c. 35, 123). Ibi legimus — sermo est de unionibus —: 'primum autem coepisse circa Sullana tempora minutas et viles Fenestella tradit: manifesto errore cum Aelius Stilo Iugurthino bello unionum nomen impositum maxime grandibus margaritis prodat.' Quicumque ex hoc loco Stilonem historiae naturali curam impertivisse eliciat, is profecto 'scit quod Iuno fabulata est cum Iove.' Mihi Stilonis disputatio potius ad artem grammaticam spectare videtur. Sed alius est Aelius cuius peritia rerum caelestium summis laudibus effertur: Aelius Hadrianus, patruus magnus cognominis imperatoris.

Verum testimonio quod de illo exstat adcuratius perpenso videmus eum non rationali seu mathematicae rerum caelestium pervestigationi vacavisse, sed Chaldaicis rationibus indulsisse. Cf. Script. Hist. Aug. (vit. Hadr. 1) p. 4, 3 proxx. Jord. et Eyss.: [imperator Hadrianus] 'ibi a mathematico (h. e. Chaldaeo. Cf. Sext. Emp. 'Adv. math.' l. V 1 sqq.) quodam de futuro imperio id dicitur comperisse quod a patruo magno Aelio Hadriano peritiam caelestium callente praedictum esse compererat.' Igitur hic quoque dimittendus. Quode ideo dixi ut caverem ne quis postea in eum incideret. Alius autem de quo cum aliqua probabilitate cogitari queat Aelius mihi non innotuit. Sed tamen licet Aelii nostri res Cimmeriis quasi tenebris obvolutae sint, erui posse puto Alexander Gemino notitiam Aelii debeat an Aelio Gemini. Duas potissimum res attendas velim. Ac primum quidem cum Alexander Aelium, hominem ceteris omnibus (perinde atque nobis) scriptoribus veteribus ignotum, nisi uno loco non commemoret, haud temerarium sit negare Alexandrum adcuratiorem illius tenuisse notitiam. Geminum contra Aphrodisieus probe noverat epitomamque eius 'Commenti' suis ipse manibus volvit: quod Simplicianus locus ostendit. Vel hac deliberatione instituta facile quis eo inclinaverit, ut l. i. Geminum ab Alexandro exscriptum Aeliique ex eo petitam esse mentionem existimet. Cui opinationi validum adstruere possumus firmamentum. Quodsi rem ob quam Geminus citatur spectamus, ad meteorologiam pertinere videmus. Disputat enim ille de iride et ita quidem ut quae de ea profert ad Posidonii de caelesti arcu sententiae explanationem conscripta esse in aprico sit (cf. cum s. scr. loco La. Diog. l. VII 152 et Senecae 'Nat. Qu.' l. I. 5. 10. Vide et Bakei 'Pos. Rhod. rell.' p. 76 sqq.). Haec qui cum animo suo agitaverit Gemini disputatiunculam ex eius commentario ad Posidonii meteorologica aut ex epitoma huius commentarii — seu ab Aelio seu ab ipso Alexandro (nil refert inpraesentiarum) — haustam esse iudicabit. Nunc vero Alexandrum Geminiani commentarii epitomam in manibus habuisse atque usurpasse certo scimus. Consequens est ut Alexander Geminum descripserit eique Aelii notitiam acceptam referat.

Quod supra totum scholium ex Gemino fluxisse adserui, id facili negotio comprobari potest. Relata enim Philippi, Platonis familiaris, argumentatione Alexander dicere pergit haec: *οἱ δὲ περὶ Γεμῖνον καὶ Αἴλιον εἰς δεῖξιν τοῦ ἔμφασιν εἶναι τὴν ἶριν προσχρῶνται καὶ τῷ - δοκεῖν κτλ.* Aciem intendas ad verbum *προσχρῶνται*: e quo a Gemino Philippi rationem probatam et usurpatam esse elucet atque adparet.

Summa autem eorum quae hucusque de Gemino disceptavimus est haec: composuit nescio quis Geminus '*Ἐξήγησιν τῶν Ποσειδωνίου Μετεωρολογικῶν*' qua Posidonii 'Elementa meteorologica' explicaret et enarraret. Qui libellus cum maioris molis esset ab ipso auctore in breviorem formam redactus est. In explanatione autem rerum sic versatus est, ut Posidonii sententias diligenter excuteret, nec non ubicumque ab eo dissidebat quid ipse sentiret exponeret. Quod non raro factum est. Veluti, id quod Prisciani 'Solutionum' cap. IV dilucide docet, Posidonii de zonis terrestribus opinionem improbabat.

De ratione quae inter Gemini 'Commentum' et eius 'Introductionem' est pauca iam protulimus. Atque hoc nobis evicisse videmur firmissimo necessitudinis vinculo istos duos Gemini libros copulatos ligatosque fuisse. Mire enim in rebus sententiisque conspirant sed ita ut 'Commentarium' 'Introductione' multo uberiorem et locupletiorem fuisse attente considerantes haud lateat. Erraret autem vehementer si quis hanc nil aliud nisi epitomam illius esse opinaretur. Quod ne credamus totus 'Isagoges' habitus totaque eius indoles quam maxime adversantur. Neque enim illa ita comparata est, ut qui eam legunt rudera exegeseos alicuius se tenere putent. Cui sententiae in primis ratio disputandi adhibita obstrepere mihi videtur. Quippe strictim res referuntur, non explanantur aut expenduntur. Ne multa: quae commentariorum propria sunt, ea 'Introductioni' desunt omnia. Ergo aliter concentus qui inter hunc librum et 'Commentum' intercedit explicandus. Recte si video, res simplicissima est. Videlicet Geminus posteaquam grandem et amplum in Posidonii 'Elementa meteorologica' commentarium conscripsit, cum ab illo omnia recte administrata

non existimaret, consilium cepisse censendus est, quae ipse de rebus caelestibus (μετέωρα) sentiret — nam ad haec sola pertinet 'Introductio' —, paucis plagulis exponere. Hoc autem facere non potuit quin commentarium respiceret in Posidonii enchiridium compositum in quo respectu Posidonii sententiarum ab eisque semper orsus singula eorum quae ad meteorologiam spectant diligenter et fuse excusserat et scrutatus erat. Cum vero ratio et consilium 'Isagoges' prorsus alia essent atque 'Commenti', ultro patet hoc simpliciter a Gemino decurtari non potuisse, ut illa evaderet. Nihil ultra dicendum quam Geminum, cum plane novam scripturam conderet, litteratum ipsius commentarium ante perscriptum adhibuisse.

Sed iam paulisper sistamus gradum. Vides ad prorsus contrarium scopum nos pervenisse atque Blassium. Nam cum hic ingenii lusibus bellis splendidisque quidem, sed parum utilibus usus Geminianam 'Introductionem' ex uno Posidonio manasse statuisset, nos exacta testimoniorum veterum interpretatione adhibita nihil ex illis de ratione quae Posidonium inter et 'Isagogen' intercedit effici posse ostendimus.

Poteram sane multo compendiosiore via Blassii errores captionesque discutere ita ut Gemini 'Introductionem' multa continere ostenderem quae a Posidonio aliena esse quicumque non occupata opinione ad istum librum accesserit ilico pervideat. Obligatis uteretur oculis qui cap. XII et priorem cap. XIII partem ad Posidonium reverti contenderet: ubi quae de terrae cingulis nobis propinatur doctrina toto caelo a Posidoniana distat. Perinde cap. XIV quod 'περὶ σημασιῶν' inscriptum est Posidonii stilo excidisse nequit. Namque cum ab hoc astrologiam (h. e. Chaldaeorum rationes) strenue et enixe defensitatam esse compertum habeamus (cf. Schiche 'De font. lib. Cic. q. s. de div.' [1875] p. 8 sqq. et Schmekel l. l. p. 244 sqq.), ab auctore disquisitionis 'de significationibus astrorum' tamquam iusto fundamento carens acerrime illa impugnatur. Quippe principale omnium astrologiae defensorum argumentum quod absoluta quadam omnium rerum compassione (συμπάθεια τῶν ὅλων) continetur recto talo stare negat, cum dicit (p. 34, 14 sqq.

'Uran.' Pet.): 'Ησίοδός φησι [Opp. et D. u. 383/4 p. 227 G.[3]]

Πληιάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ' ἀμήτου, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων.

Οὐ διὰ τὴν τοῦ ἄστρου δύναμιν· παντελῶς γάρ ἐστιν ἀπόπληκτον· εἴτε γὰρ πυρινά ἐστι τὰ ἄστρα εἴτε αἰθέρια, ὥς ἀρέσκει τισίν· πάντα τῆς αὐτῆς οὐσίας καὶ δυνάμεως κεκοινώνηκε καὶ οὐδεμίαν συμπάθειαν ἔχει πρὸς τὰ ἐπὶ τῆς γῆς γινόμενα. Talia qui ab Apameensi scribi potuisse credat, is vereor ne silices concoquere valeat. Possum alia adferre quae a Posidonio aliena esse certissimis potest demonstrari argumentis. Sed nil opus est lucernam in diem proferre. Etenim ex duobus modo indicatis locis satis perspicitur quo iure vel potius qua iniuria Blassius ex uno Posidonio Gemini 'Introductionem' concinnatam esse posuerit.

Quae cum ita sint, Blassianam opinionem sepeliamus unaque cum ea famosam illam commentationem quae inscriptione ornata est: 'De auctoribus quibusdam qui Posidonii libros meteorologicos adhibuerunt. Scr. Fr. Malchin.' (Rostochii 1893). De qua dissertatione equidem iudicium facere nolim. Satis habeo eas sententias adposuisse quas ille utpote fundamentum in fronte libelli sui conlocavit: 'Posidonii libros qui περὶ μετεώρων inscripti erant Prisciano Lydo auctore Geminus excerpsit(!!). Gemini epitome a compilatore quodam (?) amputata in hanc aetatem permansit, atque ex iis partibus, quae a ceteris disiunctae interierunt, Simplicius haud breve caput servavit. Ipsum Posidonii opus a Diogene Laertio duobus locis laudatur. Haec fere de libris illis meteorologicis constant(!!!).' Haec intellegentibus iudicibus sufficient.

Verum iam tempus est ad id respondere cuius causa totam de Gemino disputationem instituimus. Conducitne igitur Posidonii doctrinae meteorologicae reliquias indagaturis a Gemini 'Isagoga' proficisci? Quod duplici de causa negabimus: primum quidem quia plane non constat quatenus Geminus in componenda 'Introductione' Posidonium secutus sit; deinde quod libri manu exarati huius libelli nondum qua decet adcuratione

excussi sunt. Atque contextus Petavianus (nam Halmam nil moror) quam sublestae fidei sit quamque vehementer libri ab eo recedant paucis sed admodum luculentis exemplis ostendit M. C. P. Schmidt in 'Philol. Wochenschrift' vol. III nr. 27 p. 837. Iustam autem quaeque omnibus numeris absoluta sit atque perfecta editionem mox nos tenturos auguror: nam Manitium, virum mathematicorum Graecorum in paucis peritissimum, qui Hipparchi 'Exegesin' nuper in lucem emisit, in adornanda Geminianae 'Introductionis' editione occupatum esse audio.

Neque vero iam nobis dimittendus est meteorologus Geminus; restant enim non nullae de eo controversiae quas expedire aut indicare saltem operae pretium esse duco. Gravissima autem quaestio est quaenam ratio inter Geminum astronomum seu meteorologum et eiusdem nominis mathematicum intercedat. De qua quaestione ego principio in animo habebam decidere: cum vero Car. Tittel amicum idem moliri comperissem, consilium abieci vel potius immutavi paullulum. Missa enim adcuratiore illius quaestionis tractatione ea tantum modo proferre constitui quae rem paullo acrius intuentibus suapte sponte sese obtrudant. Ut statim dicam quae mihi ratio inter Geminum mathematicum et astronomum esse videatur, nullus dubito quin hic idem sit atque ille. Quod ut credam tribus potissimum causis adducor. Atque primum quidem utriusque Gemini disserendi ratio simillima. Maiora enim Gemini mathematici scripturae frusta conservata egregio illo exquisitaque doctrina adfluenti Procli Diadochi in Eucl. 'Elem.' librum I commentario nec non 'Variis incerti auctoris conlectionibus' ab Hultschio e tribus libris Parisinis in calce editionis Heronis Alexandrini (Berol. 1864) evolgatis qui vel cursim perlegerit singularem disputandi rationem admiratus erit. Non tam sermonem tersum et luculentum premam, quam morositatem illam molestamque paene diligentiae perversitatem qua Geminus notiones mathematicas dissecat dissectasque discerpere non desistit. Consimiliter auctorem 'Introductionis' mirum et singulare studium notionibus astronomicis dissolvendis impen-

dere videmus. Deinde magna sententiarum communitas est fragmento ex epitoma Geminiani 'Commenti' apud Simplicium servato cum mathematici Gemini disputatiuncula de discriptione artium mathematicarum (cf. Procli comm. in Eucl. 'Elem.' l. I p. 38, 1—42, 8. Vide et Tannery 'Géom. Gr.' p. 38 sqq.). Postremo uterque Geminus Stoicorum sectae addictus fuisse videtur. Quod cum ex aliis rebus concludendum est, tum inde quod ambo ad Stoicos auctores provocare singularibus in deliciis habent. Atque mathematicus Geminus apud Proclum l. l. p. 395, 14 Chrysippum laudat; aliis rursus locis paullo generalius de iis loquitur qui cum Stoicis faciunt (*οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς*) (cf. Procl. l. l. p. 77, 3; 89, 17; 194, 1; 397, 2). Plurimus vero est in adferendo Posidonio Apameo adeo ut eum huius studiosissimum fuisse dilucide adpareat.[1]) Iam Geminum meteorologum vel astronomum consideremus. Qui pro libelli sui consilio in 'Introductione' scriptorum nomina profert rarissime: tantum XVII scriptores in genuinis 'Introductionis' partibus laudantur. Quos cum acrius intuemur, invenimus quattuor eorum germanos Stoicos fuisse: Aratum (cf. Susemihl 'Hist. litt. Alex.' vol. I p. 288), Boethum, Cleanthem, Cratetem; duos autem magnam cum Stoicorum secta necessitudinem habuisse: Eratosthenem (cf. Susemihl. l. l. p. 410 sqq.) et Polybium (cf. Hirzel 'Unters. zu Cic. philos. Schr.' vol. II [1882] p. 841 proxx. et Scala 'Die Stud. des Polyb.' vol. I [1890] p. 201 sqq.). Ex iis autem qui residui sunt scriptoribus, quattuor apud Stoicos plurimum auctoritate valebant: dico Homerum, Hesiodum, Aristotelem, Hipparchum. Quorum posteriores duo praecipue a Posidonio magni aestimati sunt. De septendecim igitur scriptoribus in 'Introductione' commemoratis decem sunt aut Stoici aut Stoicis plurimi ducti. Nonne hinc iure ac merito quis Geminum astronomum a Stoicorum partibus stetisse effecerit? Quod vero supra Geminum mathematicum Posidonii studiosissimum fuisse adfirmavimus, idem de meteorologo valet. Qui etsi in 'Introductione' nullo loco

1) Stoica quaecumque in Procli commentario insunt ex Gemino fluxere (cf. Tannery 'Géom. Gr.' p. 18 sqq.).

Posidonii mentionem fecit, tamen eum non ignorabat. An non exinde quod philosophi Apamei 'Elementa meteorologica' commentario inlustravit, consequitur eum peculiare illi studium impendisse? Sed haec hactenus. Possunt multa alia adferri quibus arguatur nil esse causae quare Geminum mathematicum a meteorologo diversum esse putemus: verum mihi praecipua delibasse satis est.[1]) Tamen hoc unum addiderim quod ad nostram de Gemino sententiam conroborandam non nihil facere videatur. Constat nimirum Geminum mathematicum etiam astronomiae operam navasse. Quod ex ea re liquet quod ille in opere suo 'περὶ τῆς τῶν μαθημάτων τάξεως' singulari capite illam scientiam tractavit (cf. Procl. l. l. p. 41, 19—24).[2])

His peractis iam inquirendum est qua fere aetate Geminus fuerit. Atque terminum quem vocant 'post quem' eo nanciscimur quod Posidonius a Gemino laudatur, terminum vicissim 'ante quem' eo quod ipse Geminus ab Alexandro Aphrodisieo citatur quem sub imperio Septimii Severi floruisse scimus (cf. Philopon. ad 'Anal. pr.' fol. 33 b). Verum artioribus terminis Gemini tempora circumscribi possunt adhibito loco quodam 'Isagoges'. Famosus est ille locus de Isiis Aegyptiacis (cf. 'Intr.' cap. V p. 19 'Uran.' Pet.) cuius ope quando 'Introductio' conscripta sit sat adcurate eruere licet. Discrepant sane paullulum hominum doctorum sententiae de temporis nota ex isto loco petenda: nam cum Petavius (cf. l. i. p. 19 not.) computatione instituta invenisset annum a Chr. nat. LXXVII; Boeckhius (cf. 'Üb. d. vierj. Sonnenkr. d. Alten' [1863] p. 203) annos LXXIII—LXX; Blassius (cf. eius prg. cit. p. 5) annos LXXIII—LXVII: Tannery aliter rationes rettulit (cf. 'Géom. Gr.' p. 30 proxx.) ostenditque 'Introductionem' utique post annum a. Chr. natum LXX, fortasse vero non ante annum a. Chr. nat. XXX perscriptam esse. Quibus equidem nihil habeo

1) Fusius disputabit C. Tittel qui et scrupulum Manitii (cf. 'Comm. Fleckeis.' [1890] p. 102) evellet.

2) Ceterum haec de rebus caelestibus disputatio plane aliud consilium secuta est atque 'Introductio'; insuper ab hac argumento tractato aliquantum differebat.

quod adiciam nisi album calculum me tribuere sententiae Tanneryi cuius argumenta tam valida mihi videntur esse ut redargui nequeant.[1])

At negat Blassius l. l. p. 10 illam temporis notam ad Geminum pertinere; potiusque referendam censet ad Posidonium cum ex hoc Geminus 'Introductionem' suam consarcinaverit. Quod argumentum nihili est, siquidem Blassio minime contigit ut Geminum omnia sua a Posidonio suffuratum esse demonstraret. Iam supra nos duas maiores indicavimus 'Isagoges' partes (cap. XII. XIII prior. part. XIV) quae ex Posidonio certo non manavere. Quibus facili opera cum alia adiungere possis, tum quae agitur de Isiis Aegyptiacis disquisitionem. Nam est certa quaedam causa qua de Posidonio auctore cogitare prohibeamur. Gemini enim disputatio spectat ad refutationem eorum qui hibernas solis conversiones in festum Isidis incidere arbitrentur: in quorum numero Posidonius fuisse videtur. Hoc inde concludo quod errorem illum quem Geminus exagitat apud Achillem secure propagari video et quidem loco quodam (cap. XXIII p. 85 'Uran.' Pet.) quem ex Diodoro sumptum esse Stoicus color (cf. praesertim l. l. p. 85, 6—18) adfatim docet. Atqui Diodorus maximam partem Posidoniana protulit (cf. Dielsii 'Doxog.' p. 19 sqq.). Qui si apud Apameensem eum errorem qui a Gemino reprehenditur refutatum repperisset, vehementer procul dubio veritus esset eum recoquere. Sequitur ut disputatio de Isiis Aegyptiorum quae in 'Introductione' legitur a Posidonio abiudicanda sit temporisque indicium quod ex illo loco nascitur ad Posidonium non pertineat[2]). Re ita comparata nihil est cur illud non ad Geminum referamus. Quod facere cogemur adeo, si alia temporis

1) Voluntate in antecedentibus memorare omisi Brandesii commentationem quae 'Über das Zeitalter des Astronomen Geminos und des Geographen Eudoxos' inscribitur (cf. 'Jahrb. für Philol. u. Pädag.' suppl. XIII [1847] p. 199 sqq.), quoniam Boeckhius l. l. p. 10 sq. futtilitatem istius disputationis luculenter coarguit.

2) Quodsi constaret 'Isagogen' Geminianam non ante XXX a. Ch. nat. annum confectam esse (cf. supra p. 387), Blassii opinatio omnino non indigeret refutatione.

nota indagari poterit quae et ipsa ad primum ante Chr. nat. saeculum spectet. Talis autem exstat. Quae quamquam ex silentio arcessita est, tamen firmitate haudquaquam caret. Cum omnes qui a Gemino et in opere 'De distributione artium mathematicarum' et in scriptis meteorologici argumenti laudantur scriptores componimus, sat grandis evadit numerus. Neque vero ullus istorum scriptorum Posidonii memoriam superat. Nam ultimus ipse Posidonius est. Quibus reputatis haud temerarium sit conligere Geminum aut aequalem Posidonii fuisse aut non ita multo post eum aetatem degisse. Hoc autem illud tempus est quod computatione instituta ex loco de Isiis elabitur. Hisce duobus indiciis coniunctis satis constare existimo Geminum primo a. Chr. nat. saeculo floruisse atque 'Introductionem' utique post annum LXX, fortassis vero non ante annum XXX conscripsisse.

Sed dubitant Blassius (cf. l. c. p. 10) et Manitius (cf. l. i. p. 102) propter nominis formam Geminum primo ante Christum saeculo adsignare. Atque ille sic disputat l. l.: 'Auditorem dicunt Geminum Posidonii fuisse, Rhodique et ipsum habitavisse. Utrum igitur is Romanus natione fuit an Graecus? Si enim Graecus, velim mihi explicet aliquis, qua ratione Romano nomine vocitetur, cum nequaquam illa aetate Romana Graecis permixta fuerint, neque exstet ex ea ullum exemplum hominis Graeci sine Graeco nomine. Nam id quidem nihili est, quod quidam *Γεμῖνος* nomen (ita enim plerumque in codicibus scribitur) Graecum esse perhibent, cum nihil Graeci insit praeter accentum; eum enim Graeci ad similitudinem nominum qualia sunt *Στασῖνος, Κρατῖνος* immutaverunt. Si autem Romanus fuit Geminus, primum id ipsum magnopere mirum est, siquidem rarissime tunc temporis Romani homines ad illa studia se adplicuerunt. Tum si quis fuit sive Romanus sive Siculus tam egregie doctus qualis in hoc scripto adparet, quo modo latuit? Exspectandum enim erat, et apud Ciceronem nomen eius frequens esse et apud alios, cum eis annis scripserit, qui plurimis ingenii Romani monumentis inlustrantur.' Cuius deliberationis posteriorem partem secure silentio praeterire possumus.

Namque praeterquam quod illa in hariolationibus versatur umbris tenuioribus, extra dubitationis aleam positum est, quin Geminus homo Graecus fuerit. Hoc enim inde efficitur cogiturque quod Graeco utitur sermone sat puro nec ineleganti adeo ut patrius ei fuisse videatur atque avitus et quod nisi Graecos scriptores nullos commemorat. Litterarum autem Latinarum per totam 'Introductionem' nec vola est neque vestigium. Itaque una prior particula Blassii disputatiunculae examinanda est. Quodsi ille recte posuit formae *Γεμῖνος* a plurimis codicibus suppeditatae [1]) nihil Graeci inesse nisi accentum eamque Romano nomini 'Geminus' respondere, Geminus noster sane non ad primum ante Chr. nat. saeculum pertinet, sed potius aevo Caesariano addicendus est [2]). Verum enim vero subtimeo ne

1) Ut ipse iudicare possis, cunctos tibi effundam locos qui nominativum aut adcusativum nominis Gemini praebent, adiecta ubi est librorum varia scriptura. Incipiam ab eo scriptore, qui frequentissime Gemini mentionem inicit, a Proclo Diadocho, Euclidis commentatore. Apud hunc forma *Γεμῖνος* hisce locis reperitur: p. 38, 4; 105, 26; 111, 1; 112, 23; 117, 23; 176, 26; 183, 15; 195, 5; 202, 12; 251, 4; 251, 8; 395, 14. Adcusativum *Γεμῖνον* legis p. 185, 8; 188, 5; 188, 11. Omnibus hisce locis omnes libri antepaenultimam syllabam vocis Gemini circumflexo accentu ornatam habent [cf. Schol. in Eucl. El. (vol. V Eucl. ed. Hbg.) p. 107, 20 et 134, 12]. Consimiliter res habet in laterculo 'Interpretum Arati' vitiose inscripto, quod cod. Vat. 191 (sc. XIV) et Vat. 381 (sc. XV) servatam est. Quode adi Maassi 'Arateorum' p. 121 sqq. Nec aliter omnes Pappi (vid. '*Συναγ. μαθ.*' l. VIII 3 p. 1026, 8 Hultsch.) libri concinunt in forma *Γεμῖνος*. De scriptura librorum Alexandri Aphrodisiensis parum constat. Nondum enim qua decet adcuratione excussi sunt. Ideleri quidem contextus (cf. Aristot. 'Meteor.' vol. II p. 128, 1) exhibet formam *Γεμῖνον*. Valde autem fluctuant codices Eutocii in Apollonii *Κωνικά* commentarii. Etenim p. 168, 17 (vol. II Apoll. ed Hbg.) cod. Vat. 191 (sc. XIII) praebet *Γεμῖνος*, cod. Par. 2342 (sc. XIII) *Γεμίνος*, cod. Vat. 204 (sc. X) *Γεμινος* (sic!). P. 107, 25 cod. Vat. 191 et cod. Vat. 203 (sc. XIII) *Γεμῖνος*, cod. Par. 2342 *Γεμίνος*, cod. Vat. 204 *Γεμινος* (sic!). Contra libri ms Simpliciani comm. in Aristot. 'Phys.' quos Dielsius duces secutus est praebent p. 292, 29 formam *Γέμινος*. At in aliis istius commentarii libris exstare formam *Γεμῖνος* inde suspicari licet quod Aldina hanc largitur. Constat igitur de forma *Γεμῖνος*: quae etiam in tit. qdm. Gr. exstat. Cf. C. I. G. 4684 c (*Γεμεῖνος*).

2) Recte enim Blassius l. l. infitiatur ex primo saeculo antechristiano

vir eximius ista quae de Gemini nomine disputavit quibusque Manitio imposuit non multis persuadeat. Ac primum quidem parum veri simile est Graecos eo licentiae progressos esse ut notissimum nomen Romanum tanto opere deformarent quanto opere fit si formam *Γεμῖνος* Romanorum Gemīno respondere putaveris. At si Blassius a librariis Graecis serioris aevi (nam forsitan de his cogitaverit cum nude Graecos poneret) in libris nostris pro pristina forma *Γέμινος* clam invectam esse censet *Γεμῖνος*, nihil equidem moror; nam forma *Γεμῖνος* exstat in inscriptione quadam Graeca Caesarianae aetatis (cf. nostrae diss. p. 390 adn. 1): unde conficitur eam non fraude nescio qua librariorum creatam esse. Dein sane quam falsum est quod in forma *Γεμῖνος* nihil Graeci inesse contendit praeter accentum. Immo facile et luculenter demonstrari potest probam esse formam Graecam atque perfectam. Etenim quem ad modum a verbo *ἀλέξ-ω* formatum est nomen proprium *Ἀλεξ-ῖνος*, ab *ἔργ-ω* autem *Ἐργ-ῖνος*, item — quis non videt? — a *γέμ-ω* ductum est *Γεμ-ῖνος*. Nihil igitur impedimento est quo minus Gemini nomen Graecum esse ducamus. Iam subtracto validissimo quo nititur Blassiana coniectura fulcimento concussa corruit.

Denique mirus quidam Manitii error circa definitionem temporum Gemini commissus refutationem opperitur. Confidentius enim quam verius vir doctus ille l. l. p. 101 haec ait: 'Die bisherige Annahme, dass die Isagoge zwischen 90 und

---

ullum exemplum exstare hominis Graeci sine nomine Graeco. Quippe demum temporibus Caesarianis Romana cum Graecis ita permixta sunt ut Graeci Romana nomina sumerent. Quod volgo facere coeperunt ut videtur imperante Domitiano. Cf. C. I. A. vol. III nr. 1091 ubi Graeci nobis occurrunt hisce nominibus Romanis ornati: *Πρεῖμος* et *Πρῖμος* (utrumque bis in eodem titulo), *Βάσσος, Φαῦστος, Νίγρος*. Vide et C. I. G. ed. Dittbgr. vol. I nr. 3077 ubi nobis obviam fiunt *Πρεῖμος* et *Μαρκιανός*. Eadem ferme tempestate fuit vir Graecus litteris clarus cui Romanum nomen erat: Rufus Ephesius, medicus inlustrissimus. De cuius aetate vide ed. Darembergi et Ruelli (1879) p. 3. Ceterum altero p. Chr. saeculo Graeculi adeo insaniebant circa nomina Romana: id quod inscriptiones satis docent. Cf. C. I. A. III 1148, 1133, al. mult.

71 vor Chr. verfasst sei, wird hinfällig durch die Zitierung des Philosophen Boethus, welcher kein anderer ist, als Boethus von Sidon, der Zeit- und Studiengenosse des 66 vor Chr. (nempe 63 a. Chr. nat. cf. Niese 'Mus. Rhen.' vol. XXXVIII p. 567 sqq.) gebornen Geographen Strabo.' Quibus verbis hunc Strabonis subiunxit locum (l. XVI p. 757 C.): *καθ' ἡμᾶς δὲ ἐκ Σιδόνος μὲν ἔνδοξοι φιλόσοφοι γεγόνασι Βόηθός τε, ᾧ συνεφιλοσοφήσαμεν ἡμεῖς τὰ Ἀριστοτέλεια, καὶ Διόδοτος ἀδελφὸς αὐτοῦ.* Insigniter Manitius erravit Boethum qui in Geminiana 'Introductione' excitatur eundem esse ratus atque Strabonis aequalem. Qui peripateticus philosophus erat, uti vel ex Strabonis additamento *ᾧ συνεφιλοσοφήσαμεν τὰ Ἀριστοτέλεια ἡμεῖς* elucet (vide Susemihl 'Hist. litt. Alex.' vol. I p. 307). A quo probe secernendus est Boethus ille qui e ipse Sidone oriundus erat, sed Stoicum se profitebatur. De cuius aetate beneficio Stoicorum catalogi Herculanensis luculenter nunc constat (cf. Susemihl 'Mus. Rhen.' vol. XLVI p. 321): fuit scilicet discipulus Diogenis Babylonii quem quidem anno a. Chr. nat. 155 ab Atheniensibus una cum Carneade et Critolao Romam legatum missum esse accepimus (cf. Cic. 'Acad.' II 137; 'De orat.' II 155; al. loc.). Hunc Boethum ac non cognominem philosophum peripateticum in cap. XIV Gemini 'Isagoges' laudari comparatione duorum locorum Ciceronis libri qui est de divinatione evincitur (cf. Gem. 'Isag.' p. 35 med. 'Uran.' Pet. cum Cic. 'De diu.' l. I 13 et l. II 47). Boethi ergo mentio nostrae de Gemini temporibus sententiae minime obstrepit.

Haec fere habui quae de Gemino, 'Introductionis' auctore, exponerem. Exspectaverit fortasse quispiam ut etiam de loco quo Geminus scripsisse videatur verba facerem. Quam quaestionem propterea non attigi quod iam Schmidt in 'Philol.' vol. XLII p. 116 sqq. tam diligenter eam tamque exacte dispensavit ut novi quidquam vix possis addere.

Iam relicto Gemino ad ultimum de quo dicturus eram Posidonianae doctrinae rivolum nos convertamus, ad **Cleomedem.** Sub cuius nomine scriptio circumfertur quae inscripta est '*Κυκλικὴ θεωρία μετεώρων*'. Priusquam vero quae ratio Cleo-

medem inter et Posidonium intercedat exponam, pauca de illius aetate praefari e re esse mihi videtur. Nam quis ubi fuerit prorsus ignoramus, cum ipse de se nihil tradat neque quisquam veterum scriptorum — consulto misellum Pselli testimonium omitto (cf. eius 'Omnif. hist.' cap. 117 apud Fabric. 'Bibl. Gr.' V [1712]) — eum commemoret. Tamen hoc unum contendere fas est philosophis potius quam astronomis aut mathematicis Cleomedem accensendum esse. Nam tota eius disceptandi ratio philosophantis est, non mathematici viri exacte computantis subtiliterque rationes subducentis. Hinc iure a Psello l. c. *Κλεομήδης ὁ φιλόσοφος* nuncupatur. Neque dubium esse potest, quin Stoicorum sectae addictus fuerit, cum eius libellus Stoicorum doctrina scateat. Tempora autem Cleomedis vereor ut artis terminis circumcludi queant. Quamquam Zieglerus in dissertatione sua 'De vita et scriptis Cleomedis' (1878) ratione quadam astronomica instituta aetatem eius adcuratius definivisse sibi visus est. Sed recte contra eum disputavit Blassius l. l. p. 24 not. 1. Qui Ziegleri argumentationem propterea futtilem esse autumavit, quod quaecumque Cleomedes profert ea non ipsius sed aliorum esse constat (cf. infra), ita ut ad eius aetatem enucleandam parum valeant. Tum haud dubie suo iure idem Blassius l. l. incertissimum esse pronunciavit num omnino Cleomedis auctor stellam quae agitur adcurate observaverit, cum exceptis perpaucis hominibus doctis, veluti Hipparcho, veteres in hac re paullo neglegentiores fuisse res sit explorata. Quod quam adposite Blassius monuerit inde perspicuum est, quod observatio illa (cf. Cleom. l. I cap. 11. 59 p. 106, 28 Zgl.) cuius ope Zieglerus Cleomedis tempora describere conatus est ex quaque, si ad vivum resecatur, annus exit CC, e Posidonio desumpta est ad quem omnino totum cap. XI redit. Qua de re alibi agemus. Quodsi Ziegleró conatum frustra captum esse existimo, certissima mihi videtur ratiocinatio eorum qui dicunt Cleomedem cum nusquam Ptolomaei iniecerit mentionem, ante hunc vixisse vel saltem tempore aliquo cum clarissimi illius astronomi Alexandrini doctrina nondum tanto opere praevalebat auctoritate, ut inventa

omnium hominum priorum plane obscuraret (cf. Zelleri 'Hist. phil. Graec.' III[3] 1 p. 690 not.; Tanneryi 'Rech. sur l'hist. de l'astr. anc.' [1893] p. 85; Sauppii script. sel. [1896] pg. 1). Cui opinioni plurimum firmamenti adstrui potest. Cleomedes enim — Posidonium, ut facile demonstratu est, secutus — p. 222, 28 sqq. de luminis refractione sic disserit, ut eam existere propter varias aeris adfectiones haud incredibile esse pronuntiet. Neque vero illam utique esse contendere audet. Ptolomaeus autem refractionis luminis naturam penitus perspexerat atque in libris de 'Opticis' (de quibus vide Guentheri 'Gesch. der ant. Naturw.' [1888] p. 56 proxx.) tabulas concinnaverat quibus solaris et lunaris luminis refracti mensuras conlegit. Quodsi Cleomedes post Ptolomaeum aetatem degisset, non est dubitandum quin refractionem luminis reapse esse statuturus fuerit. Terminus igitur ante quem Cleomedes fuisse putandus est, memoria est Ptolomaei qui posteriore alterius post Chr. nat. saeculi parte floruit. Iam terminum qui vocatur post quem quaeramus. Auctorum sane quos nominatim adfert Cleomedes novissimus est Posidonius. Verum et scriptores aetate illo inferiores adhibuit, etsi illorum nomina reticet. Memorantur enim p. 60, 1 Z. homines docti qui Posidonio oblocuntur (*οἱ ἀντιλέγοντες τῇ δόξῃ ταύτῃ τοῦ Ποσειδωνίου*): quos ante alteram primi ante Christum natum saeculi partem fuisse vix est veri simile. Sequitur, ut Cleomedem qui illis Posidonii adversariis usus est, non ante primum saeculum postchristianum vixisse credamus. Quodsi solidam nos summam poposceris, inter annum 1 et 150 post Christum fuisse nostrum puta. Adcuratius Cleomedis aetatem circumscribi posse equidem despero.

Posidonium a Cleomede in componendo libello suo abunde usurpatum esse vel ex grandi numero locorum qui expressis verbis ad illum referuntur (cf. Ziegleri ind. verb. s. v. *Ποσ.*) manufestum est. Sed habemus adcuratissimum testimonium de vinculo quo Cleomedes cum Apameo continetur. Conlocatum est in fine alterius libelli p. 228, 1 sqq. ubi legimus: *εἰσὶ δ' αἱ σχολαὶ αὗται οὐ τοῦ γράψαντος αὐτοῦ δόξας περιέχουσαι, ἀλλ' ἐκ συγγραμμάτων τινῶν ἠθροισμέναι καὶ παλαιῶν*

καὶ νεωτέρων. Τὰ πολλὰ δὲ τῶν εἰρημένων ἐκ τῶν Ποσειδωνίου εἴληπται. Quod testimonium si ab ipso Cleomede perscriptum est, maximo nobis ad eius libelli fontes explorandos pretio esse debet. Verum de eius sinceritate pugna est hominum doctorum. Etenim cum Peyronius et Bakeus (cf. huius comm. p. 477) illa verba pro spuriis haberent — eorumque auctoritatem secutus est novissimus editor Cleomedis —, alii ut Blassius (cf. l. l. p. 11 not. 1) ne subdubitaverunt quidem quin ipsius Cleomedis stilo debeantur. Cum vero neque hi neque illi opinionem suam argumentis iustis fulserint, sed plus minusve adseveranter promulgare satis habuerint, utile mihi visum est rem controversam pro eius gravitate paullo intentius perpensitare si qua ratione decerni posset. Atque primum ut par est librorum memoriam speculemur. Excepto codice Taurinensi nr. 363 omnes Cleomedis libri verba supra exscripta exhibent.[1]) Quod autem in libro Taurinensi desunt, cave huic rei nimium tribuas. Nam praeterquam quod illius codicis fides dubia est, — certe praestantiam libri Medicei aut Parisini quode nuper laudabili commentatione disseruit Steinbrueck (cf. 'De Cleom. cosmogr. cod. quod. Paris.' [1894]) non aequat, — defectus ille facillime explicatur. Scilicet quae aguntur verba extrema sunt totius Cleomedeae scripturae. Nihil autem saepius evenit quam ut libri ms aut initio aut in calce aut utroque loco mutilarentur. Inde nihil refert utrum illa verba in codice Taurinensi exstent an ab eo exulent, cum optimorum librorum praesidio munita sint.

Quoniam testimonium a librorum memoria bene fundatum esse ostendimus, anquiramus num quid certi de eius origine statuere liceat. Diligentius fontium notulam contuenti tres mihi sese obtulere causae, quare ab ipso Cleomede eam libello subiunctam esse arbitrarer. Primum quidem adcuratior mihi videtur esse quam ut ab alio eam atque ab ipso libelli

---

1) Cf. Bakei comm. ad. Cleom. 'Theor. cycl.' p. 477. Falso narrat Ziegler l. l. p. 15 not. 1 a cod. Taur. tantum verba *τὰ πολλὰ — εἴληπται* exulare.

auctore profectam esse credibile sit. Atque plurima quidem quae in 'Cyclica theoria corporum caelestium' dicta sunt, e Posidonii horreis suppilata esse, contendere sane poterat qui frequentissime illum scriptorem a Cleomede laudari meminisset. Item notulam [*εἰσὶ δ' αἱ σχολαὶ*] *ἐκ συγγραμμάτων τινῶν ἠθροισμέναι καὶ παλαιῶν καὶ νεωτέρων* ex ipso Cleomedis libro utpote in quo praeter Posidonium haud pauci alii scriptores partim vetustiores (velut Berosus p. 180, 23; Pytheas p. 68, 21; Pythagoras p. 166, 14; al.) partim recentiores (velut adversarii Apameensis p. 60, 1) excitentur, repetitam esse cogitabile est. At vereor ut idem cadat in prima testimonii verba quibus Cleomedis scriptionem nullas ipsius opiniones continere edocemur. Hoc profecto nemo ex ipso libro concludere poterat. In quo 'magnae sunt partes in quibus Cleomedes ad nullum auctorem provocat sed ita disputat, ut ipsius sententias expromere videatur. Unde satis elucet illud indicium a nullo alio factum esse posse nisi ab ipso libelli auctore. Ad quem cetera quoque quae ad fontes libri indicandos spectant referamus iam necesse est. Ergo integrum testimonium fontium ad Cleomedem redit. Hoc alia quoque ratione comprobare possumus. Clamant Peyronius eiusque adseclae fontium adnotatiunculam olim in codicis margine adscriptam furtim in scriptoris contextum inrepsisse eoque retrudendam esse unde sese subduxerit. Quod quam temere iactatum sit, verba quae paullo ante illam leguntur (p. 226, 24 sq.) luculenter arguunt. Quae si Peyronius quique cum eo faciunt respexissent, particulam *δέ* in altero notulae loco positam respondere modo praegresso *μέν* facile sensissent. Iam cum vocabula notulae antecedentia certo Cleomedis sint, nascitur ut hanc quoque eius esse existimemus. Postremo testimonii origo Cleomedea loco quodam plane gemello evincitur. Prorsus enim similem atque in calce alterius libri adnotationem reperimus in extremo libro primo (cf. Ziegleri diss. p. 15 not.) p. 116, 27 sqq. Z. ubi: *καὶ ὅτι μὲν κέντρου λόγον ἐπέχει ἡ γῆ, διά τε τούτων καὶ ἑτέρων πολλῶν δείκνυται. Προειρηκότες δ' ἐν τῷ πρώτῳ τῶν ἐπιχειρημάτων, ὡς κατὰ πολὺ μείζων ὁ ἥλιος ὢν αὐτῆς ὅσον*

ποδιαίου ἡμῖν φαντασίαν ἀποπέμπει, ἑξῆς αὐτὸ τοῦτο ἐπιδεῖξαι ὀφείλομεν, ὅσα ἐν τοιαύτῃ εἰσαγωγῇ [1]) αὐτάρκη ἐστί, προφερόμενοι ἴδιά τινων περὶ μόνου τούτου συντάγματα πεποιηκότων· ὧν ἐστι καὶ Ποσειδώνιος. Hunc locum ad rem nostram plurimum facere opinor. Consimiliter olim iudicavit Zieglerus l. l.; postea vero sententiam suam ignoro quibus rationibus ductus immutavit.

Quae cum ita sint, nullus dubitationi relictus est locus, quin clausula alterius libri a Cleomede originem suam acceperit.

Qui autem — quaerere lubet — Peyronio eiusque adstipulatoribus succurrit illam notam a Cleomede alienam esse putare? Non enuntiant, sed divinare licet. Nempe scriptorem aliquem tale de se profiteri quale profitetur Cleomedes plane inauditum eis visum est. Consueverunt quidem plerique veterum scriptorum fontes unde hauserunt anxie callideque celare. Tamen non desunt qui probi atque honesti hominis esse existimaverint indicare per quos sua acceperint. In quo numero C. Caec. Plinius Sec. est qui 'Naturalem historiam' conscripsit. Cuius de fide litteraria disputatiuncula prooemio 'Nat. hist.' inserta digna est quae hoc loco adponatur. Cf. p. 18, 30 sqq. Detl.: 'Argumentum huius stomachi mei habebis, inquit, quod in his voluminibus auctorum nomina praetexui. Est enim benignum, ut arbitror, et plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris: non ut plerique ex iis quos attigi fecerunt. Scito enim conferentem auctores me deprehendisse a iuratissimis et proximis veteres transscriptos ad verbum neque nominatos.[2]) — Obnoxii profecto animi et infelicis ingenii est deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere cum praesertim sors fiat ex usura.' Sic probus ille compilator. Cui lubenter condonamus quod gloriolae captandae causa veris auctoribus aliorum scriptorum nomina quae ex illis expisca-

---

1) Igitur Cleomedis liber eidem usui inservire volt atque Gemini εἰσαγωγὴ εἰς τὰ φαινόμενα.

2) Cf. furtorum catalogum Clementis Alex. in 'Strom.' VI 2 et Porphyrii apud Euseb. in 'Praep. Evang.' X 3.

tus est admiscuit, praesertim cum ipse hoc se fecisse haud tecte pronuntiet (cf. p. 17, 32 D.). Non absimilis Plinio Priscianus Lydus est qui 'Solutionibus' ad Chosroen missis fontium laterculum praemisit. In quo praeter veros fontes sunt quae num ab ipso Prisciano inspecta sint merito dubitaveris.[1]) Nude autem ac vere et sine ulla iactationis specie auctores suos significavere Arrhianus in praef. 'Anab. Alex.' et Antoninus Liberalis, de cuius fontium indiculis vide praef. nostr. ad Ant. Lib. p. XLIV sqq. Hisce duobus viris ob mentis simplicitatem et probitatem conspicuis tertius accedit Cleomedes.

Quae ideo potissimum disputavi quod et homines doctos novicios in universum iniquius quam par est de veterum fide litteraria iudicare video pronosque esse ad dubitandum de sinceritate eiusmodi adnotationum qualis illa est quae apud Cleomedem reperitur.

Sed iam exponamus quanto emolumento sit Cleomedis de fontibus suis testimonium ad propositam quaestionem solvendam. Cum et Plinium et Achillem et Geminum gravissimis argumentis freti idoneos esse negaverimus a quibus qui Posidonianae de rebus caelestibus doctrinae rudera indagare decreverint proficiscantur, nihil obstat ne Cleomedis scripturam pro stabili solidoque fundamento habeamus, quippe quam maximam partem Posidoniana exhibere testimonio ipsius Cleomedis liquido constet. Primum igitur perquirendum quibus locis hic Posidonii sententias repraesentare videatur: inveniemus Posidonium ad priorem librum non tam prolixe adhibitum esse quam ad alterum in quo quae disceptantur Posidoniana sunt tantum non omnia. Iam instrumento opiparo instructi transitum faciemus ad Achillem; tum Plinium considerabimus; agmen claudet Geminus. Ex hisce quattuor scriptoribus Posidonii de meteoris doctrinam magnam partem refingere licet. Tamen

1) A Plinii et Prisciani fontium laterculis procul habenda sunt latercula plane fictos ementitosque auctores continentia qualis est fontium index Avieni in 'Ora maritima' v. 37 sqq. [p. 145 Hold.]. Quo de cf. Müllenhoffii 'Deutsche Altert.' vol. I² p. 73 sqq.

non prorsus carere possumus Manilii 'Astronomicis', Suetonii libro 'De naturis rerum', personati Aristotelis disputatiuncula 'De mundo', aliisque qui suppresso auctoris nomine haud pauca Posidonii eruditionis frusta servavere quos tamen hic singulatim dinumerare nihil attinet. Hanc quamvis arduam viam si ingrediemur, multo melius opinor Posidonio consulemus, quam si fundamento arachnae filis infirmiori insistentes undelubet apta inepta desultoria levitate congeramus.

INDEX.

TABULA ARGUMENTI.

PROCHEIROTONIE UND EPICHEIROTONIE.

Sogleich nach dem Bekanntwerden von Aristoteles Politie der Athener habe ich darauf hingewiesen, daſs die Behandlung der einzelnen Organe der Staatsgewalt im systematischen Teile des Buchs keine gleichmäſsige und erschöpfende ist und gar manche Frage offen läſst, deren Beantwortung besonders willkommen gewesen wäre. Dies gilt auch von der vielerörterten Procheirotonie der Volksgemeinde, deren in dem Abschnitt vom Rate der Fünfhundert beiläufig Erwähnung geschieht. Man ist sehr im Irrtum, wenn man in Aristoteles kurzer Notiz eine runde, jeden Zweifel ausschlieſsende Aufklärung zu finden gemeint hat. Der Philosoph schreibt eben für Leser, denen die Begriffe geläufig sind, mit denen er operiert.

In dem Kapitel über den Geschäftskreis der vier regelmäſsigen Volksversammlungen jeder Prytanie lesen wir *αἱ δὲ δύο (ἐκκλησίαι) περὶ τῶν ἄλλων εἰσίν, ἐν αἷς κελεύουσιν οἱ νόμοι τρία μὲν ἱερῶν χρηματίζειν, τρία δὲ κήρυξιν καὶ πρεσβείαις, τρία δὲ ὁσίων. χρηματίζουσιν δ' ἐνίοτε καὶ ἄνευ προχειροτονίας* (43, 6). Darin liegt nur das Eine, daſs der Ordnung gemäſs der Eröffnung der Debatten eine Abstimmung vorauszugehen hat; aber über den Gegenstand dieser Vorabstimmung bleiben wir im Unsicheren. Immerhin genügt schon diese kurze Andeutung, frühere Auffassungen der Procheirotonie auszuschlieſsen, wie die von Höck [1]), nach dem sie bezweckt hätte, dringlichen Anträgen über auswärtige oder sacrale Angelegenheiten den Vorrang vor der eigentlichen Tagesordnung zu verschaffen. Aber zu klarerer Einsicht können allein die

1) N. Jahrb. f. Phil. CXXI S. 809 ff.

sonstigen Quellstellen verhelfen, die der weiteren Erörterung im Wortlaute vorauszustellen sich empfiehlt.

Demosth. g. Timokr. 11 f. *μετὰ ταῦτ' ἐμήνυσεν Εὐκτήμων ἔχειν Ἀρχέβιον καὶ Λυσιθείδην τριηραρχήσαντας χρήματα Ναυκρατιτικά, τίμημα τάλαντα ἐννέα καὶ τριάκοντα μνᾶς. προσῆλθε τῇ βουλῇ, προβούλευμ' ἐγράφη. μετὰ ταῦτα γενομένης ἐκκλησίας προυχειροτόνησεν ὁ δῆμος. ἀναστὰς Εὐκτήμων ἔλεγεν ἄλλα τε πολλὰ καὶ διεξῆλθε πρὸς ὑμᾶς ὡς ἔλαβεν ἡ τριήρης τὸ πλοῖον κτλ.*

Aischin. g. Timarch 23 *καὶ πῶς κελεύει* (*ὁ νομοθέτης*) *τοὺς προέδρους χρηματίζειν; ἐπειδὰν τὸ καθάρσιον περιενεχθῇ καὶ ὁ κῆρυξ τὰς πατρίους εὐχὰς εὔξηται, προχειροτονεῖν κελεύει τοὺς προέδρους περὶ ἱερῶν τῶν πατρίων καὶ κήρυξι καὶ πρεσβείαις καὶ ὁσίων· καὶ μετὰ ταῦτ' ἐπερωτᾷ ὁ κῆρυξ· τίς ἀγορεύειν βούλεται κτλ.*

Philoch. im Lex. Cant. u. *ὀστρακισμοῦ τρόπος· προυχειροτόνει μὲν ὁ δῆμος πρὸ τῆς ὀγδόης πρυτανείας, εἰ δοκεῖ τὸ ὄστρακον εἰσφέρειν.*

Harpokr. u. *προχειροτονία· ἔοικεν Ἀθήνησι τοιοῦτό τι γίγνεσθαι, ὁπόταν τῆς βουλῆς προβουλευσάσης εἰσφέρηται εἰς τὸν δῆμον ἡ γνώμη· πρότερον γίγνεται χειροτονία ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πότερον δοκεῖ περὶ τῶν προβουλευθέντων σκέψασθαι τὸν δῆμον ἢ ἀρκεῖ τὸ προβούλευμα. ταῦτα δ' ὑποσημαίνεται ἐν τῷ Λυσίου πρὸς τὴν Μιξιδήμου γραφήν.*

Diese Erklärung des Harpokration wurde, wiewohl sie sich selbst als bloſse Vermutung giebt, von Sigonius an um so anstandsloser hingenommen, als man das Zeugnis des Philochoros noch nicht kannte; auch heute noch wird sie von Gilbert, Busolt und Kaibel festgehalten. Es ist das Verdienst von Hartel[1]), nachdrücklich die Unzulässigkeit dieser Lehre hervorgehoben zu haben, wenn auch seine eigene Auffassung der Procheirotonie, die mit seiner bekannten Theorie von der doppelten Lesung in der athenischen Volksversammlung im engsten Zusammenhange steht, heute mit dieser selbst als be-

1) Demosthenische Studien II S. 59 ff.

seitigt gelten kann. Es läſst sich doch nicht bestreiten, daſs die Frage, ob bei dem Vorbeschluſs des Rates Beruhigung zu fassen sei, in der groſsen Mehrzahl der Fälle erst auf Grund einer vorgängigen Debatte vom Volke entschieden werden konnte, und es ist eine schlechte Rechtfertigung für eine verkehrte Einrichtung, wenn Gilbert[1]) antwortet, daſs in der Praxis sich solche Bestimmungen immer milder erweisen, als sie es der Theorie nach sind. Nur bei Sachen von ganz minimaler Bedeutung wäre eine solche Vorabstimmung überhaupt denkbar und man sollte meinen, daſs ihr von Aristoteles als Ausnahme bezeichnetes Unterbleiben sich vielmehr zur Regel ausgebildet hätte. Unverständlich ist mir, wie man Aristoteles als Zeugen für die Richtigkeit von Harpokrations Erklärung anrufen kann.[2])

Mit Rücksicht auf Aristoteles Angabe ist die Höck'sche Ansicht von Thumser dahin modificiert worden, durch die Procheirotonie sei vor dem Eintritt in die Debatten die Vorfrage vom Volke entschieden worden, ob es in Verhandlung über *ἱερά* und *ὅσια* und auswärtige Angelegenheiten eintreten wolle, die nicht verfassungsmäſsig vorbereitet und auf das Programm gesetzt werden konnten. Es genügt dagegen die Bemerkung, daſs dann in dem Berichte der Timocratea die Erwähnung der Procheirotonie ganz zwecklos wäre; denn über Euktemons Denunziation lag ja ein Probuleuma vor. Und zwar ist dies nicht, wie man von Hartel bis zu Wilamowitz angenommen hat, rein formeller Art gewesen, sondern hat die Zahlungspflicht der beiden Trierarchen ausgesprochen. Es folgt dies unwidersprechlich aus den wiederholten Hinweisen auf das Verdict des Rates, § 9 *πρῶτον μὲν τῆς βουλῆς κατεγνωκυίας*, nachher *τὰ γνωσθένθ' ὑπὸ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου καὶ τοῦ δικαστηρίου*, wodurch auch § 196 seine Erklärung findet *ἐν τρισὶν ἐξελεγχθέντας δικαστηρίοις*. Bestimmend für die gegenteilige Auffassung ist gewesen, daſs

1) N. Jahrbücher f. Philol. CXIX S. 237.

2) Kaibel, Stil u. Text der *πολιτεία Ἀθηναίων* S. 206 mit Berufung auf Millers unten angeführte Arbeit, die eine ganz andere Ansicht vertritt.

nachher § 13 von einem Antrag des Euktemon die Rede ist (ἔδωκε γνώμην Εὐκτήμων), der zum Volksbeschlufs erhoben ward. Aber dies war offenbar nur ein Amendement zum Ratsbeschlufs, das durch das Auftreten des Androtion und seiner beiden Mitgesandten in der Volksversammlung veranlafst war. Hatte das Probuleuma auf die Zahlungspflicht der Trierarchen erkannt, so mufste dies nach der Erklärung von Androtion und Genossen, dafs die Prisengelder in ihrer Hand seien, dahin ergänzt werden, dafs den Trierarchen der Regrefs an die Gesandten anheimgegeben wurde.

Mit dieser Einsicht in den von Demosthenes berichteten Hergang fällt auch sofort eine andere Deutung der Procheirotonie, die O. Miller, der Verfasser der verdienstlichen Dissertation de decretis atticis quaestiones epigraphicae, begründet hat[1]): sie sei 'eine vorbereitende, aufklärende Erörterung, eine Debatte, die noch nicht auf einem bestimmten Vorschlage als Grundlage fufst, sondern vielmehr erst zur Formulierung eines Antrags führt.' Noch entscheidender freilich spricht hiergegen die Unmöglichkeit unter χειροτονία eine Debatte zu verstehen, wozu Miller den Weg sich durch die nicht minder gewagte Hypothese bahnt, χειροτονεῖν heifse 'sich zum Worte melden'. Auf das Irrige des Ausgangspunkts dieser Konstruktion, den Miller von Bake[2]) entlehnte, die Worte des Demosthenes von ἀναστάς an müfsten eine Schilderung der Procheirotonie enthalten, brauche ich nur hinzudeuten, nachdem Thumser darüber das Nötige gesagt, der jetzt auch das Mifsverständnis der Worte § 14 γράφονται τὸ ψήφισμα· εἰς ὑμᾶς εἰσῆλθεν selbst berichtigt hat.[3])

Zuletzt hat v. Wilamowitz-Möllendorff der Procheirotonie ein Kapitel seines Werks über Aristoteles (II 13) gewidmet. Nach ihm war sie bestimmt dem Mifsstand zu begegnen, dafs

1) Philologische Abhandlungen M. Hertz dargebracht S. 189 ff.

2) In der 'wüsten und unfruchtbaren' Arbeit quid sit προχειροτονεῖν, Scholica hypomnemata IV p. 279 ff., deren Zweifel an der Richtigkeit der hergebrachten Ansicht darum unbeachtet blieben.

3) Vgl. schon Att. Proc.² S. 168 A. 48.

bei Einhaltung der vom Rate aufgestellten Tagesordnung solche Gegenstände, die hinter den drei Nummern der drei von Aristoteles und Aischines bezeichneten Kategorien auf dem Programme standen, nie zur Erledigung kamen. Solcher Verschleppung durch den Rat habe die Einführung einer Debatte über die Geschäftsordnung vorgebeugt; durch einen Vorbeschlufs habe das Volk selbst die Nummern ausgewählt. Also behielte der alte Reiske mit seiner Erklärung der Demosthenesstelle Recht 'causam istam plebs sciuit earum primam esse, quae in ista contione agitarentur'. Die Richtigkeit des geltend gemachten Gesichtspunktes wird man nicht verkennen, aber auch bei dieser Auffassung nicht verstehen, warum Demosthenes bei der schon von Hartel betonten Knappheit seiner Darstellung dieser Geschäftsordnungsdebatte überhaupt Erwähnung thut. Darüber hilft auch die Bemerkung nicht hinweg, dafs der Redner den Eindruck peinlichster Genauigkeit zu erwecken beabsichtige und darum bei jeder Station verweile, die ein Antrag zu passieren hatte, auch wenn, wie in diesem Falle, nichts besonderes auf sie ankam. Auch die Stelle des Aischines läfst sehr wohl für eine andere Deutung Raum.

Man hätte gut gethan, von der bereits für das fünfte Jahrhundert verbürgten Anwendung der Procheirotonie auszugehen, *εἰ δοκεῖ τὸ ὄστρακον εἰσφέρειν*. Dafs der hierfür von einem Philochoros bezeugte Ausdruck der offizielle gewesen, läfst sich mit Grund nicht in Zweifel ziehen. Und damit gelangt man für die Praxis der Rednerzeit sofort zu dem Sinne einer Vorabstimmung darüber, ob in die Beratung und Beschlufsfassung über einen Gegenstand einzutreten sei. In der Bejahung dieser Frage durch das Volk lag im Falle des Euktemon ein Präjudiz für die Erheblichkeit seiner Denunziation, das er sich nicht entgehen lassen durfte. Ebenso wird hiermit die Stelle des Aischines ohne weiteres verständlich und die Mifsdeutung des Harpokration oder seiner Quelle leicht begreiflich.[1])

1) Wilamowitz leitet das Mifsverständnis daraus ab, dafs Lysias den Antrag des Mixodemides für ungesetzlich erklärte, weil ihn die Prytanen

Auffällig freilich mag erscheinen, dafs Aristoteles gerade von der Procheirotonie über die Vornahme des Ostrakismos vielmehr den Ausdruck Epicheirotonie gebraucht, kurz vor den Worten, von denen wir ausgingen, 43, 5 *ἐπὶ δὲ τῆς ἕκτης πρυτανείας πρὸς τοῖς εἰρημένοις καὶ περὶ τῆς ὀστρακοφορίας ἐπιχειροτονίαν διδόασιν εἰ δοκεῖ ποιεῖν ἢ μή*. Sehr begreiflich darum, dafs in dem aus Aristoteles geflossenen Artikel des Lexicon Cantabrigiense *κυρία ἐκκλησία* Meiers Correctur *προχειροτονίαν* allgemeine Zustimmung fand, mit einziger Ausnahme von J. M. J. Valeton in seiner eingänglichen Abhandlung über den Ostrakismos [1]), und dafs die gleiche Änderung manchem noch heute im Texte des Aristoteles unerläfslich erscheint. Steht doch das Wort *ἐπιχειροτονία* nach seinem technischen Sinne zur *προχειροτονία* geradezu im Gegensatz; durch die *ἐπιχειροτονία τῶν ἀρχῶν* werden in erster Linie[2]) die *χειροτονητοί* und dann auch die *κληρωτοί* unter den Beamten einer Bestätigung ebenso unterzogen, wie die bestehenden Gesetze durch die *ἐπιχειροτονία τῶν νόμων.*[3]) Darum ist es aber auch unzulässig, in *ἐπιχειροτονία* nur den Sinn suffragium de aliqua re zu finden, wenn gleich in der weiteren Anwendung *ἐπιχειροτονεῖν τὰς γνώμας* von *χειροτονεῖν τὰς γνώμας* sich ebensowenig noch wesentlich unterscheidet, wie etwa *ἐπικυροῦν* und *κυροῦν.*[4])

Die abgelehnte Wortdeutung ist nun aber für Valeton der Ausgangspunkt geworden zu dem Versuche[5]), zwei Arten von

---

ohne Procheirotonie zur Abstimmung gebracht hätten. Aber die Rede des Lysias ging ja *πρὸς τὴν Μειξιδήμου γραφήν*, und dafs dies eine *γραφὴ παρανόμων* gewesen, ist nur eine unerweisbare Vermutung von Sauppe.

1) Mnemosyne N. S. XV p. 407.

2) Aristot. St. d. A. 61.

3) Bei Platon Ges. VI S. 755 E steht *ἐπιχειροτονία* von der Vorentscheidung darüber, welcher von zwei Candidaten auf die Vorschlagsliste zur Taxiarchie zu setzen sei, was kurz zuvor genauer als *διαχειροτονία* bezeichnet war.

4) Demosth. IV 30. XVIII 248. — XXIII 14. XIX 14. Arist. St. d. A. 30, 1. 32, 1. Swoboda, Griechische Volksbeschlüsse S. 18 ff.

5) a. a. O. p. 370 ff.

ἐπιχειροτονίαι zu konstruieren, die *ἐπ. περὶ γνωμῶν* und die *ἐπ.* de aliis rebus aut personis quas probare aut improbare debeat populus. Die ersteren hätten eines *προβούλευμα* bedurft, die letzteren auf einem Specialgesetze beruht; nur bei jenen sei eine Debatte möglich gewesen, die also bei den *ἐπιχειροτονίαι τῶν ἀρχῶν, τῶν νόμων* und über die Ostrakophorie nicht stattgefunden hätte. Die ganze Scheidung basiert auf einer Verkennung des Wesens des Probuleuma, das auch durch ein Gesetz, das eine Beschlufsfassung der Volksgemeinde über bestimmte Fragen zu bestimmtem Zeitpunkt vorschrieb, nicht entbehrlich gemacht wurde, natürlich aber in diesem Falle rein formeller Art war. Wissen wir doch heute durch Aristoteles, dafs selbst zur Ansetzung der Beamtenwahlen ein Probuleuma erforderlich war. Die Polemik aber gegen den schon von Schömann gebührend vertretenen Satz, dafs jene beiden *ἐπιχειροτονίαι* nicht ohne vorausgegangene Debatte denkbar sind, mufste ebenso erfolglos bleiben, als sie eifrig geführt ist. Wenn das Thesmothetencollegium des Jahres Ol. 109, 1 darum *ἐν τῷ δήμῳ ἀπεχειροτονήθη*, weil ein Mitglied desselben seinen Bruder Theokrines zum Ratgeber genommen hatte[1]), so mufs notwendig eine Beschwerde über diesen an das Volk gebracht worden sein, und ebenso fordert, um Schölls Worte zu gebrauchen, der gesunde Menschenverstand, dafs die Majorität der Ekklesie nicht blindlings für oder wider Beibehaltung ganzer Kapitel des Gesetzbuchs mit Ja und Nein zu entscheiden hatte, sondern über etwa beabsichtigte Reformen verständigt sein mufste.[2]) Also war Valeton in entschiedenem Unrecht, wenn er auf die vermeintliche Analogie jener *ἐπιχειροτονίαι* den Satz baute, dafs der Entscheidung über Vornahme der Ostrakophorie keine Debatte vorausgegangen sein könne. Bei Aristoteles aber *ἐπιχειροτονίαν* als 'debattelose Abstimmung' mit Wilamowitz zu schützen ist ebensowenig berechtigt, als es darum mit Kaibel zu verwerfen,

1) (Demosth.) g. Theokr. 27 f.

2) Schöll, Sitzungsb. d. phil.-hist. Cl. d. Bayr. Ak. d. Wiss. 1886 S. 95 f. Ebenso auch Westermann, Abhandl. d. Sächs. Ges. d. Wiss. II S. 16 ff.